Retorica

6
6-d
31

6
5 D
38

Vallett. [illegible]
[illegible]

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUEL.

ORATORIÆ
INSTITVTIONES

Tribus comprehenſæ Libris

Biblioteca Naz. Roma Vittorio Emanuele

AB ADM. REV. PATRE

FRATRE HENRICO
DE PIMONTE

S. Th. Magiſtro Ord. Prædicatorum digeſtæ

Opus tum Sacris Eccleſiaſtis, tum forenſibus cauſidicis, tum omnibus humaniorum Litterarum Profeſſoribus vtile.

Cui acceſſit duplex Index, nempe vnus Capitum, alter rerum notabilium.

Ex libris Jo: Bapt. Vallettæ Bibliothecæ S. Pantaleonis Scholarum Piarum

Romæ, Ex Typographia Nicolai Angeli Tinaſſij. MDCLXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO PATRI

MAGISTRO GENERALI

Ordinis Prædicatorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FRATRI ANTONIO DE MONROY.

INiunxerat mihi, ac ſimul aliis tribus eruditiſsimis Patribus meæ Prouinciæ Regni, Reuerendiſsimę Paternitatis Tuę prædeceſſor Io: Baptiſta de Marinis, vt Eccleſiaſticam ſcriberemus Rhetoricam, quę typis mandanda foret, ad communem oratorũ, maximèque Eccleſiaſtarum vtilitatem. Onus ſane meis impoſitum humeris agnoui, cui ferendo imparem me omninò ſentiebam, vtpotè qui nec eam eruditionem, nec elegantiam, nec illam facultatem in me experirer, quibus huiuſmodi ars tractari

deberet,quibus tamen dotibus cęteros collegas meos ſuperfluenter prędítos noſſem,vt nullo negotio,& intentioni præcipientis,& legentium vtilitati ſatisfacere potuiſſent. Verùm conſiderans illos ſublimioribus ſtudijs ac officijs diſtineri, vt huic implendo minime vacaret, attendens etiam ſanctæ obedientiæ vires, quæ ſupplere noſcuntur eas etiam,quas exercitatio nõ contulit,nec natura,eſto alijs occuparer negotijs, animum tamen manumque operi applicaui, quo,vtcumq; ſaltem obedientiæ ſatisfacere poſſem;ſed vix rudibus lineis expleto opere, deceſsit ille qui iniunxerat,ideoque nec illud expolire,nec alteri exhibere curaui. Immò,mea quidem ſẽtẽtia,perpetuis obliuionis tenebris ipſum addixeram. Verùm quamplures aliter ſenſerunt,qui ex ſchedulis ac exemplaribus, quæ circumferebantur, exiſtimauerunt ex huius lectione poſſe nonni-

hil

hil vtilitatis lectoribus accedere, ideoque crebris impulſibus me coegerunt, vt ipſum publici iuris eſſe ſinerem. Hoc autem facturus, nequaquam laborandum duxi, vt inuenirem cui potiſsimum opuſculum ipſum dicarem, quinimmò ſtatim occurrit Reuerendiſsima Paternitas Tua, cui, vt ſupremo Religionis capiti, Religioſorum omnium labores iure optimo debentur. Et hoc maximè, quod ex obedientia profectum, illi merito offerri debuit cui in ipſa profeſsione, obedientia fuit promiſſa. Accedit ſpecialis titulus ſummæ Tuæ, quum in alios Religioſos, tum præcipuè in me benignitatis, quâ me Tibi arctius deuinxiſti. Abſtineo tamẽ Tuas hic laudes commemorare, virtuteſq; ſiue intellectuales, ſiue ethicas ſeu morales, & inter eas Religionis ardentem zelum, quibus, omnium bonorum corda in Tui amorem & admirationem rapuiſti. Hæc enim quum

in omnium animis obuerſentur,& linguas etiam,aureſque cunctorum occupent,ſingularis Tua modeſtia recenſere non patitur, ſiquidem ſolidæ ſectator laudis repoſitæ apud Deum, quo magis laudabilibus inſiſtis operibus, eo magis humanas auerſaris commendationes. Quapropter finem Epiſtolæ huic imponens, opuſculumque hoc Tibi offerens, Deum Optimum Maximum rogo, vt qui Te noſtræ Religioni Pręſidem ac Generalem moderatorem cōcedere dignatus eſt, Te eumdem ad illius profectum & augumentum, diutius conſeruare dignetur. Romæ 16. Kal. Aprilis 1680.

Reuerendiſsimæ Paternitatis Tuę.

Additiſſimus & humillimus filius ac ſeruus,

Fr. Henricus à Pimonte.

LECTORI BENEVOLO.

MIraberis, amice Lector, conſilium, quo impulſus hanc ſuſceperim Prouinciam ſcribendi Rhetoricam, à qua mei Inſtituti homines, perpetuo abſtinuiſſe dicuntur. Tu tamen, quæ eſt tua benignitas, caue hoc credas: multi ex noſtratibus hanc Spartam exornauerunt, & multo plures, dum in publicis orationibus frequentibus excipiuntur plauſibus, manifeſtum relinquunt, in hac facultate quid valeant. Nec tamen propterea animum adieci ad huiuſmodi commentationes conficiendas, quippe qui mearum virium conſcius, optimè noueram non eſſe mei ingenij, hanc pro dignitate diſciplinam illuſtrare: ſed præceptis illius adſtrictus, cui non parere nefandum ſcelus fuiſſet, ſtudioſorum quoque multorum pulſatus precibus, qui hanc artem à me explicatam audire auebant, animum ipſi applicaui. An autem incaſſum redierint labores, an fruſtra vigilauerim, tuum eſto iudicium, qui ſi aliorum, fortuitas etiam commentationes, legere non grauaris, dicam cum Perſio

Aſpice & hæc, ſi forte aliquid decoctius audis.
Vnde vaporatâ lector mihi ferueat aure.

Certe ſcripta quæ alijs dictaui, per multorum manus, non ſine plauſu adhuc feruntur, ex quibus non pauci ſeſe profeciſſe teſtantur, ideoque crebris amicorum & eruditorum impulſibus, adactus ſum, vt, quamuis alijs occupationibus diſtentus, quæ commentatus fueram limare, & ad Latinæ phraſis puritatem reuocare, ac emendare non daretur, eamdem ſaltem illam Rhetoricam quam olim prælegeram, & quæ nunc amanuenſium erratis ſcatet, vt à me tradita fuerat, ad communem ſtudioſorum vtilitatem, publici iuris finerem eſſe. Extorſerunt id tandem à me, & fere contra voluntatem, quum non vacaret ſecundam ſaltem illi manum adhibere, vt ſi non

ali-

aliquid addere, ſaltem quæ perperam, inconcinnè, immò confusè dicta fuerant, explicatius ordinarem. Illud tantum præſtare potui, in gratiam eorum qui Græcè neſciunt, vt Græcas dictiones, ſiue ſententias, vel authoritates, multoties quidem omiſerim, ſæpius tamen transmiſerim ex corpore contextus Latini ad calcem cuiuſque capitis, additis numeris correſpondentibus verſioni Latinæ, vt ſiue Latinus Græcam originem, ſiue Græcus Latinam interpretationem deſideret, inuenire facile queat, niſi quod, ſiue mea, ſiue typographi oſcitantia, ſpem expectationemque aliquando fefellerit, dum vel numeri non adamuſſim correſpődent, vel voces aliter quam artis præcepta exigunt, inflectuntur, cui malo, ſiue ob temporis anguſtias, ſiue ne in immenſum creſceret volumen, mederi conceſſum non fuit. Ei tamen tua benignitas induſſiſſe velim & valeas.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Raimundus Capiſuccus, Sacri Palatij Apoſtolici Mag. Ord. Præd.

INDEX

INDEX CAPITVLORVM.

LIBER I.

PRoemium fol. 1.
Tract.1.Cap.1.*Quid ſit Rhetorica.* 3
Cap.2.*De utilitate rhetorica.* 4
Cap. 3. *De partibus Rhetorica.* 8
Tract.2.Cap.1.*Quid & quotuplex ſit inuentio.* 9
Cap.2.*De locis generatim fol.* 11
Cap.3. *De locis dialecticis fol.* 12
Cap.4. *De locis Rhetoricis generalibus.* 21
Tract.3. *De genere deliberatiuo.* 23
Cap. 1. *De locis generis Deliberatiui.* 25
Cap. 2.*De materia fine & partibus Deliberatiui. fol.* 26
Cap. 3. *De Conſultatione publica.* 28
Cap.4.*De Beatitudine Ciuili.* 31
Tract. 4. *De genere Demonſtratiuo.* 35
Cap.1.*De materia fine & locis Demonſtratiui.* 35
Cap. 2. *De inſtrumento proprio generis Demonſtratiui.* 37
Cap. 3. *Quomodo laudentur ſubſtantiæ ſpirituales.* 39
Cap.4.*Quomodo laudetur homo.* 41
Cap. 5. *Quomodo laudentur irrationabilia.* 50
Tract.5.*De genere iuridiciali.* 54
Cap.1. *De ſtatu Coniecturali.* 57
Cap.2. *De ſtatu Finitiuo. fol.* 63
Cap.3. *De Statu Qualitatis.* 65
Cap.4.*De Statu Qualitatis Iuridicialis.* 67
Cap. 5. *De Statu Rationali Aſſumptiuo.* 70
Cap. 6. *De Statu Iuridiciali Legali.* 74
Cap. 7. *De Statu Quantitatis.* 81
Tract.6.*De argumentis inartificia-*

tificialibus. 83
Cap.1. De loco à lege. 84
Cap. 2. De loco à teſtibus. fol. 85
Cap.3 De loco à pactis. 87
Cap.4. De loco à Iuramento. 88
Tract. 7. De argumentis patheticis. 90
Cap. 1. De Ira. 93
Cap.2. De lenitate. 98
Cap. 3. De amore. 101
Cap.4. De Odio. 104
Cap.5. De Metu. 105
Cap. 6. De Confidentia. fol. 109
Cap.7. De Pudore. 111
Cap. 8. De Gratitudine. fol. 115
Cap. 9. De Miſericordia. fol. 117
Cap. 10. De Indignatione. fol. 120
Cap. 11. De Inuidia. 121
Cap. 12. De Aemulatione. fol. 125
Tract. 8. De Argumentis Moratis. 128
Cap. 1. De morum varietate. 130
Cap. 2. Quomodo mores varient iuxta ætates. fol. 131
Cap. 3. De moribus fæminarum: 137
Cap. 4. De moribus nobilium, & fortunatorum fol. 138

LIBER II.

IN quo de Diſpoſitione. 143
Tract. 1. De Diſpoſitione Rerum. 144
Cap. 1. De exordio. 145
Cap. 2. De Narratione. fol. 159
Cap. 3. De Propoſitione, & Partitione. 164
Cap. 4. De Contentione, & Confutatione. 168
Cap. 5. De Epilogo. 177
Tract. 2. De Diſpoſitione verborum. 179
Cap. 1. De Periodo cholis & commatibus. 180
Cap. 2. De numero, & pedibus oratoriis. 186
Cap. 3. De iunctura, & compoſitione oratoria. fol. 189

LIBER III.

DE Eloquutione. 193
Tract. 1. De Elegantia fol. 194
Cap. 1. De Latinitate. 194
Cap. 2. De Perſpicuitate. fol. 200
Tract. 2. De Tropis. 204
Cap. 1. De metaphora. 205

Cap. 2.

Cap. 2. De *Metonimia.* *fol.* 214
Cap. 3. De *Senecdoche.* *fol.* 222
Cap. 4. De *Ironia.* 226
Cap. 5. De *Speciebus primariorum Troporum.* *fol.* 230
Cap. 6. De *affectionibus troporum.* 240
Cap. 7. De *Tropis falſis.* *fol.* 252
Tract. 3. De *Schematologia.* *fol.* 261
Cap. 1. De *Schematibus figurantibus exceſſu vel ſubticentia* 262
Cap. 2. De *ſchematibus repetentibus eamdem vocem.* 267
Cap. 3. De *ſchematibus ſimilitudinis vocum.* *fol.* 279
Cap. 4. De *ſchematibus figurantibus ſecundum quantitatem.* 282
Cap. 5. De *figurantibus ſecũdum qualitatem.* 284
Cap. 6. De *figurantibus ſecundum ſitum.* 290
Cap. 7. De *ſchematibus quæ plus dicunt.* 292
Cap. 8. De *Schematibus quæ minus dicunt* 296
Cap. 9. De *ſchematibus, quæ æque dicunt* 301
Cap. 10. De *figurantibus ratione rei & eſſentiæ.* *fol.* 309
Cap. 11. De *figurantibus ratione adiunctorum rei.* 315
Cap. 12. De *figurantibus ab extrinſeco ſimili.* 318
Cap. 13. De *figurantibus oppoſitione.* 319
Cap. 14. De *figurantibus ratione rei & perſonæ.* *fol.* 330
Tract. 4. De *Ideis.* 336
Cap. 1. De *compoſitione magnifici characteris.* *fol.* 340
Cap. 2. De *charactere frigido.* 349
Cap. 3. De *charactere mediocri.* 351
Cap. 4. De *affectionibus characterum & Ideis.* *fol.* 357
Mantiſſa. 380

NOS

NOS FR. ANTONIVS DE MONROY Sacræ Theologiæ Profeſſor Ord. Prædicatorum humilis Magiſter Generalis, & Seruus.

CVm vt nobis exponitur, Ad. R. Pater Mag Fr. Henricus de Pimonte Prouinciæ noſtræ Regni opuſculum, cui titulus eſt *Inſtitutiones Oratoriæ*, compoſuerit, illudq; prælo ſubijcere deſideret; Nos harum Serie, noſtriq; officij auctoritate, quantum in nobis eſt, ſeruatis alias ſeruandis, paternè indulgemus, dummodo ab Adm. RR. PP. Magiſtris Fratre Leonardo Hanſen Angliæ Prouinciali, & Fratre S. Vinando VVinans luce dignum iudicetur, eorumq; cenſorio in ſcriptis calculo approbetur, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen. Dat. Romæ in Conuentu noſtro S. Mariæ ſuper Mineruam die 5. Nouembris 1679.

Fr. Antonius de Monroy.

Mag. Ord. *Regiſtrata fol. 7.*

Fr. Henrico de Guzman Prouincialis Terræ Sanctæ.

RHetorica inter liberales artes amœnè florida mellificio patet ac veneficio prout in eam, aut benigna inciderit apis, aut malignus araneus Vtiliter tamen eiuſdem inſtitutiones, & canones explicantur Philoſophiæ Tyronibus, vt ex ijſdem artis innoxiæ præceptis, & mellificandi ſalubrem capiant vſum; ac à noxiò abuſu minimè capiantur. Hanc igitur tribus digeſtam libris, variaque eruditione ſuccidam lucubrationem ab Admodum Reuerendo P. Magiſtro F. Henrico de Pimonte Ordinis noſtri elucubratam, ſeduló à nobis iuſſu Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Generalis, perlectam approbamus, omnique ex parte cenſemus dignam, quæ typis ad commune ſtudioſorum commodum euulgetur, velut Oratoriæ Facultatis vſui non mediocriter profuturam, quandoquidem in ea nil reperimus, quo magis illa premi, quam imprimi poſſit. Ita iudicamus & affirmamus. Romæ in Conuentu noſtro Sanctæ Mariæ ſuper Mineruam. 18. Decembris 1679.

Fr. Leonardus Hanſen Magiſter Prouincialis Angliæ, Ord. Prædic. manu propria.

Fr. Guinandus Vvijnans Sacræ Theologiæ Magiſter Ordinis Prædicat. manu propria.

ORA-

ORATORIARVM INSTITVTIONVM

LIBER PRIMVS:

Proemium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVONIAM ea eſt noſtræ conditionis miſeria, vt ea etiam quæ, vel maximè ſunt nobis ſecundùm naturam, perfectè conſequi nequeamus, externo ſaltem auxilio aliquo deſtituti, cogimur in ijs quoque quæ ſermonem concernunt ac loquelam, quibus mutis antiſtamus, artes plures perquirere. Hinc Grammatica vt congruè, poëſis, vt delectabiliter, Dialectica vt veraciter loqueremur, inuentæ. At verò quum ſermo nobis tributus noſcatur, quo ſocietatem fouendo, internos animi ſenſus aperiremus, ſolaremur in aduerſis, impelleremus ad ardua, congratularemur in proſperis, à prauis retraheremus, ad fidem vtique faciendam idoneus eſſe debuit. Qua verò ratione perſuaſibilis euadere poſſet multis retro ſeculis omnibus ferè mortalibus incognitum extitit. Quantumuis enim omni ferè æuo homines floruerint, qui multitudinem dictis continerent, artificioſam non perorabant orationem, ſed ingenij ſagacitate pollentes, congrua quædam ingerebant, quæ admirationem pecuinis illis ingerebant mortali-

 bus.

bus. Nec mirum, quando licet iſtam, ſicut & cæteras artes, ac diſciplinas, protoparenti indiderit Numen, eam tamen adeo obliuioni poſteri tradidere, vt immenſos exantlare labores opus fuerit, quo Euridicen iſtam, Orpheus aliquis ab inferis excitaret. Nec tamen vnus valuit integram perfectamque reſtituere, ſed paulatim, ac per partes plures nisi ſunt reuocare. Coracem quemdam Siculum, prœmiandi aiunt, ſiue exordiendi artem inueniſſe: Gorgiam item Siculum, diſpoſitionem addidiſſe, ac nonnihil ornatus. Protagoras auxit, a quo eam denis denariorum millibus dicunt didiciſſe Euathlum. Abſoluit Iſocrates, cuius ætate Ariſtoteles eam ad ſummum prouexit, ſequuti Hermagoras atque Hermogenes alijque quamplures, qui eam adornantes Spartham eam mirificè excoluerunt, iuxta quod magis ad fidem faciendam conducere videbatur. Vnde eam amplexati, ad ſummos euecti ſunt honores, adeo vt nemo, priſcis temporibus, Reipublicæ capeſſendæ vel adminiſtrandæ idoneus haberetur, qui huic arti egregiam non nauaſſet operam. Hinc Pericles, Themiſtocles, Ariſtides, Demades, Demoſthenes, aliſque Græcorum, florenti Athenienſium Reipublicæ, ſplendorem, nedum rebus geſtis, ſed ornatis orationibus decorem addiderunt. Nec minus apud Romanos Catones, Scipiones, Bruti, Ceſares, &, qui præ omnibus Cicero, eloquentiæ merito, ſummam in Republica ſibi authoritatem conciliarunt. Nec immeritò, ſiquidem eloquentia captiuos populos trahit; vt de Hercule Gallico finxit antiquitas, innuens ſolum eloquentem populos regere poſſe, quos ad oris nutum, catenatos circumfert. Hanc ergo artem exhibituri, perſpicuitatem ſimul cum breuitate, pro poſſe ſectabimur, nec tamen neceſſariorum aliquid omittemus, eorum maximè quæ Ariſtoteles in libris Rhetoricorum tradidit: addentes inſuper aliqua pro coronide ex Hermogene de Idæis, ſeu characteribus orationis, ſequemur autem methodum doctrinæ, incipiendo a generalioribus, & diuidemus opus in tres libros: in quorum primo, de Inuentione generatim, ac ſpecialiter, in proximo de Diſpoſitione, in poſtremo de Elocutione agemus. Sit ergo.

INSTITVTIONVM ORATORIARVM

LIBER PRIMVS.

TRACTATVS PRIMVS.

De Eſſentia, & Partibus Rhetoricæ.

CAPVT PRIMVM.

Quid ſit Rhetorica.

OMISSIS varijs definitionibus, quæ ab authoribus circumferuntur, placet eam amplecti, quam ſummus Rhetorum, ac philoſophorum Ariſtoteles aſſignat, dicens Rhetoricam eſſe potentiam, ſeu facultatem videndi circa quodlibet datum, quod iuuat ad perſuadendum. Locat eam in genere potentiæ, quia ad vtrumlibet æqualiter ſe habet,& ex ijſdem locis, argumenta ad oppoſita eruuntur; vnde quum non ſit ad vnum determinata, non in genere actus, ſed potentiæ potiùs poni debuit. Dicta eſt verò potentia videndi, quod iuuat ad perſuadendum, in quo, licet ſpecialiter videatur tangere inuentionem, nempè excogitationem argumentorum, quibus fides adſtruitur, nihilominùs quia etiam diſpoſitio, & ornatus, nonnihil fidei dictis conciliant, ſiquidem argumenta, quamtumuis ingenioſa, langueſcere ſolent, niſi ſint opportunè diſpoſita, & debitis venuſtata coloribus; tàm elocutio, quam diſpoſitio, inuentionis nomine in definitione recenſentur, quum dicitur Potentia videndi quod iuuat ad perſuadendum.

Nec aliquem mouere debet, quòd quæſtionem infinitam Rhetoricæ videtur ſubijcere, dum eam dicit artem videndi circa quodlibet datum: Reuera enim, & infinita quæſtio, quam theſim Græci appellant, ab Oratoribus ſæpè tractatur: ſiquidem leuioribus nonnunquam velitationibus, argumentiſque imbecillioribus, è proprijs rhetorum locis depromptis, quæ apud ruſticos fidem faciunt ampliorem quam, quæ ex abditioribus ſapientiæ arcanis deſumuntur, diſſerendum eſt de abditis Trinitatis, aut Incarnationis myſterijs, de abſtractis intelligentijs, de mundi opificio, vel opifice, alijſque ad theſin ſpectantibus. Verùm tamen eſt, theſin ſemper ad hypotheſin, nempe quæſtionem infinitam, ad finitam, & circumſtantijs terminatam, eſſe ordinandam, quia iſta magis ad praxim accedit, quam, oratoria perſuaſio intendere debet, & propterea dicitur Oratoris propriam eſſe hypotheſim, in quo differt à Philoſopho ac Dialectico, qui nullatenus hypotheſin, ſed ſemper theſim ſpectant. Propria etiam Oratoris eſt quæſtio ciuilis, ac practica, vt Philoſophi theorica, ac naturalis, non enim ad iſtam, ſed ad illam impellendi ſunt auditores opere amplectendam. A theſi tamen ad hypotheſim facilis eſt egreſſus, & regreſſus, vt conſuetum, theoricam ad praxim ducere; Vnde dicere poſſumus, theſin eſſe Rhetoricę materiam adæquatam, & extenſiuam, hypotheſim verò, ſeu quæſtionem ciuilem, materiam proportionatam, & quodammodo ſpecificatiuam.

CAPVT SECVNDVM.

An Rhetorica ſit hominibus in ciuili vita neceſſaria.

RHetoricam in potentiæ genere collocauimus, haud ergo mirum ſi ad oppoſita ſe habeat, vt iuxta vtentis affectum, vel ad rectum inclinet, vel ad prauum. At, eo diligentior ei nauanda videtur opera à ſtudentibus pietati, quo ab impijs, ad obtinenda falſa dogmata, ſentitur adhibita. Sic Auguſtinus loquitur. *Quum per artem Rhetoricam, & vera ſuadeantur, & falſa, quis audeat dicere aduersùs mendacium in defenſoribus ſuis inermem debere conſiſtere veritatem, vt videlicet illi qui res falſas perſuadere conantur, nouerint auditorem vel beneuolum, vel intentum, vel docilem prohemio facere,*

iſti

iſti non nouerint, illi falſa breuiter, aperte, veroſimiliter; iſti ſic narrent vera, vt audire tædeat, intelligere non pateat, credere poſtremò non libeat. Illi fallacibus argumentis veritatem oppugnent, aſſerant falſitatem: iſti nec vera defendere, nec falſa valeant refutare. Illi animos audientium in errorem mouentes, impellenteſque dicendo, terreant, contriſtent, exhilarent, exhortentur ardenter; iſti pro veritate lenti, frigidique dormitent. Quis ita deſipiat, vt hoc ſapiat? Quum ergo ſit in medio poſita facultas eloquij, quæ ad perſuadendum, ſeu praua, ſeu recta valeat plurimum, quur non bonorum ſtudio, comparatur vt militet veritati, ſi eam mali ad obtinendas malas peruerſaſque cauſas, in vſus iniquitatis vſurpant. Hæc ille

Colligitur eius neceſſitas ex eo, quod homo nulla re magis, aut manifeſtius, quam dicendi facultate muta animantia antecedit, illa namque bonis corporis, robore, curſu, magnitudine, ſenſibus, nos longe præcellunt, ſed conceptus inuicem non comunicant. Turpe verò, nos totos corpori, portioni nempe brutali, incumbere, animo autem, ac ſermoni, quo bruta præcellimus, colendo, non vacare, maximè quum tantum cæteris hominibus eloquens præſtare videatur, quantum natus homo, brutis animantibus antefertur; ſiquidem vt homo pecora ac iumenta, ſic eloquens populos ciet, ac moderatur.

Vtilis etiam ad ſubdolas euertendas rationes; docet enim ſic illis, ex ſuis locis, occurrendum, vt, penſatis omnibus circumſtantijs, oppoſita ſuadere valeamus. Iuuat ad inſtruendum de faciendis, ad impellendum eos qui renuunt ad operanda: ad proteruos vel rudes, qui, eo quod non capiant, ſolidioribus non capiuntur argumentis, conuincedos, per leuiores rationes, ex huius artis locis petitas. Quum ergo tot ſint, huius artis vtilitates, eam meritò neceſſariam dicimus.

Qui verò explodere eam volunt, duplici vtuntur ariete, primò generatim eam ex hominum proturbant genere, pernicioſam eam aſſerentes, quod eius vſus maximè ſit contra veritatem: mendacium enim illius ambit fucari coloribus, vt recipiatur: veritas quò magis nuda, eò pulchrior, ac magis grata. Eius inſuper ope turbæ ſeditioneſque excitantur, vt apparuit in orationibus, vel Abimelechi ad Sichimitas, vel Ieroboami ad Iſraelitas, vel Demoſthenis in Philippum. Addunt ipſam pœnis ſceleſtos eripere, innocuoſque damnare, vt Socratem Policratis extinxit oratio, Aiacem, Vlyſſis actio in mortem egit.

Secundò

Secundò ab Eccleſiaſtis ſaltem eam ſtudent auerruncare, quod eâ Spiritus Sancti feruor tepeſcat. Quid enim, aiunt, neruoſius, quid ardentius, quid flammantius verbis, ex imo corde, à Chriſti gratia moto, manantibus? Vaporat tamen ſpiritus, languet calor, friget oratio, ſi diutiùs cogitatione verſetur, vt his fucis calamiſtretur. Hinc gloriatur Paulus, ſe non proceſſiſſe ad Euangelizandum in ſublimitate ſermonis, aut humanæ ſapientiæ verbis. Hinc ipſe præcepit Dominus, ne præcogitaremus quid, aut quomodo loqueremur, promittens ſe daturum ex alto, quid dicto opus foret. Vnde merito diris vapulauit flagris Hieronymus, quod nimium Ciceroni, eloquentiæ nempe deferret. Nec ſine cauſa, ſiquidem de idolothitis ſumere videtur, qui illi arti dat operam, quam ſcit Satanæ dicatam, vel in ſuperſtitionibus Ethnicorum, vel in hæreticorum blaſphemijs. Abhominemur ergo Rhetoricam, nihilo ſecius, ac Ioannes Cerinthum, imo eo potiùs, quo plùs periculi eſt, animo, quam corpore, cum noſtræ fidei hoſtibus conuenire.

Sed leui euertimus mole vtrumque arietem, quippe qui artificis vitium in artem transferre conetur; hæc enim in genere potentiæ locata, ad contraria vtique ſe habet, ille malus eſt, qui ea, qua ad bonum vti poterat, abvti maluit in prauum. Sic abigenda foret medicina, quę veneni compoſitionem docet, ſic auerruncanda bellica, tyrannicas cauſans oppreſſiones: ipſa quoque contemnenda ſapientia, quod ea quam plures ad vanam abvtuntur oſtentationem. Nō igitur mala Rethorica, ſed mali Policrates Ieroboamus, Abimelechus, alij, qui eam in malum vſurparunt. Nec abſque liuore, ea tantum in medium afferuntur, quę perperam geſſerunt Oratores, ijs omiſſis qui Rhetorica ſeruati fuere, ſedatæ populorum turbæ, coacti ciuium cætus, ipſæ denique Vrbes erectæ, eſto his, & maioribus bonis, tota ſcateat hiſtoria.

Secundum etiam infringimus, concedentes quod, quemadmodum Litterariæ candidatis, frigida, ac inepta contingit ſtructura, eo quod, ſtudentes, ne quid contra artis canones peccent, ſapidam non aſſequuntur orationem: at quum perfectè artem calluerint, iam opus non habent, loquuturi, illius prçcepta reſpicere, quinimmò quicquid in mentem venerit, illico congruè effari poſſunt. Ita Rhetoricæ tyronibus accidit, vt dum ad artis præcepta attendunt, flammatos ſenſus, quos corde conceperant, reddere nequeant. At emeritæ iam diſciplinæ Oratores, qui artem in naturam

ram mutarunt, ex arte, ſine artis reſpectu loquentes, omnem quemcumque igneni cordis conceptum, ſanctum potius, quam re tractum, in audientes eiaculare valebunt. Tales do Gregorios, Baſilium, Chryſoſtomum, Auguſtinum, aliosque quamplures ex noſtris, quos, vt arte prçcipuos, nullus leget, quin ignitis ſpiculiſse ſancium, ardentemque fateatur.

At; inquis, Dominus, eiuſque Apoſtolus, à Rhetorica nos dehortantur. Prorſus eo modo, ſicut & ab orando, quum dicunt ſcire Diuinum noſtrum Patrem quo indigeamus, nos verò neſcire quid petere debeamus. Verum, vt labor exercendus eſt, ſollicitudo tollenda, & orandus Deus pro noſtris neceſſitatibus, ei tamen cura relinquenda de modo, ac ordine nobis vtiliori, ſuæque gloriæ magis conformi, alioqnin, ſi abſque noſtro labore, ſperaremus Deum ad victum neceſſaria præbiturum, &, ſi, quum imminent mala, ad eum pro deprecando remedio, non confugeremus, crimen tentantis Deum non euaderemus: Ita ſi, quum licet, & ſuppetit tempus, orationes non paramus, diſponimus, vel ornamus, quibus, apud quoſque auditores, verba faciamus, ſed expectaremus à Deo, & à Sancto Spiritu, in nos deſcenſuras, Deum tentaremus, quippe qui adiutor in opportunitatibus perhibeatur, ſecus in temeritatibus, quum aliunde prouidere valemus.

Sed vapulauit Hieronymus, quòd eloquentiæ daret operam. Falſum hoc. Audiuit certè ſe Ciceronianum eſſe, non Chriſtianum; quia ſordebat ei Diuina ſcriptura, vnde meritò flagris emendari debuit, vt illam etiam euolueret, non verò quia eloquens eſſe cupiebat. Sed quid, quod hęc ars ſit dicata Satanæ in libris Gentilium, & hereticorum? Et quæ non ſcientia? quæ non liberalis diſciplina in illis reperiatur? Miſit tamen Diuina ſapientia, vocare ad arcem ancillas ſuas, has nempe humanas, ſeu naturales facultates, vt ei famulentur, quemadmodum contra ipſam ſteterant prius. Stet ergo nunc Rhetorica pro veritate, quæ apud impios etiam mendacium veroſimile, ac perſuaſibile fecerat. Et Chriſtianus quilibet, tam laicus, quam Clericus, forenſis, & Eccleſiaſtes, ex ea maximam capiet vtilitatem.

CA-

CAPVT TERTIVM.

De Partibus Rhetoricæ.

QVum tria conſiderari poſſint in Rhetore; ipſum nempe ſubiectum artis, ars ipſa, ſeu forma; & effectus qui eſt oratio compoſita à Rhetore vel Oratore: horum omnium partes ſunt aſſignandæ. Et quidem orator, à Fabio Quintiliano definitur, quod ſit Vir bonus, dicendi peritus, vnde duo in Oratore requirit, bonitatem ſcilicet, procedentem ex virtutibus moralibus, prudentia, iuſtitia, temperantia, fortitudine, ac earumdem partibus, alioquin, ſi cuius vita deſpicitur, eius reſtat, vt & oratio contemnatur; nec facile populus ſuaderi ſe ſinet, verbis illius, qui, quæ voce vituperat, moribus approbat. Poſita verò morum rectitudine, vlterius in Oratore requiritur dicendi peritia, quæ naſcitur ex regulis huius artis infra ponendis. Verum ne tantum ampulloſa proferat verba, vt de eo dici poſſit, quod de Catilina dixit Saluſtius *Satis loquentiæ; ſapientiæ parum*, oportet illum in omni diſciplinarum genere eſſe inſtructum, &, vel ſummis ſaltem labijs, omnem deguſtaſſe diſciplinam: ſiquidem, quum ex Ariſtotele, omnem ei ſubdiderimus quæſtionem, omnem callere debet ſcientiam, alioquin ſi de rebus penitùs ignotis verba facere debeat, nullatenus perſuadere poterit. Itaque Oratoris partes erunt bonitas, & ſcientia.

Ars verò ipſa Rhetoricę, has ponitur habere partes, nempe Inuentionem, Diſpoſitionem, Expolitionem ſiue Ornatum, Actionem, ſiue Pronunciationem, ac Memoriam. Verùm Memoriam ſub arte comprehendi non puto; à natura enim tribuitur, & ſi quæ ars eam conſeruare, vel etiam meliorare poſſit, ea non Rhetorica, ſed Medica erit, vnde de hac parte nihil dicendum exiſtimo. Illa verò quam localem appellant, diſpendij plus habet, quam compendij, ſiquidem tot memoriæ infixos habere locos, & ſcire, quid in quolibet ſepoſueris, tam rerum quàm verborum, memoriam confundit potiùs, quàm explicet. Actio, mimicam potius reſpicit, quam grauem oratoriam diſciplinam: Pronunciatio etiam liberalis eſſe debet, vnde de ea in calce tertij libri, aliqua delibabimus. Tres verò aliæ partes, propriæ huius facultatis

ſunt,

ſunt, vnde de ijs tres libros inſtituemus, in quos diuidemus hoc opus, agentes in primo de Inuentione, in proximo de Diſpoſitione, in poſtremo de Ornatu.

Oratio verò, quæ eſt opus, & effectus huius artis, ſuas etiam habet partes; diuiditur enim in proemium, ſiue exordium: narrationem, confirmationem, confutationem, & epilogum ſeu perorationem, vt de ſingulis in ſecundo libro agendum erit. Interim à communioribus, doctrinæ ordine auſpicabimur.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Inuentione.

CAPVT PRIMVM.

Quid & quotuplex ſit inuentio.

INuentio, eſt excogitatio argumentorum. Diuiditur autem in oratoriam, ac dialecticam: hæc inueſtigat propoſitiones vniuerſales, & à ſenſu remotas, quæ verè probabiles ſunt: illa, propoſitiones particulares, & magis ſenſibiles, quæ perſuaſibiles potiùs, quam probabiles extimantur. Hinc rhetor, poteſt vti locis dialecticis, Dialecticus non item Rhetoricis, quia non licet iſti ad ſingularia, & omnibus veſtitam circumſtantijs quæſtionem deſcendere. Oratoria ergo inuentiò, eſt excogitatio argumentorum ad perſuadendum idoneorum, ſiue talia ſint quæ fidem omnibus faciant, ſiue quæ alijs multis, nec ſolùm ſapientibus, alioquin foret dialectica, ſed etiam ruſticis, & idiotis.

Argumentum verò, quod inuentione quæritur, eſt Oratio rei dubiæ faciens fidem: & eſt duplex, nempè artificiale, & inartificiale: hoc eſt remotum à re, de qua agitur, cuiuſmodi eſt quod petitur à legibus, ab Oraculis, à Prophetis, à definitione Eccleſiæ, à tormentis, & teſtibus &c. illud vero eſt inſitum rei, de qua tractatur, & eſt vel moratum, vel patheticum, vel rationale, quorum primum conſideratur ex parte Oratoris, ſecundum ex parte Auditoris, tertium ex parte naturæ rei de qua agitur, vel eius circumſtantibus, de quibus omnibus in ſequentibus fuſe dicemus.

Forma qua argumenta proponuntur, duplex eſt, nam vel à particulari procedimus ad vniuerſale, ſiue ad inferendum aliud particulare, quod eſt argumentum ab exemplo, vt, Dauid pœnitens ſuſceptus eſt: ergo & omnis pœnitens, ſiue, ergo & Manaſſes. Vel ab vniuerſali inferimus particulare, aut aliud vniuerſale: Vt, ſi beati miſericordes, beatus quoque Dominicus, qui effuſiſſima benignitate, proximorum deflebat miſerias: vel, Beati qui ſuis abrenunciatis omnibus, nudi Chriſtum ſequi maluerunt. Et hoc argumentum, enthymema appellatur. Propriæ namque Rhetoricorum argumentorum formæ ſunt, enthymema, & exemplum, ſicut Dialecticorum ſunt, inductio, & ſyllogiſmus, quia enthymema eſt ſyllogiſmus truncus, exemplum verò, deficiens inductio.

Non tamen negauerim, Oratorem vti aliquando inductione, & ſyllogiſmo: nam ſicut non prohibetur dialecticus, quin vſurpet aliquando modum arguendi per enthymema, ſic & Oratori licitum erit nonnumquam ſyllogiſmum aſſumere, conſtantem nedum tribus, ſed etiam quatuor, & pluribus propoſitionibus; quum ſcilicet, vel ambabus, vel alteri præmiſſarum, probationem ſubijcit. Rarò tamen hanc ſibi libertatem vſurpat, tum vt artificium occultet, quod, agnitum, magis obeſt cauſę, quam proſit. Tum vt auditores reddat beneuolos, dum oſtendit ſe de eorum ingenio confidere, ideoque non indigere alteram propoſitionem exprimere, quaſi illam in illorum animis expreſſam iam legens. Si tamen ſermo apud rudes foret, ad lucidiorem reddendam Orationem, omnes enucleandę forent propoſitiones, & ſyllogiſmis vti præſtaret.

Sed quia, præter formam, in omni argumentatione conſideranda eſt etiam materia, hæc apud Oratores, eſto nonnumquan ſit neceſſaria, maximè, quum Oratio eſt didaſcalica ſeu doctrinalis, propria tamen eorum eſt contingens, quia ferè ſemper eſt actio humana, nempe libera: Hinc Ariſtoteles Oratori pro materia ſubijcit veroſimilia, & ſigna: vt veriſimile eſt, mulierem animo imbecilliorem, mollioremque eſſe. Iudith tamen virago fuit, quæ Holofernem, & Debora, quæ Siſaram interfecit: Machabæorum quoque mater, quæ tam forti animo, ſeptem filiorum pertulit necem, vt etiam illos ad mortem ſubeundam adhortaretur. Sic & innumeras in nouo teſtamento, viragines fuiſſe cognouimus.

Signa verò, quæ ſunt alia Rhetoricæ argumentationis materia,

rem vel antecedunt, vel ſequuntur, vel concomitantur: Ab antecedenti ſigno, argumentum ſumitur Matthei 16. quum ex rubedine ſerotina, ſignificata dicitur futura ſerenitas: Signum conſequens fidem Diſcipulorum Chriſti, ponitur Marci 16. morborum energumenorumque curatio: Signum concomitans, Angelus dedit paſtoribus Lucæ 2. quum eos docuit rationem cognoſcendi natum Meſſiam, ſi inueniſſent Infantem pannis inuolutum, & in præſepio reclinatum.

Arcent nonnulli ſigna à Rhetoricæ materia, eo quod, ſi ea rem euidenter demonſtrent, ad eamdem comprobandam, argumento non ſit opus: ſi verò ſit anceps, hanc ne, vel illam rem deſignent, argumento vſui non erunt, quum ad ea firmanda alio ſit opus argumento. Huiuſmodi tamen non mouent, ſiquidem ſigna, etiam indubitata, Oratione ſunt explicanda: Vt, luminaria, certiſſima ſigna ſunt, ex Dei ordinatione, temporum ac dierum, & tamen hoc ipſum, conuenienter ſermone manifeſtatur. Alioquin, ſi quoties res certò demonſtrari poteſt, oratio foret tollenda, reijciendæ forent ſcientiæ, quæ, ex certiſſimis, demonſtratiuè procedunt. Sin verò ſigna ſint dubia, illa, quamuis ſigillatim non conuincant, multiplicata tamen, vehementem ingerunt ſuſpicionem. Vt, aduerſus Cain negantem Abelem à ſe occiſum, dicere poſſes. Tu inuidus, bonorumque fratris oſor, cum eodem, & ſolus cum ſolo, in agrum deſcendiſti, ibi ſanguis effuſus cernitur, qui aduerſùs te clamat, tuuſq; concidit vultus, & os verba profert tertiata, læſæ ſignum conſcientiæ: tu ergo illum confodiſti. Nullum ex his ſignis rem manifeſtè declarat, ſed ſimul iuncta ſatis eam confirmant.

CAPVT SECVNDVM.

De locis, qui ſunt ſedes argumentorum.

Argumenta, quę ad fidem faciendam eorum, quæ dicimus, excogitanda veniunt, & ſunt inſita rei de qua agimus, ſunt vel dianoëtica, vel ethica, vel pathetica: nempe, vel naturalia, vel affectiua, vel morata: de iſtis in ſequentibus erit ſermo: de naturalibus, certum eſt erui ex locis, locus enim eſt ſedes, domicilium, elementum, ſiue principium, vnde ſumitur argumentum.

Vnde qui locos attentiùs conſiderauerit, is proculdubio, argumentis ad fidem faciendam idoneis, abundabit: fieri enim non poteſt, vt ei rationes deſint, qui huiuſmodi locos, & argumentorum ſedes, vigilanti percurrerit mente. Opus tamen erit, prudenti vti delectu, non enim omnes eamdem exhibent efficaciam, ideoque illos miſſos facere debet, qui præſenti materiæ minùs congruunt.

Sunt autem huiuſmodi loci, vel vniuerſales, deſeruientes cuilibet arti, facultati, ſiue ſcientiæ, qui ſunt proprij dialecticæ, quę omnium dicitur miniſtra: & hos Orator etiam inſpicere debet, immò & Tullius hos, tamquam Rhetoricæ proprios, tractauit; Ariſtoteles tamen, Rhetorum non minùs, quam Philoſophorum princeps, dialecticos illos voluit eſſe, eſto quia, huiuſmodi artes ſibi mutuò dant manus, loci iſti ab oratoribus frequentiùs vſurpentur. Alij verò ſunt particulares, & proprij Rhetoricę. De vtriſque in ſequentibus agemus, & priùs de vniuerſalioribus, quos dialecticæ proprios eſſe diximus. Non tamen omnes explicabimus, tum quia alterius (vt diximus) ſunt facultatis, tum quia alij ſunt minùs famoſi, & non ita frequenter in vſu. Paucos verò quos recenſebimus, breuiter percurremus, quia ab alijs paſſim dilucidantur, & eorum notitia omnibus inuecta creditur.

CAPVT TERTIVM.

De locis Topicis ſeu Dialecticis.

INter hos, chorum ducit oros, nempe definitio, rei naturam, explicans, ac eſſentiam, à qua argumentum ſumimus, cum ei negamus nomen, eſſentiam, vel naturam rei, cui definitio non conuenit: vel è conuerſo, ſi definitio alicui conueniat, nomen quoque, & eſſentia, per definitionem explicata, eidem conuenire debet. Vt quia inuidia eſt dolor de aliena felicitate, ſi de aliquo negetur hic dolor, is inuidi nomen non merebitur: quod ſi ſit inuidus, talem profectò dolorem habebit.

Quia tamen Oratores frequenter apud rudes populos agunt, qui intimam cuiuslibet rei naturam, perſpicere neutiquam valēt, macrum illum, adſtrictumque philoſophorum definiendi morem, miſſum facientes, floridum aliud ac pinguiorem conſectantur,

tantur, quo ex multis accidentibus, rei natura deſcribitur, hæc enim maximam partem conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt, & quia ſunt manifeſtiora, maiorem ſuſcipiunt amplificationem. Et reuera, frequentiùs accidit, vt cui omnia illa, quæ definitionem integrant, conuenire demonſtrantur, eidem definiti nomen, & natura, ineſſe debet, contra ſi non omnia. Et hinc anſa datur dicendi in oppoſitum, quod mutila, vel redundans fuerit definitio, ſeu quod alijs, vel non omni definito conueniat. Sic Diogenes, audiens Platonem definiſſe hominem, quod foret animal pulchrum, implume, bipes, deplumatum gallinacum in medium proiecit, inquiens, en homo Platonicus.

Delectat maximè hic locus quum definitio datur per oppoſita, vel per ironicam contentionem, nempè referendo priùs quid res non ſit, deinde quid reuera ſit. Vt, Num medicum exiſtimabis eum, qui longam nutriat barbam, ac latam ornatamque priuilegij membranam habeat, & non potiùs eum qui doctrina ac experientia, cuilibet nouerit morbo cauere? Vel, vt Perſius inquit, mera libertas eſt quam vindicta & pilea donant, quam tamen nactus fuerat homo treſſis, vappa, & lippus, vitiorumque ſeruus: vera ergo libertas eius eſt, qui proprio dominatur animo, nec cupiditatibus ſeruit.

Huic ſuccenturiamus locum à notatione, ſeu nominis ethymologia, nempe quum à vocum ſimilitudine, rerum, ſiue naturarum argumentamur conuenientiam, vt, ſi Cælibes Cælites dicamus, quod ab vxorijs curis liberi, Cæleſtibus tantùm vacent. Cui affinis eſt locus à Coniugatis, ſiue à caſibus, quum voces, vnum habentes principium, variè deflectuntur: & tunc maximè delectat, quando cùm ſimilitudine vocis, ſtat ſenſuum diuerſitas: vt, ſi meritò Verrem dictum affirmes, quòd domos verreret, ac prouincias. Sic Eſau, meritò ſuum fratrem vocatum dicebat Iacob, ideſt ſupplantatorem, quòd eum ſupplantauerit à primogenitura, & à paterna benedictione. Quia tamen hic locus ſcurrilem plerùmque, apud emunctas nares, argumentationem præbet, aliquo figurarum lepore condiendus eſt, vt hyperbole, aſteiſmo, paranomaſia, vel ſimili.

Secundus eſt locus à toto ad partes, & è contra, qui latiſſimè patet, ex quo ſumitur argumentum, nam cui conuenit totum, ei & partes, vel earum aliqua ſaltem conuenire debet. De quo verò negatur totum, & partes negandæ ſunt: vt, quia de virtute dicimus,

dicimus, eſſe honeſtam, iuſtitia & temperantia &c. quæ virtutis ſunt partes, honeſtæ erunt. Et quia gradientibus ſenſum concedimus, tactum negare non debemus, quia ſenſus eſt. In hoc loco fit enumeratio partium, quibus totum exhauritur, ad ipſum tollendum, vel etiam ponendum, ſi ſit totum integrale, vt, ſi ſit fundamentum, paries, & tectum, eſt domus, quæ nequaquam erit, ſi aliquod eorum defuerit. Si tamen ſit domus, illorum quodlibet, & illa omnia erunt. Ad ponendum tamen totum vniuerſale, quod appellant genus, ſatis eſt vnius partis affirmatio, vt ſi ſit Sortes, homo vtique, & animal, & viuens ac ſubſtantia erit. Ad negandum vero hoc totum, nón ſufficit negatio alicuius partis, imò omnes erunt auferendæ, non enim ex eo quòd non ſit Sortes, ſequitur non eſſe hominem, quum poſſit eſſe Plato: ſed ſi non ſit Sortes, nec Plato, nec aliquod aliud indiuiduorum huius naturæ, tunc rectè inferes non eſſe hominem. Hic ergo locus maximas præbet orationi diuitias, vt meritò pœnum implere dicatur, maximè quum exornationes admittat ab anaphora, diſtributione; ſubiectiòne, congerie, atque alijs: de quibus in ſchematologia dicendum.

Tertiùs eſt locus à cauſis, qui etiam ampliſſimam dicendi copiam præbet, multaque, & ea efficacia præbet argumenta. Sunt autem quattuor principes cauſæ, materia ſcilicet, forma, efficiens, atque finis, ad quas aliæ reducuntur, vt idea, ſiue exemplar, inſtrumentum, conſilians, adiuuans, fauens, & aliæ, quibus addere poſſis, quas vocant per accidens, vt caſum, atque fortunam: quæ ſi ſeorſum omnes circumſpiciantur, mirùm quàm multiplicia dent argumenta.

Non admodum remoratur oratorem materia illa Philoſophica, quę eſt primum ſubiectum ex quo fit aliquid, & quę omni eſt actu deſtituta; nam quum de ſe ſit valde obſcura, tenebricoſam redderet orationem. Potiùs ergo aliam attendit materiam, quam poſſis appellare ſecundam, quomodo materia cathedrę eſt lignum, vrcei argilla, calicis aurum &c. A materia commendantur Salomonis vaſa, & Templum. Ab eadem conſulere poſſes quempiam, vt ad cęleſtia, & ſpiritualia ſe conuertat, quando immortalis animus, cum corruptibilibus, & quæ infra corpus ſunt, communionem habere non deceat. A materia ex qua aliquid fieri ſolet, tunc effectum inferre licebit, quando aliæ cauſæ non deſunt, alioquin nullum eſt argumentum. Vt, Epulo, pecuniam,

vel aurum præ manibus habet: dabit ergo in eleemoſynam Lazaro; non ſequitur, defuit enim voluntas.

Forma etiam, quam philoſophus attendit, parum fauet Oratori, vnde non admodum circa illam ſollicitatur: quum enim illa ſit actus primus corporis phyſici, naturam, reique eſſentiam intrinſecè conſtituens, adeo eſt obſcura, vt de illa apud rudes ſermonem facere, perindè foret, ac aſinos ad lyram vocare. Ideoque Orator, frequentiùs accidentalem, ac externam, & artificialem conſiderat formam, quæ vberiorem dicendi præbet materiam, ac luculentam reddit orationem. Vt verò, ſi materia, ita & ſi formam deſtruas, argumentum, quod ab ea ducebatur, planè labefactatum erit. Ad poſitionem tamen ſolius formæ, vel ſolius materiæ, non ſequitur poſitio effectus, niſi alię adſint cauſę.

Efficiens eſt, à quo fit aliquid, & eſt multiplex, aliud primum, & vniuerſale, vt Deus vel Cælum, aliud proximum, & particulare, vt homo, vel ignis: Aliud principale, vt Sortes, aliud inſtrumentale, vt calamus. Similiter eſt, adiuuans, iubens, conſilians, & mille tales ſunt efficientis diuiſiones, quas proſequi longum foret: ex eis tamen multa, & efficacia ducuntur argumenta. Quorum vis in eo ſita eſt, quòd ſi ſufficiens adſit cauſa, & non impedita, effectus poni debet. Si tamen cauſa omnino deſit, nullus erit effectus: vt, ſi ſol eſt, non continuò lux eſt; quia potuit impediri per Eclypſim: ſi verò non eſt ſol, nec lux eſſe poterit.

Finis denique, Deliberatiuo maximè generi, multam affert copiam: attenditur enim cuius rei gratia, quoue animo aliquid fiat. Ex fine autem humanæ actiones bonitatem, vel malitiam nanciſcuntur, vt pœna, vel premio dignæ fiant. Sic ex fine ſcimus Theologicas moralibus preſtare virtutibus. Ex fine etiam ædificia variamus, vt aliter fiant, quæ voluptati, aliter quæ præſidio eſſe debent.

A cauſis effectus procedunt, eiſque correſpondent, vnde locus ab effectis, eamdem amplitudinem, imò & maiorem habet, quàm locus à cauſis, ſecundum quod ab eadem cauſa plures dimanare poſſunt effectus, ſiue tantùm accidentaliter, ſi cauſa ſit particularis, & vniuoca, ſiue etiam eſſentialiter diuerſi, ſi cauſa ſit æquiuoca, & vniuerſalis; ab vno enim igne plures calores, & ab vno ſole, tam aurum in terræ viſceribus, quam vegetabilia in ſuperficie, & iris in nubibus, producitur &c.

Modus arguendi in his locis eſt, quod effectuum præſtantia, cauſæ

cauſæ arguit bonitatem iuxtà illud : *Omnis arbor bona bonum fructum facit , non poteſt arbor bona , malum fructum facere , nec arbor mala , bonum fructum facere* : ſi ergo cauſa fuerit bona , bonum quoque producet effectum : & è contra , ſi effectus fuerit prauus, nequibit eius propria, & per ſe cauſa, honeſta eſſe: vt ſi rectus fuerit effectus , propria illius cauſa non erit niſi laudabilis : vt ſi bonum eſt lumen , bona & illuminatio ab eo procedens , & è contra , quum hæc bona ſit , illud quoque bonum erit . Si verò malum ſit priuari gratia, & Dei inimicum coſtitui, addicique gehennæ , malum erit peccatum , per quod hæc mala incurruntur : & ſic hoc conſtat eſſe malum , malum erit à Deo eſſe extorrem, quod eſt effectus illius . Aduerſarius autem dicet, aſſignatum effectum non eſſe proprium, & per ſe illius cauſæ : vel hanc non produxiſſe ex proprijs talem effectum , ſed huius malitiam ab alia procedere cauſa . Vt ſi dicatur, gladium eſſe malum, quia per eum fit homicidium , quod malum eſt : vel, religionem eſſe vituperabilem , quia in ea hic vel ille religioſus , immortificatè viuunt , quod malum eſt: reſpondebitur, malitiam non gladij, ſed eſſe vtentis: nec religionem , ſed eos Religioſos qui ſuæ vocationis immemores viuunt , eſſe vituperabiles , vnde ad aliam cauſam recurrendum , quæ ſit propria illius effectus : & proportionaliter de effectis dicendum .

Quartus eſt locus à ſimili, quo, vt difficile inuenies alium debiliorem contra renitentem , ita nec iucundiorem, vel magis vtilem ad trahendum ſponte ſequentem : adfert enim lucem ijs, quæ dicuntur , & dum animum ab vno transfert in aliud obiectum , ipſa nouitate delectationem ingerit , nauſeamque prohibet : imò & quæ ſimpliciter prolata, leuia , nulliuſque momenti eſſe videbantur , fortia , & efficacia exiſtimari facit . Si enim dicas, non multùm ad Imperatoris victoriam detrimenti adferre militum fugam , planè paradoxon dixiſſe videberis, ſiquidem Imperator nonniſi per milites pugnare & vincere debet , vnde ijs fuga dilapſis , non eſt vnde ſibi victoriam ſperare liceat : hoc tamen paradoxon , per ſimile redditur perſuaſibile , dicendo: quemadmodum flumina ſubducta mari , illud non minuunt , ita nec milites ab Imperatore dilapſi , curſum triumphorum illius remorari poterunt: ex quo conſtat , huiuſmodi locum non ſolùm exornationi deſeruire , ſed etiam, quandoque, probandi vim habere , ſiquidem , quod ſimilium vni conuenire dignoſcitur , & alteri

con-

conuenire par erit. Similitudo autem, vel eſt ſimplex, quæ proportio dicitur, nempe quum vna res vni, & ſecundùm vnam tantum confertur proprietatem, vt quum auarus pecuniam appetens, dicitur ſimilis hydropico, aquam ſitienti. Vel eſt multiplex, quum vna res ſecundum plures proprietates confertur, vel alteri rei, ſimiliter ſecundum plures proprietates: vel multis rebus habentibus illas conditiones: vel quum plures, rebus pluribus aſſimilantur. Ex quo loco cognoſcitur is, qui dicitur à diſſimili, quia contrariorum eadem eſt diſciplina, & vnum dat aliud cognoſcere. Arguitur verò ex eo, quod id, quod vni diſſimilium conuenit, nequit alteri conuenire, immò potius oppoſitum eius, quod ineſt vni diſſimilium, ineſſe debet alteri.

Et huic affinis eſt locus à comparatis: nam ſi comparatio ducatur à pari, eundem tractandi modum habet cum loco à ſimili; quod enim vni parium conuenit, & alteri conuenire videtur, in eo ſaltem in quo paria eſſe dicuntur. Comparationes verò, nedum trahuntur à pari, ſed etiam à maiori vel minori: quæ aliter tractari debent. Locus enim à maiori, fundatur in eo, quòd ſi non conuenit id, quod magis videbatur conuenire, profectò nec quod minus: Vt, ſi cum peditibus currens laboraſti, quomodo contendere poteris cum equis: Vel, ſi propter Deum nec duriuſculum ferre verbum potuiſti, quomodo verbera, cædemque ſuſtinebis: Vel, ſi exteriorem non præbes amicis ſubſtantiam, quomodo vitam pro ijs expones? Vel, ſi Rex innumeris circumdatus veteranorum copijs, vrbem expugnare non valuit, quomodo exiguus dux, parua gregalium tyronum collecta manu, aduerſus eandem præualere poterit? Locus verò à minori, vim habet ex eo, quod ſi, idquod minus videbatur ineſſe, nihilominus ineſt, certè & id, quod magis: vnde à minori ſumitur argumentum ad firmandum, & ſuadendum, à maiori vero ad negandum, & diſſuadendum. Vt, ſi tam hilariter mortem pro veritate oppetijt, temporalium iacturam, pro eadem libenter paſſus fuiſſet. Vel, ſi Abraham in filij oblatione fuit obediens, etiam in gregum immolatione obediſſet. Si Gedeon, cum ſolis trecentis, innumeras Madianitarum copias ſtrauit, multo plures, cum tota Iſraelitarum proſtraſſet phalange.

Ducuntur autem comparationes ab exemplis, ſiue veris, & hiſtoricis, ſiue fictis, & fabuloſis, apologis, & parabolis, & vtraque vel breuiter tractari poterunt, vel latiùs. Quando tractantur latè,

icebit præfari in eorum laudem, ſi fuerint hiſtorica, commendando illa à perſona cui acciderunt, vel à gente vbi euenerunt, vel,(& hoc etiam ſi fuerint ficta) à Scriptore, qui ea narrauit. Illud tamen obſeruandum, ne huiuſmodi præfationes alienæ ſint à negotio, de quo agimus; vt ſi de religione ſit ſermo, extra chorum canere videberis, ſi præfationem de prudentia, aut fortitudine, vel aliàs quàm de religione habueris. In fabuloſis, ſi pro veris recipiantur, fide valent, ſi pro fictis, vt ſunt, valent eò, quòd à ſapientibus conficta ſciantur, vnde præfatio adhibebitur, quod non temerè fuerint iſta, tot ſeculis, magno mortalium celebrata conſenſu.

Apologus, qui eſt ſermo rei mutæ tributus, eodem tractatur modo, vnde latè apologum de Caſſita auicula Gellius narrat: conciſè tractabitur, ſi egregiè dictum, vel factum alicuius, videas ab inuidis lacerari, & dicas: non eſſe mirum ſi gemmam aſpernetur gallus Æſopicus: vel ſi, in eum qui, eo, quod illuſtres ſit nactus maiores, quamuis vileſcat in ſordibus, dilatat philacteria, intorqueas illud, Caue ne tibi eueniat quod Æſopi corniculæ. Sicut autem exemplo narratur res geſta ad ſimilitudinem alterius, ſiue geſtæ, ſiue gerendæ, vt Regulus rediens ad Pœnos occidendus, exemplum eſt fidei, etiam hoſtibus ſeruandæ: ita parabola continet ſimilitudinem, caſu, vel natura adiunctam, vt, nauis pro ventorum vi huc, & illuc transferens velum, parabola eſt, docens, ſapientem debere ſe tempori accommodare: quæ etiam breuiter tractatur, vt, Deſine laterem lauare, quum dicere volumus, fruſtraneum eſſe laborem in aliqua re.

Ex his cognoſcitur locus ab oppoſitis: Oppoſitorum autem quattuor ſunt genera, quædam enim ſunt contraria, vt pax & bellum, calor & frigus, album & nigrum: quædam priuatiua, vt mors & vita, lux & tenebræ, viſus & cæcitas, quædam relatiua, vt datum, & acceptum pater & filius, dominus & ſeruus: quædam contradictoria, vt pax & non pax &c. Vis arguendi in iſtis, ſtat in eo, quòd ſi vnum oppoſitorum, affirmetur de aliquo, ſaltem ſecundum aliquam portionem, de eodem, ſecundum eandem partem, negandum eſt reliquum, vt ſi de veſte dicitur, quòd ſit alba, illa nec nigra poteſt eſſe, nec non alba: & ſi Æthiops eſt albus ſecundùm dentes, non poteſt ſecundum dentes eſſe niger, vel non albus. Si Sortes Platonis eſt pater, nequit eiuſdem eſſe filius, & ſi eſt viuus, non poteſt eſſe mortuus. In ijs verò oppoſitis, quę me-

medium admittunt, vt ſunt contraria, & relatiua, ad negationem vnius, non ſequitur poſitio alterius. Vt, ſi veſtis non ſit nigra, non propterea bene infertur eam debere eſſe albam, quum poſſit crocea vel viridis eſſe: nec ſi Plato Sortis non ſit diſcipulus, ſequitur illius eſſe magiſtrum, quum neutrum eſſe poſſit, & diſparate ſe habere. Et hinc innoteſcit etiam locus à repugnantibus: ſunt enim repugnantia, conſequentia contrariorum, videlicet vnum contrariorum, cum eis, quæ alterum conſequuntur: vt amare, & odio habere, contraria ſunt; ad amare ſequitur diſſimulare, parcere, laudare &c. ad odio habere, maledicere, conuiciari, cædere &c. vnde amare, & cædere, aut conuiciari: odio habere, & diſſimulare, aut parcere &c. repugnantia ſunt. Ab affirmatione ergo vnius repugnantitium, ad negationem alterius, bene procedimus: non ita à negatione vnius, ad poſitionem alterius.

Vt alios omittamus, vltimus eſt locus argumentorum coniecturalium, qui appellatur ab Adiunctis, ſeu à Coniunctis, Adiuncta verò ſunt, quæ & Circumſtantiæ appellantur, nempe Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, quur, quomodo, quando. *Quis* reſpicit perſonam, in qua attendimus tum animi, tum corporis, tum fortunæ bona. In animo conſideramus paſſiones iræ, miſerationis &c. & vitia, vt auaritiam, ambitionem &c. & virtutes morales, vt iuſtitiam, fortitudinem &c. vel Theologicas, vt fidem, ſpem &c. vel Theoricas, vt Mathematicam, Philoſophicam &c. In corpore ſpectamus figuram, ſpeciem, formam, colorem, robur, agilitatem &c. In fortuna diuitias, genus, dignitates &c. Vt improbus cenſeatur, qui ex improbis natus ſit, vel perfidus habeatur, qui ſit Pœnus. Sexus etiam ſpectatur, quia mulier, mollis, & mutabilis indicatur; ætas quoque, nam pueris ignoſcendum eſt magis quam viris: Victus quoque & educatio, quia malus ſupponitur, qui malis conuiuit, ac prauè fuit educatus. Nec minùs conditiò, nam & diuites ſolent ſuperbire, & ſerui, ſi regnauerint, terram ſubuertere ſolent. Actio etiam, oportet enim ſceleratũ eſſe, qui creditum abiurauit; Et conſilium qui enim ſtudioſus eſt, voluptatibus operam non dat. Et facta, nam ei committi debent, quæ fortitudine indigent, qui fortiter alia geſſit.

Quid, reuéra, potiùs quam adiunctum, adiunctorum eſt ſedes, eſt enim breuis negotij complexio, ſummam facti continens, vt patriæ proditio, ærarij expilatio, fideì teſtificatio &c.

Vbi, multoties eleuat, aut minuít facti, ſiue rei grauitatem, vt

atrocius eſt delictum, commiſſum in foro, in aula principis, vel in loco ſacro &c. Attenduntur etiam locorum aſperitas, & planities, grauitas,& ſalubritas,frequentia,& ſolitudo &c.ex quibus laudantur vel vituperantur, & ex ijs deriuantur laudes, vel vituperationes in perſonas, vt in anachoretas, in Adæ Paradiſum, in Ioſephum &c.

Quibus auxilijs attendit miniſtros, & inſtrumenta, nam laudabilius eſt,ineptioribus inſtrumentis, aut miniſtris,præclarum aliquod opus feciſſe: vt vituperabilius, nec his, à malo tentando, fuiſſe reuocatum.

Quur inueſtigat cauſam, maximè finalem, & impellentem, vt cognoſcatur quo quis animo aliquid egerit, vel loquutus fuerit, vt qua intentione adactus quis fuerit ad furandum, num vt propriæ ſuæ,vel ſuorum extremæ conſuleret neceſſitati,vel,vt mæcharetur, luderet, aut ganeis conſumeret & helluaretur.

Quomodo, rei geſtæ ordinem petit, expoui,à capite ad calcem, iuxta veriſimilem narrationem, in qua,argumentorum ſemina ſeri debent.

Quando denique deſignat tempus, & temporum differentias, quæ non ſolùm ſunt præſens, præteritum, & futurum, ſed etiam æſtiuum, vernum, brumale, & autumnale, feſtiuum, & feriale, nundinarum, & negociorum, pacis, & belli, tempeſtatis, vel terræmotus, diei,& noctis &c. grauiùs enim punitur fur nocturnus, quam diurnus, & multocies grauiùs peccat, qui die feſto, quàm qui feriali delinquit. Tractatur etiam occaſio, quæ, ſupra tempus addit opportunitatem pro re facienda, vel omittenda.

Ab huiuſmodi ergo adiunctis argumenta ſumuntur, quæ eo ſunt efficaciora, quò vel plura coaceruantur, quæ mutuò ſe inuicem iuuent, vel, ſi ſint pauciora, propiùs rem contingant, ita namque fieri non poteſt, quin ſaltem vehementem ingerant ſuſpicionem. Aduerſarius autem,argumenta ab adiunctis eneruabit,dicendo,ea eſſe incerta ac mutationi obnoxia,quę alijs poſſint conuenire, ideoque nullatenus ijs credendum.

Ad hunc ab Adiunctis,reduci poteſt locus ab Antecedentibus, & conſequentibus, qui manifeſtiùs res oſtendit, quàm locus ab Adiunctis: poſitis enim antecedentibus,vt plurimum conſequentia poni debent, & aliquando infallibiliter: & ijs remotis, neceſſariò illa auferuntur, vt,ſi ſol eſt, dies eſt: Si vir eſt, puer fuit. Conſequentia enim,arguunt antecedentia pręceſſiſſe;quòd ſi hæc

non

non fuerint, videtur quòd nec illa præceſſerint. Aduerſarius verò dicet, fuiſſe quidem illa, ſed impedita, ne ſequerentur conſequentia. vt plantata arbor, & demùm exciſa, fructus non dedit.

Ad eumdem reduci poteſt locus à Communiter accidentibus. Communiter autem accidentia ſunt, quorum vnum ſemper, & neceſſariò, vel ſaltem, vt plurimum ſequitur alterum: vt gemmare ſemper, & neceſſariò antecedit florum, & botrorum emiſſionem, & ſimiliter conceptio partum. Habere verò naſum aquilinum præcedit magnanimitatem, ſaltem, vt plurimum: Vnde phyſiognomici ex illa iſtam demonſtrant, ſecundum vim illatiuam. Et idem dicimus de alijs ſignis, tam phyſiognomicis, quàm naturalibus, vt ex Cometa inferimus bella, tempeſtates, terræmotus, mortes Principum, peſtes, caritatem annonæ, & ſimilia. Ex Caſtore etiam, ac Polluce, inferimus ceſſationem tempeſtatis, & idem de alijs ſignis metheorologicis, & naturalibus. Et hæc de locis topicis, ſeu dialecticis dicta ſufficiant.

CAPVT QVARTVM.

De locis Rhetoricis generalibus pro omnibus generibus cauſarum.

DIcebamus, ſedes argumentorum, nempe locos eſſe, vel communes omnibus cauſarum generibus; vel proprios ſpecialiterque addictos vni ex illis: de his in ſequentibus agendum erit. Communes inſuper dicebamus eſſe, vel Dialecticos, quorum eſt vſus in omnibus fere diſciplinis, de quibus in præcedenti capite diximus: vel Rhetoricos, de quibus in præſenti dicere inſtituimus. Hi ab Ariſtotele quattuor tantum, ſiue duo paria eſſe dicuntur, nempe poſſibile, & impoſſibile, & magnum, ac paruum.

Poſſibile & impoſſibile, eandem vim habere videntur, cum loco Dialectico à comparatis: comparatione ducta ab inæquali, & diſſimili, vt poſſibile ſit idem cum loco à minori, impoſſibile verò cum loco à maiori: ſi enim non ineſt, quod magis conuenire videbatur, impoſſibile videtur, quod inſit id quod minus: & ſi quod minus videtur conuenire, conuenit, poſſibile eſt, quod conueniat id quod magis. Hinc in genere Iuridiciali, Pharaonis filia, argumentabatur ab impoſſibili, vt Moyſem defenderet, qui Regium conculcarat diadema, quaſi foret impoſsibile, quod tenellus

BIBLIOTECA ... ROMA

ñellus puer, ex ſeruili Hebræorum genere ſatus, in Regię Maieſtatis contemptum, tantum nefas auſurus foret: qui nihilominus, vt Ioſephus refert, non priùs fuit abſolutus, quàm probatione famoſa ignitorum carbonum, innocentem ſe probauit. Aduerſarij namque, crimen illi impingebant, quod ortus foret ex tali ſanguine hominum, qui Deos Ægyptios contemnebant, vnde non mirum ſi, etiam ab vberibus, nec Regem reuereretur. In genere verò Deliberatiuo, ab hoc loco argumentabatur Saul, vt Dauidem à Monomachia cum Goliathe retraheret, quod impoſſibile foret eum, puerum, & inermem, bellandique neſcium, poſſe præualere aduersùs Philiſtæum illum, qui nedum adamantinis quodammodo incedebat armis protectus, ſed ab adoleſcentia in bellis enutritus fuerat: Dauid verò aſſerebat poſſibilem ſibi fore victoriam, tum quia ipſemet puer, & inermis, vrſum, ac leonem interfecerat, quibus robuſtior non videbatur hoſtis, qui prouocauerat: tum etiam, quia quum inimicus exprobraſſet exercitui Dei viuentis, Diuinam vindicem maieſtatem, ac potentiam ſibi propitiam, hoſti verò infenſam certò ſperaret. In genere denique Demonſtratiuo, ab impoſsibili arguebat Moyſes in cantico, aſſerens impoſsibile fore, quòd vnus perſequatur mille, & duo fugent decem millia, *niſi quia Deus ſuus vendidit eos, & Dominus concluſit illos*. Eleuatur verò impoſsibilitas, adſtruendo poſsibilitatem.

Conſimilis tractandi ratio, eſt in loco de Magno, & Paruo: conſideratur enim quid magis, quidue minùs expediat. Ita paterni conſiliarij, magis Roboamo expedire iudicabant, acquieſcere populi petitionibus, in relaxatione tributorum, vt eum in perpetuum ſeruum haberet. Iuniores verò, ab eodem loco argumentum Deliberatiui generis ſumpſerunt, conſilium dantes, forte magis quàm prudens, per quod decem tribus, à Roboami Regno ſunt diuiſę. Sic in genere Iuridiciali, Michol increpita à Saul, quod Dauidem inimicum, & maieſtatis, vt ipſe affirmabat, reum, in Regis patris periculum, incolumem emiſiſſet; delictum extenuat, quòd & maritus foret, & mortem, ni taceret, comminaretur. Nec minùs in Demonſtratiuo genere, ab hoc loco argumentabatur Chriſtus Dominus, quum aſſerebat, ſe eſſe pluſquam Ionam, Salomoneque maiorem, Niniuitas tamen auſcultaſſe Ionæ, & Saba Reginam à finibus terræ veniſſe Salomonis audire ſapientiam; Iudæos verò ſe contemnere. Par ratio fuerit

ſi quis

ſi quis dicat, Pythagoram, Platonem, Apollonium Tianæum, ac alios, exteras adiſſe Prouincias, & apud barbaras, feroceſque peregrinatos fuiſſe nationes, quo humanæ ſtuderent ſapientiæ; fideles verò, coram poſitam, Cæleſtem, ſolidamque, Diuinam aſpernantur ſapientiam.

TRACTATVS TERTIVS.

De cauſarum Genere Deliberatiuo.

CAuſarum, ſeu finitarum quæſtionum, proprios argumentorum locos habentium, tria eſſe dicuntur genera, Deliberatiuum ſcilicet, Demonſtratiuum, ac Iuridiciale: nam, quod quidam addunt Didaſcalicum, ſeu doctrinale, id non pertinet ad quæſtiones finitas, circumſtantijſque limitatas, vnde eo vtuntur philoſophi, cæterique ſcientiarum tractatores, procedit enim ex proprijs cuiuſlibet ſcientiæ: & licet recipiat ornatum, aliaque multa ex hac arte, nihil mirum, quum hæc ſit quodammodo, omnium miniſtra.

Tria ergo tantum cauſarum facimus genera, quæ quadrifariam differunt; primò ex fine, ſiquidem Demonſtratiui finis eſt delectare, Deliberatiui ſpem ciere, aut metum, Iuridicialis Iudicem ad ſæuitiam vrgere, vel clementiam. Scopum etiam Demonſtratiuum ſibi præfigit, honeſtum, Deliberatiuum, vtile, Iuridiciale, iuſtum, quandoquidem nemo laudauerit, turpe, nec ſuadere conabitur inutile, aut fatebitur ſe rem iniuſtam feciſſe, alioquin contra ſcopum erraret; Sunt ergo tales horum generum fines.

Differunt ſecundò tempore; Demonſtratiuum enim, reſpicit tempus præſens: non enim laudatur aliquis quod fuerit, vel futurus ſit ſtudioſus, ſed quod talis ſit. Quod ſi aliquando in laude, præteritæ vitæ pręclara aſſumantur facinora, vt in vituperatione, ſcelera perpetrata, id propterea fit, quia anteactæ vitæ actiones, ſplendoris, vel infamiæ notam, in operante relinquunt, ratione cuius, laudis, aut vituperij dignus cenſeatur. Vnde, tantum per accidens, poteſt hoc genus præteritum attendere tempus. Et eadem eſt ratio de futuro, vt quum ex indole præſagimus, qualis ſit quis futurus: cuiuſmodi prognoſticum de impio Iuliano,

Baſilius

Baſilius, & Nazianzenus fecere. Ille nihilominus non vituperabatur ex facinoribus, quæ nondum erat operatus, ſed ex indole, quam de præſenti ferebat, quia Demonſtratiui tempus proprium eſt tantum præſens. Iuridiciale verò reſpicit præteritum, in quo quis ea eſt operatus, quorum merito eius nomen in iudicium defertur, vt præmium referat, vel pœnam. Deliberatiuum tandem futurum, vt bona proueniant, vel aduerſa impediantur.

Tertiò differunt munere, ſiue officio, quandoquidem Demonſtratiuo laudamus honeſta, turpia vituperamus. Iuridiciali accuſamus ſontes, inſontes defendimus. Deliberatiuo ſuademus vtilia, nociua diſſuademus.

Quartò differunt auditore: auditor enim proprius generis Demonſtratiui, eſt concio, ſiue populus. Proprius verò auditor generis Iuridicialis, eſt Iudex, qui debet ferre ſententiam. In genere verò Deliberatiuo, auditor eſt Princeps, vel Senatus, aut is, qui conſilium petit. Vnde quantumcumque alij interueniant in qualibet Oratione, attendendum eſt ad proprium auditorem, & iuxta illius mores, temperanda.

Diuerſimodè quoque huiuſmodi genera tractantur. Iuridiciale enim omnem ferè reſpuit ornatum, alioquin Oratio redderetur ſuſpecta, & vt lucernam olens, Iudicem non moueret. In Deliberatiuo poteſt eſſe accuratior, ne auditorem, qui eſt Princeps, aut Senatus, negligere videamur. In Demonſtratiuo, vt & in Didaſcalico, planè exquiſita, quia abeſt aduerſarius. Vtitur etiam Iuridiciale enthimematibus. Deliberatiuum exemplis. Demonſtratiuum amplificationibus. Didaſcalicum etiam enthimematibus.

Tractantur inſuper hæc genera, vel abſolutè, vel comparatè: Abſolutè, quum ſimpliciter oſtenditur aliquid eſſe iuſtum, vtile, vel honeſtum. Comparatè, ſi monſtretur vnum eſſe alio iuſtius, vtilius, vel honeſtius. Prioris generis fuerit, ſi Paulum, vel Salomonem laudes, abſque reſpectu ad alium. Poſterioris, ſi Paulum cum Moyſe, vel Elia componas, quod pertinet ad genus Demonſtratiuum. In genere verò Iuridiciali comparatè ages quærendo, num atrociùs puniendus ſit mœchus, quam fur. Et in genere Deliberatiuo, Vtrùm magis expediens fuerit Thomæ, à dignitatibus Eccleſiaſticis, etiam ſponte oblatis, capeſſendis, abſtinere, quam eas adire: Siue autem abſolutè, ſiue comparatè agas, aliter theſis tractanda eſt, aliter hypotheſis, ſiquidem (vt

in Demonſtratiuo exemplificemus) Thomam laudans, eum à Patria, parentibus, ſapientia, & rebus geſtis, commendare debebis: qui loci ſpeciales, vt plurimum vtiles non erunt ſi hominem vniuerſim laudare velis, quorum vice aſsumentur alij vniuerſaliores, vt, quod à Deo conditore, ad ſui imaginem formatus, quod rationis ſit particeps, quod ſupra cæteras creaturas imperium acceperit, quod æternæ beatitudinis in Numinis viſione conſiſtentis, ſit capax, & alij huiuſmodi. Nonnumquam tamen, ex eiſdem locis, tam pro finita, quam pro infinita quæſtione argumenta ſumi poterunt, iuxta cuiuſque captum ingenij.

CAPVT PRIMVM.

De locis generis Deliberatiui.

AD particularia nunc deſcendendo genera; loci, vnde ſumuntur argumenta generis Deliberatiui, præter communes illos, de quibus in præcedenti tractatu egimus, ſunt, vel proprij, vel aſsumpti ex alijs generibus; mutuantur enim ſibi inuicem, genera iſta argumentorum locos, quo fortiùs concludant, dum res, vndecumque ſpectetur, ad intentum propendere videtur. Itaque, Deliberatiuum ex Iuridiciali aſsumit locum à Iuſto, & à Lege; Vt, ſi deliberanti vtrum expediat diebus feſtis ſeruilibus vacare, vel ab eis abſtinere, & dicatur, conſultius eſse abſtinere, quia lex Diuina, ſiue Canonica, id decernit, & conuenit, his ſaltem diebus, animo excolendo, & Diuino vacare cultui, quando profeſtis, corpori intendimus. A Demonſtratiuo etiam aſsumit honeſtum, & glorioſum, vt ſi circa thema propoſitum, dicas, honeſtiſſimum eſse, Diuino obſequi cultui, ac glorioſum, temporalia contemnere, quando abſque Numinis offenſione, religioniſque violatione, aſsequi non poſsunt.

Loci verò proprij huius generis, nec adſciti aliunde, ſunt, vtile, ac Iucundum. Iucundum enim (vt hoc quoque obiter notemus, quia inde dictum videtur, quia iuuat) vtilitatem coniunctam habet, ac facilitatem, ſiquidem facile inclinamur

ad illud, quod iuuat aggrediendum, vnde optimè dixit, qui ait,

Omne tulit punctum qui miſcuit vtile dulci,

Quapropter, ſequitur ſuaſionis motus ex vtilitate, dempta re pugnantia, ex iucunditate.

Qui vero, diſsuadere voluerit, argumenta ex oppoſitis locis aſsumet, aſserendo eſse vile, vel non ita magnum, vt propter ipſum, operepretium fuerit tot ſubire incommoda. Eſse iniuſtum, ac contra leges, vnde non præmia, ſed pœnæ potius inde ſint expectandæ: eſse inutile, ac permoleſtum; Eſse etiam difficile vel impoſsibile: quod ſi quis ſuadere potuerit, omnem amputabit conſultationem, nullus enim conſultauerit de eo quod impoſsibile, vel ſaltem valde difficile iudicauerit, quandoquidem tunc animus deſperatione preſsus, omne refugiet conſilium. In deliberationibus ergo, argumenta frequentius ſumuntur ex locis ab vtili, & inutili, ab honeſto, & inhoneſto, à legitimo, & illegitimo, à poſsibili, & impoſsibili, illinc impellendo, hinc abſterrendo.

CAPVT SECVNDVM.

De Materia, fine, & partibus generis Deliberatiui.

MAteria huius generis, complectitur res in arbitrio noſtro poſitas, & quæ in vtramque partem cadere poſsunt; Tollitur enim deliberatio, ſi intelligatur quippiam fieri non poſſe, vel faciendi neceſsitas imponatur. Vnde nemo deliberat, quo pacto, volatu poſsit homo per aëra ferri, aut vitam in æuum conſeruare, intelligit enim alas non ſibi ſuppetere, & moriendi impoſitam neceſsitatem. De ijs vero, quæ in vtramque partem cadere poſsunt, vtique deliberamus, vt, præſtet ne togam, an ſequi militiam? vel, qua ratione citius, ac certius beatitudinem nanciſci poſsimus.

Finis Deliberatiui eſt vtilitas, ſiquidem nemo fatebitur inutilia ſe ſuadere: nam quum Deliberamus, id quærimus, ecquid ſit nobis magis vtile, vt illud ſequamur, pernicioſum verò, & inutile fugiamus; peſsumdaret ergo deliberationem, qui ſuum fatere-

fateretur inutile fore conſilium. Verum tamen eſt, quod apud pleroſque ad gloriam, & virtutem animatos, ſola vtilitas non tanti valet, vt ob eam velint à virtute deſciſcere. Vnde Themiſtoclem puduit conſilium, vtile quidem, ſed minùs honeſtum, concioni aperire: illius tamen hortatu, ſoli Ariſtidi reuelauit. Tunc ergo vtilitas acutiſſima adhibet calcaria, quando eſt cum honeſtate, iuſtitia, vel voluptate coniuncta, qui fines ſunt adſciti, ac ſuccenturiati ex alijs generibus, quum deliberatio directè, & per ſe vtilitatem tantum attendat; Nec tamen inficior, quod vt varia ſunt hominum inſtituta, ita & diuerſæ ſunt eorum vtilitates: aliud namque vtile æſtimatur clericis, aliud laicis, aliud Principibus, aliud proxenetis, & mercatoribus; aliud militibus, aliud agricolis, aliud his qui ſæculo valedixerunt, aliud ijs qui inter eius turbidas vndas adhuc fluctuant. Et hæc omnia attendenda his, qui conſultationem inſtituunt.

Partes huius generis ſunt, ſuadere, ac diſſuadere, vnde Orationes huius generis, ſuaſoriæ, vel diſſuaſoriæ appellantur. Eſto namque in quolibet genere, ſuadere tentet Orator, ſpecialius tamen proprium cenſetur deliberantis; Siquidem magis propriè ſuadere dicendus videtur, qui author eſt, vt Religionem quis ingrediatur, quam qui laudat, vel accuſat, quamquam is etiam, quidquid dicat, perſuaſum eſſe velit.

Immo preſſius adhuc ſumi poteſt ſuaſio, nimirum vt diſtinguitur etiam ab adhortatione; non enim ſuadere dicetur quis pugnam, quum hoſtis ceruicibus imminet; bene verò tunc adhortabitur ad fortiter pugnandum, vel occumbendum: Siquidem ſuaſio attendit tantum expediens, ſiue vtile, hortatio verò excurrit etiam ad neceſſarium, quia ſuaſio reſpicit intellectum, ad quem inclinandum vtitur argumentis (1) *probantibus*; hortatio verò, tendit ad voluntatem, ad quam mouendam vtitur argumentis (2) *affectiuis*, quo eiuſmodi rationibus, faces, ſtimuloſque ſupponat animo. Pertinent nihilominus ad hoc genus etiam hortatoriæ, quia ad id, de quo fit conſultatio, auditoris animus eſt impellendus.

Nec hortatoria tantum, verum & conſolatoria, & petitoria; & aliæ inſuper multæ, ad ſuaſorias pertinent. Quamuis enim conſolatoria ſit affectuoſa, eo quod illâ beneuolentiam teſtemur, oſtendentes nos tangi, angique alieno infortunio: con-

citemus etiam ſpem boni, pudorem ingeramus ob animi mollitudinem: excitemus æmulationem, eorum exemplo qui adamantino patientiæ clypeo, omnes excepere calamitatum ictus, quæ ad argumenta (3) *affectuoſa* ſpectant, quia tamen argumenta *probantia*, (4) quibus vtitur, ſumuntur à locis huius generis, nimirum ab honeſto, nam dicit, Eum qui homo ſit, nihil humani debere à ſe alienum putare: vel, decere ſe Diuinæ ſubmittere voluntati, quæ infortunia non permittat modo, ſed, ad electorum etiam immittat coronam. Et ab vtili dicendo, fruſtra nos conari, noſtro rem infectam dolore reddere, aut auertere calamitates, quin potiùs eo illas duplicamus: propterea hæ Orationes, huius generis eſſe dicuntur. Et eadem eſt ratio de petitoria, & multis alijs, illius enim argumenta *affectiua*, ducuntur è locis amoris, quem conciliare intendimus, vel miſericordiæ propriam oſtendentes miſeriam, & ſimilibus: ſed rationes probantes huius eſſe debent generis; oſtendimus enim id nos petere, quod alter, nullo ſuo damno, quin fortè cum emolumento, concedere poſſit, vel ſaltem, id, quod nobis tribuet, ad concedentis tandem reuerſurum vtilitatem. Congeruntur etiam argumenta à legitimo, honeſto, glorioſo, &c. quo, re petita potiri valeamus, quæ quum ſint argumenta generis Deliberatiui, ſeu ſuaſorij, ideo petitoriæ ad hoc genus reducuntur.

(1) ἀποδεικτικοῖς (2) παθητικοῖς (3) παθητικὰ (4) ἀποδικτικὰ

CAPVT TERTIVM.

De Conſultatione publica.

Diximus auditorem in hoc genere, eſſe Principem, vel Senatorem, aut Magiſtratum, in cuius conſilio multa quidem ventilanda veniunt; verumtamen frequentiùs ſex iſta tractantur; nimirum. De pecunijs, De pace, De bello, De præſidijs, De vectigalibus, & de legibus.

Circa

Circa primum, inſpiciendi ſunt redditus, & ſumptus publici, & ad inuicem conferendi, curandumque, ne ſumptus in non neceſſarijs fiant excedentes, maximè quum prouentus non excedunt ordinarios ſumptus: alioquin, qualibet ſuperueniente neceſſitate, detrimentum Reſp. capiet. Oportet ergo ſummopere curare, vt expenſæ temperentur ad libram introituum; & vt, ſi alicunde debeat eſſe exceſſus, ex importatorum potiùs ſit parte, quàm exportatorum, vt ſi quando neceſſitas ingruerit, extraordinariæ alicuius expenſæ faciendæ, ſit in ærario publico modus, pro illa, ſine nouo populi grauamine, ſuſtinenda.

Circa ſecundum, & tertium, conſiderandæ tam noſtræ, quàm aduerſariorum vires. Hæ attenduntur ex multitudine, & qualitate Ciuium, eorumque rei militaris ſcientia, & præcipuè ex qualitate Imperatorum, ſiue Ducum, & Pręfectorum caſtrorum; ſiquidem, etiam in bello, centum manibus vnum præſtare ſolet caput, vnde dicebat antiquorum quidam *Formidabilior eſt exercitus ceruorum leone duce, quàm leonum duce ceruo*. Contuendum etiam, quæ, & vnde ſit qualitas, & abundantia pecuniarum, quæ belli nerui dicuntur, armorum, frumenti, aliarumque rerum ad annonam facientium, copia. Nec minùs attendendum, quæ ſit diſpoſitio, ſiue animus Rerump., aut Regum circumpoſitorum; num alicunde nobis, aut hoſtibus noſtris bellum actu ſit, aut de proximo ſuſpicetur futurum; alioquin aſſumentes nouum bellum, facile deleri poterimus, niſi talibus præditi viribus foremus, vt pares, vel etiam ſuperiores omnibus eſſe valeremus. Animi verò finitimorum, ſcrutabuntur, ad iudicandum, num eos propitios, vel aduerſarios habituri ſimus, vel tantum ſpectatores: & ſi hoc, num quia reuera pacem colere velint, au, vt fractos demum, & debilitatos, opprimant. De animis verò coniecturam facimus, ex officijs aut offenſis præteritis, & ex natura, tum populi, tum Rectoris. Exitum etiam belli conijcimus, ex præteritis geſtis, tum noſtris, tum hoſtium.

Circa quartum, videndum quænam præſidia magis conueniant, num caſtra, & propugnacula, an triremes, & num pedeſtres copiæ, an equeſtres; Prętereà attendendus eſt cuſtodum numerus, ne ſi minor adhibeatur, ingruenti ſuccumbat hoſti, cum munitionum iactura, & totius aleę periculo: ſi verò maior quàm neceſſitas tulerit, fruſtra exhauriatur ærarium.

Vlterius

Vlterius conſideranda triremium, & propugnaculorum forma, vtrum ſtabiles illæ an veloces eſſe deceat, & quo loco ſint vtraque conſtituenda, quum periculum non imminet vndequaque; ſiquidem, ſi hoſtis ſit finitimus, aut finitimis fœderatus, aut ſaltem ab eis tranſitum habere facile poſſit, terreſtria curanda ſunt propugnacula; alioquin maritima habere præſtat.

Quoad quintum, intuendum quid annuatim Reſp. rei cibariæ conſumat: & deinde quid noſtris naſcatur in agris, vt ſciatur quid, & quantum, aliunde importari debeat, & vnde, & quomodo illud haberi queat. Habenda quoque ſemper ratio caſuum fortuitorum, & annorum ſterilium, vt curemus ſemper plus nobis ſuppetere rei cibariæ, quàm ſit neceſſarium, etiam ad plures annos.

Quod attinet ad leges, obſeruandæ formæ Rerump., & videndę quænam leges ſint propriæ cuiuſque Reip. per quas conſeruari, & florere poſſit: quæue hanc, vel illam euertere conſueuerint. Si enim lex feratur, quę proprium alicuius, vel etiam plurium ſingularium perſonarum reſpiciat commodum, lex iſta, vt firmat Monarchiam, ita popularem euertit ſtatum, ac Democratiam pesſumdat. Si lex, in Diuitum inclinet fauorem: Oligarchiam fouet, ſed optimates atque Ariſtocratiam deterit. Vnde obſeruanda in primis eſt noſtrę Reip. forma, vt deliberare poſſimus, quæ nam leges eam promouere, quæue debilitare valeant.

Sunt autem quattuor Politiarum, ſeu Rerump. formæ. Siquidē regimen, vel eſt apud vnum tantum, quod appellatur Monarchicum, vt Regens Monarcha ſiue Rex. Vel apud plures: & tunc, vel ad regendum aſſumūtur qui ita ſeſe gerere auent, vt ſua tam facta quam dicta, optimo cuique probentur, & hi dicuntur Optimates, & regimen appellatur Ariſtocraticum, vt Reip. forma Ariſtocratia. Vel eliguntur ad regendum, qui cenſu ac diuitijs pollent; quæ forma dicitur Timocratia, vel Plutocratia, Timi enim eſt cenſus; Plutos verò diuitiæ; in qua forma, aucto alicuius cenſu, incipit is annumerari inter eos, qui Remp. gerere poſſunt. Quod ſi quilibet è populo ad magiſtratum poſſit aſſumi, erit ſtatus Democraticus, ſeu popularis, & forma Democratia. Harum formarum optima eſt Monarchia, peſſima Democratia: inter duas medias, melior cenſetur Ariſtocratia.

Verùm, ſæpe ſæpius Politię iſtę degenerant, & pro Monarchia obuenit Tyrannis, pro Ariſtocratia, Oligarchia deſpotica; reliquæ verò ſpecies, eſto nomen non mutent, nihilo tamen ſecius à fine deſciſcunt, ac corrumpuntur. Quod tunc accidit, quando vnaquæque à proprio, ad alium diuertit finem. Vt, proprius Monarchicæ politiæ finis, eſt cuſtodia, ac prouiſio populi, omnia namque ſtudia conferre debet Monarcha, ad populi ſubiecti pacem, ſecuritatem, ac vtilitatem: quod ſi hoc fine poſthabito, conuertatur ad proprium curandum commodum, vt nullam ſubiecti gerat populi curam; iam ex Monarcha, tyrannus euaſit. Quod ſi, cum propria vtilitate, ſubditorum etiam bona promoueat, nec tyrannus, nec Monarcha proprie dicetur, ſed potius Deſpota, ſiquidem, vt dominus, ſeruorum commoda curat, illis tamen ad proprium vtitur tandem bonum. Ariſtocratiæ finis, eſt legum cuſtodia ac diſciplina: Vnde eius corruptio erit, quum quilibet contra ius, ac leges, propriæ vacat libidini, ſeu voluntati. Plutocratiæ finis ſunt diuitiæ, quas, ſi Reip. rectores ſibi attribuant, commune expilantes ęrarium, ac infirmiorem populum ſpoliantes, proculdubio hæc politiæ euerſæ, erit forma. Democratiæ finis eſt libertas, quam ſi quiſquam opprimat, nullam reddet Remp. Hæc qui conſiderauerit, ad rem conſulere poterit.

CAPVT QVARTVM.

De Beatitudine Ciuili Rerumpublicarum.

OMnis publica conſultatio, felicitatem, ſeu Ciuilem beatitudinem, ſcopum, ſeu finem intendit; Beatitudo autem non eſt aliud, niſi bonum perfectum, & optimum, pendens ab actione animæ rationalis, virtute præditæ, ſecundum nobiliorem eius portionem nempe intellectiuam; Eius verò partes ſunt, bona omnia, ſiue interna, ſiue externa, ſiquidem dicitur etiam beatitudo, ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Internorum verò bonorum, alia ſunt animæ, alia corporis. Bona animæ, quæ abſolutè, & ſimpliciter talia dicenda ſunt, non ſunt niſi virtutes, in quarum exercitio proprie beatitudo

titudo conſiſtit. Cuiuſmodi ſunt propriè, intellectuales, morales, & Theologicæ, quæ magis perficiuntur donis Spiritus Sancti: & diuiduntur in politicas, purgatiuas, & purgati animi. de quibus agere non eſt huius loci, ni ethicam exſcribere velimus. ſufficiat ſcire, beatitudinem in animæ parte intellectiua, & maxime in contemplatione ſummi boni, conſiſtere.

Bonorum corporis partes ſunt, ſanitas, robur, forma, agilitas, magnitudo, & huiuſmodi. Corporis enim bona plerumque animum firmant, vt in operationem virtutis, & optimam, ſine impedimento prodire valeat. Vt enim, debilitato corpore, ſæpe grauatur, ac deijcitur animus, ob communicationem cum corpore, iuxta illud Apoſtoli *Corpus, quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſpiritum multa cogitantem*, ita hoc florente ſanitate, poterit ille liberius, ſuis totus actibus incumbere. Refert nihilominùs Seneca, Epicurum dixiſſe quod *ſapiens etiam in Perilli tauro beatus erit*, vnde & Anaxarchus *Tunde* dicebat, *Tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum non tundis*.

Externa verò, quæ fortunæ dicuntur bona, ſunt, Nobilitas fama, honor, amici, liberi in multitudine ac bonitate; Omnia namque hæc & ſimilia, inſtrumenta virtutis ſunt; licet enim virtus in ſolo animo ſit, exercitium tamen eius, multoties, & à corpore, & ab exterioribus dependet, nemo ſiquidem amicis ac opibus ſeu diuitijs deſtitutus, liberalitatem, vel magnificentiam exercere poterit. Sunt etiam bona iſta, virtutum ornamenta; ſordeſcere enim videtur virtus, in eum incidens, qui vel infamia laboret, vel prematur inopia, vel aduerſa conſumitur, valetudine. Vnde quum beatitudo dicatur conſiſtere in actione virtutis, & huiuſmodi bona aliquo modo conferant ad exequenda virtutis opera, in illis, ſaltem minùs principaliter, beatitudo conſiſtet.

Nobilitas, quam in genere externorum bonorum locauimus, eſt ſplendor à maioribus acceptus: qui enim obſcuris eſt ortus parentibus, nobilitatis principium eſſe poterit, nobilis eſſe nequaquam. Is verò qui claris eſt ortus maioribus, nobilis eſt: attamen ſi ab eorum virtute deſciſcat, nobilitas potiùs illi obeſt, quam proſit, ſiquidem nobilitas eſt veluti ſolaris ſplendor, tam praua, quàm recta, conſpicua reddens, ac manifeſta. Ille etiam qui ex claris parentibus, ſed illegitimo natus

tus eſt thoro, nequaquam propriè nobilis dicetur, quũ ſit ortus contra virtutis præſcriptum. Fama item quæ in externis numeratur bonis, tunc adeſſe putatur, quum quis, vel ab vniuerſis vel ſaltem ab optimis, bonus prædicatur. Honor verò, bonæ famæ eſt ſignum: huiuſmodi autem ſignum, non quidem in honorato, ſed in honorante exiſtit, quo is ſignificat eum, cui honorem defert, præclarè ſe geſſiſſe, aut gerere. Diuitiæ quoque, & potentia, ac dignitas vſu magis, quam poſſeſſione clarum efficiunt. Amicitia verò beatitudinem concilians, cum optimis iniri debet, nihil enim infelicius eo, qui prauis conſueuit hominibus.

Quod autem omnia iſta, ac ſimilia, in bonis cenſenda ſint, inde ſuaderi poteſt, quòd virtutibus, qui eas habet, bene diſponitur, & ſunt bonarum operationum effectrices: id autem quo quis bene diſponitur & boni operis eſt principium, bonum eſſe oportet. Similiter ſanitas, robur, agilitas, ingenium, ſolertia, artes, ſcientia, & huiuſmodi, bona ſunt, quia bonorum ſunt effectiua. Voluptas quoque, ideo bona probatur, quia omne animal ipſam appetit, bonum autem eſt quod omnia appetunt. Et quia pulchra & iucunda, voluptatem efficiunt, ideo bona cenſentur, ſiquidem bonum eſſe oportet, quod boni eſt cauſa.

Ad cognoſcendum etiam, vtrum aliquid ſit bonum, necne, ſequentes aſſignantur regulæ. Prima: Illud, cuius oppoſitum, noſtros delectat inimicos, nobis proficuum putari debet, vt, quia noſtrum otium, & à pietate vacatio, aduerſario noſtro diabolo, cordi eſt, operibus incumbere optimum nobis erit. Secunda, illud, quo noſtri ſimiles carent, habere, bonum eſt, quia in ijs videmur excellentiores. Tertia, facere, quæ ab alijs ſuſpiciuntur. Quarta, operari, ea, ad quæ, vel à natura ingenium, vel ab exercitatione experimentum habemus, quia in eis videmur errare non poſſe. Quinta: Bona creduntur ea, quæ nemo habet improborum, nam laudantur ob diſſimilitudinem, ab illis. Sexta, bona putantur ea omnia, quæ impenſè deſiderantur, nam deſiderium adeo in bonum fertur: vt nullatenus ad malum tendere poſſit. Septima: Id, cuius gratia multi perferuntur labores, bonum eſt, nam iam habet rationem finis. Inde, id, pro quo pugnatur, bonum eſſe debet, quum pro eo laboretur. Octaua, id quod laudatur, & maximè ſi etiam ab

æmulis, qui res non laudarent noſtras, ſi non omni ex parte expertes forent defectus. Inde, etiam eligibile bonum eſt, quum electio non ſit niſi de bono, immò & de meliori bono. Et ſimiliter omne poſſibile, cuiuſmodi eſt, quod paruo fit tempore, nam tale; eſt facile, & ideo bonum. Et propterea videntur bona, quæ cuique propria ſunt, nam ſunt illi proportionata. Nec non quæ nemo, vel pauci habent; talia enim, vt ſua raritate augent precium, ita meliora videntur. Tandem, quæ adueniunt vltra neceſſitatem; nedum bona, ſed etiam meliora cenſentur, quia ſunt cauſa maioris honoris.

Obſeruandum autem quod, eſto deliberantes, omnia ad beatitudinem, vt ad vltimum finem, ordinare debeant: non tamen de ipſo fine deliberationem habere debent, quum illa ſit primum principium, vnde reliqua moueri debent, manens in ſe immotum. Tantummodo, ergo deliberatur de medijs, quibus ipſe finis, nempe beatitudo, poſſit acquiri. Quæ media, quamuis ſint inter bona collocata, non ſunt tamen bona propter ſe, ſed tantum propter finem, quod eſt abſolutè bonum, cuius gratia appetuntur, vel ſiunt cætera, & quo præſente, res bene diſponitur. Bonum verò mediorum efficit, vel conſeruat bonum finis, vel prohibet illius corruptionem. Inde habemus quomodo nos gerere, in noſtris deliberationibus debeamus, quum aliquid proſequendum, vel fugiendum proponitur. Ex eo namque quòd ſit in aliqua ex poſitis, vel ſimilibus, boni rationibus, iudicare poterimus, in quam partem propendere debeamus, dummodo diligenter aduertamus, bona, quæ poſuimus in medijs, non eſſe perpetuò bona, ſed tantum quum fini ſunt proportionata. Vndè eſto diuitiæ, ſanitas, robur, in bonis ſint locata, quia ſunt virtutum ornamenta, vel inſtrumenta, ſæpe tamen eorum oppoſita, paupertas, infirmitas, ac debilitas, clariorem reddunt virtutum. Et hæc de Deliberatiuo.

✠
✠✠✠
✠

TRACTATVS QVARTVS.

De Genere Demonſtratiuo.

CAPVT PRIMVM.

De Partibus, materia, & locis generis Demonſtratiui.

DEmonſtratiuum ita dictum, quod eo, vel alicuius demonſtrentur merita, ſeu demerita, vel ideò; quia eo maximè vim ſuam demonſtrat Orator, copiamque dicendi, ſiquidem maximè ad oſtentationem comparatur, vnde ab aliquibus (1) *Oſtentatiuum* appellatur. Dicitur etiam (2) *laudatiuum*, denominatione à parte nobiliori deſumpta. Ad quod pertinere videntur etiam Orationes Panegiricæ, cuiuſmodi erant, quibus ij, qui Græciæ defenderant libertatem, in vniuerſæ gentis celebritate laudabantur, quod & ipſum nomen ſignificat; fit enim ex (3) *pan* ideſt Vniuerſum, & *agora*, nempè forum, ſeu concio, vel multitudo in eo congregari ſolita; vel (4) *apotis agyris* ideſt cætu, ſeu multitudine congregata. Vnde Panegyris idem ſonat, ac vniuerſa congregatio. Ex quo capite reprehenſum inuenies Plinium Iuniorem, quòd Traiani laudationem, quam in Senatu habuit, Panegyricam appellarit, eſto non pauci eum fuerint imitati.

Partes verò huius generis ſunt, laudare, ſeu encomijs extollere alicuius virtutem, laus enim eſt Oratio, virtutis indicans magnitudinem: & vituperare; eſt autem vituperatio, ſermo, quo aliquis oſtenditur à virtute deficere.

Materia autem Demonſtratiui, tam latè patet, vt naturæ terminis non contenta, illius repagulis effractis, ad ipſius Diuini Numinis, necnon priuationum, & nonentium, tractationem excurrat. Venit ergo agendum de Deo, de Trinitatis, vel Incarnationis myſterijs, de intelligentijs, de homine, de

iumentis, & volatibus, de plantis, & lapidibus, de Cęlo, ex elementis, de corpore, & anima, de oculis & manibus, de cæcitate, ac morte, quæ ſunt priuationes. De compoſitis etiam, vt de mundo, & eius partibus, de domo, naui &c. De habitibus quoque ſiue animi, vt ſunt ſcientiæ, artes, virtutes, ſiue corporis, vt ſunt exercitationes athleticæ, luctæ, pugnæ &c. De artefactis, & rebus omnibus, tam neceſſarijs, quam liberis, vt de pace & bello, de Rep. vel œconomica. Omnia iſta, & his ſimilia, tractanda veniunt in hoc genere, quatenus, laudis, vel vituperationis capacia iudicabuntur.

Loci verò huius generis, præter Dialecticos, & topicos, ſeu communes Rhetoricos, proprij ſunt, honeſtum, & glorioſum; ſed quemadmodum diximus de Deliberatiuo, ita de hoc etiam aſſerimus, nempe quòd aſſumat locos argumentationum ex alijs generibus, aſſumit enim iuſtum ex Iuridiciali, & ex Deliberatiuo, vtile.

Quod autem laudentur aliqua, in quibus honeſtas eſſe non videatur, non cogit palinodiam canere, quum illa, in quibus honeſtas immediatè per ſe non inſit, poſſint, vel eſſe cauſę, vel effectus virtutis, & ita honeſtis adnumerari, ac ita laudationem ſuſcipere. Trifariam enim honeſtum aliquid dicitur, nempe, vel quòd ſit virtus, quę ſola per ſe honeſta, & laudabilis eſt, vel quòd virtutis ſit cauſa, vel effectus illius. Cauſa reſpicit virtutes, vel dianoëticas, ſiue intellectuales, vel ethicas, ſiue morales: cauſę virtutum dianoëticarum, vel externę ſunt, vel internæ: externę ſunt Deus, pręſtantium virorum exempla, bona educatio, ſiue inſtitutio, & etiam diuitię: nam hę ſunt inſtrumenta ad eruditionem comparandam: Internę verò, ex parte animi ſunt, ingenium, induſtria, & memoria: ex parte verò corporis robur, ſanitas, atque agilitas. Virtutum verò ethicarum cauſę, tres recenſentur, videlicet, natura, quę incipit, doctrina, quę dirigit: & conſuetudo, quę perficit. Effecta tandem virtutum, ſunt res pręclarè geſte, in quibus numerantur etiam earum ſigna, vt cicatrices trophęi, coronę &c. Quando ergo occurrerit laudandum aliquid, quod non ſit capax laudis, vt virtus, contuendum eſt, num poſſit eſſe virtutis cauſa, aut virtutis fuerit effectus, vt iuxta hanc conſiderationem, laudetur etiam ab honeſtate: qua ratione, villarum, nemorum, fontium, & ſimilium, laudes concinnari poterunt.

CAPVT

(1) Επιδεικτικὸν (2) Ἐγκωμιαςικὸν (3) πᾶν (4) ἀγορὰ (5) ἀπὸ τις ἀγυρις.

CAPVT SECVNDVM.

De Inſtrumento proprio generis Demonſtratiui.

QVemadmodum inſtrumentum proprium, quo Orator generis Deliberatiui, intentum confirmare tentat, eſt exemplum, & generis Iuridicialis Orator, ſuas probationes enthymematibus proponere debet, ita in genere Demonſtratiuo; Orator amplificationibus vti debet; amplificatio enim eſt inſtrumentum proprium huius generis.

Amplificandi autem modi octo ab Ariſtotele, & alijs recenſentur. Primus, quòd quis ſolus fecerit, vt quòd ſolus Age de Arari, agrum lentis tutatus fuerit contra Philiſtæos, quando cæteri fugam arripuerant: quòd ſolus Ionathas, cum ſuo armigero, innumeras Philiſthœorum ſtrauerit copias: quòd ſola Virgo Maria, Dei maternitatem meruerit. Et apud exteros, quòd ſolus Horatius pontem contra Etruſcos defenderit: quòd ſola Agrippina, Imperatorem habuerit patrem, filium, virum, fratrem, ac patruelem.

Secundus, quòd quis fecerit primus, vt quòd primus Enos, Sethi filius, nomen Domini cæperit inuocare, ideſt Deum ſpeciali religione colere. Quòd primus Noemus nauem fabricare docuerit, & vineam plantare. Quod primus Tubalcaim fuerit melleator, & faber æris, & ferri ante diluuium. Quòd primus Nemrod regnum exercere in homines cæperit in Babilonia. Quòd primus Salomon aurum de Ophir, ſeu ab Indis claſſe aſportauerit. Quòd omnium mortalium primus Moyſes, ſcripta poſteritati reliquerit. Quod omnium prima, Dei mater, virginitatis votum emiſerit. Et apud exteros, quod in Orationibus ſcribendis apud Græcos, primus excelluerit Pericles:

Tertius,

Tertius, quòd quis fecerit cum paucis, quomodo, quòd Gedeon cum ſolis trecentis, innumeras Madianitarum phalanges deuicerit: quòd duodecim tantum Apoſtoli, totius Orbis colla, Euangelicæ legis iugo, ſubdiderint. Ad quod pertinet quòd quis tale quid fecerit, quòd ante, & poſt ipſum, nemo, vel pauci fecerunt, vt quòd Abraham Filium dilectum, ex obedientia ſacrificare voluerit, quòd Dauid Sauli, quem ſuæ vitæ inſidiantem, immo apertè perſequentem, probè cognouerat, non ſemel pepercerit.

Quartus, quòd quis fecerit precipuè, quomodo Abrahæ obedientia, in filij immolatione præcipuè euituit: Ioſephi ac Danielis ſapientia, in ſomniorum interpretatione præcipuè fulſit. Moyſis virtus, in miraculorum patratione, quibus totam exterruit Egyptum, mirabilis fuit. Samſonis fortitudo, in phani euerſione, Iudithæ magnanimitas, in amputatione capitis Holophernis, præcipuè commendatur, & ſic de alijs.

Quintus, quòd quis fecerit præter expectationem, & tempore maximè opportuno, quomodo Iudith mulier imbellis, fortiſsimum Imperatorem, innumeris circumdatum copijs, quum ſuæ Bethuliæ, immò & toti Iudaico populo, inferebat exterminium, ſola obtruncarit: quod Dauid puer, & inermis, immanem gigantem Goliam, qui totis Iſraëliticis caſtris, timorem incuſſerat, iactu ſtrauerit lapidis: quod Daniel penè infans, Iudices Iſraëlitici populi, calumniæ conuicerit, ac damnarit, Suſannamque ſeruauerit innocentem.

Sextus, quòd quis nouos ſit honores, in virtutis præmium conſequutus, quomodo Mardochæus ab Aſsuero, Daniel à Nabucdonoſore, Ioſeph à Pharaone, inſigni regio ornati fuere. Sic Phinees pro ſe, & hæredibus, ob zelum Diuini honoris, Sacerdotium meruit. Sic Abrahæ fides, promiſsionem accepit, quòd ex ſuo ſemine naſceretur Meſsias.

Septimus, quòd quis fecerit ſæpius; Sic pluries Moyſes pro peccatis populi vadem ſe obtulit Deo. Sic crebrò Dauid inimicis pepercit, quos ad manus habebat, vt in eos vindictam exercere poſſet. Sic quoque tam ipſe Dauid, quam Ioſue, & Iudas Machabæus, hoſtes crebrò deuicerunt. Et ſic de alijs multis.

Octauus amplificandi modus, fit per comparationem vnius ad alium, vel ad plures alios: quomodo ſi Salomonis ſapientiam

tiam conferas cum Platonis, Ariſtotelis, vel aliorum peritia, & oſtendas in illo vere eſſe excellentiorem. Sic ſi Iebaam Hachamonis filium, qui octingentos interfecit impetu vno, conferas fictis illis Ethnicorum heroibus, & oſtendas quantum ſolidæ laudis plus iſte meruerit. Sic Paulum, Chryſoſtomus, iuſtis omnibus, tam noui, quam veteris teſtamenti confert, monſtratque omnium in eo virtutes, cumulatiſſimè reſidere.

Permiſſum in huiuſmodi amplificationibus, epiſodijs vti, ſeu excurſionibus, tranſeundo de hypotheſi ad theſim, vel è contra. Vt ſi Abraham ad obedientia commendes, excurrere poteris in obedientiæ laudem: Et ſi Dauidis ſit extollenda lenitas, in clementiæ plura dicere laudem, incongruum non fuerit. Similiter & è conuerſo, ſi ſapientiam quis celebrare voluerit, Salomonem, vel Danielem etiam laudare poterit: & ſi quis robur, aut fortitudinem, plura de Samſone, aut Iebaamo, aut alijs aggregare licebit.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo laudentur ſpirituales ſubſtantiæ, Dei, & Angelorum.

QVi Deum laudare voluerit, in eo conſiderabit naturam, omnis, tum potentialitatis, tum mixtionis expertem, in puriſſimo intelligentis actu conſiſtentem, ſua intelligibilitate cuiuſcumque creati intellectus capacitatem excedentem. In eo prædicabitur maieſtas, infinitas, æternitas, aliæque perfectiones, & in ſingulis felicitas; & cum vnitate eſſentiæ, Trinitas perſonarum, quam, niſi fide illuſtratus, nullus capiet intellectus. Eiuſdem conſiderabitur, in creando, potentia, qua de nihilo cuncta vocauit; in gubernando, prouidentia, vtpotè quum eius iniuſſu, ne folium quidem Autumno decidat; bonitas in probis defendendis; in ferendis improbis, lenitas; fortitudo quoque, in frangenda impiorum ſuperbia, ac pertinacia, & in iiſdem puniendis, iuſtitia. Innumera ſunt, quæ ſuppeditare poterunt Theologi tum, myſtici, tum ſcholaſtici: Diuina quoque ſcriptura, Diuinis, ſcatet laudibus, vt ex ea congeri poſſit copioſa ſupellex.

Angelo-

Angelorum laudes, à quatuor duci poſſunt. Primò ab eorum ſubſtantia, ſiue natura incorporea, & experte materiæ, vnde & dicuntur ſpiritus, & à philoſophis intelligentiæ, & formæ abſtractæ; ſunt enim quid medium, inter ſpiritum actualiſſimum, & puriſſimum, nempe Deum, & animam humanam, quæ, quantumuis ſit ſpiritus, nec materiam habeat partem ſui, ſimul tamen cum materia, nata eſt ſuppoſitum humanum conſtituere, quia eſt eſſentialiter pars, ad totum ordinata. Angelus verò, eſto non ſit ita purus à potentialitate, ſicut Deus, nam reuera exiſtentiam recipit ab extrinſeco, quum non ſit illi eſſentialis, non tamen expectat aliunde compleri, quùm in ſe ſit actus completus.

Secundò laudabuntur ab adiunctis naturæ: Nam ſi intellectum reſpicias, commendare poteris illius acumen, ac perſpicaciam, qua, ſimplici intuitu, naturam quamlibet inferiorem ita comprehendunt, vſque ad vltimum prædicatum, vt nihil omnino eos lateat, non genus, non differentiæ conſtitutiuæ, nec diuiſiuæ, non partes, non adiuncta, non modi, nec accidentia, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca, non indiuiduationes, vel earum modi ſpeciales, ſecundum quod vnumquodque conſtituunt, & iuxta quod, ſecundum temporum diuerſitatem, multipliciter variantur: quæ omnia cognoſcunt per ſpecies, ſine minimo ipſorum labore, ſibi, ab initio ſuæ conditionis, à Deo creatore, iuxta cuiuſque naturæ exigentiam, inditas. Nec tantum inferiora, ſed etiam ſeipſos comprehenſiuè cognoſcunt, ſuperiora verò quidditatiuè, &, quæ eſt maxima perfectio naturalis, ipſum Deum quoad An eſt; Laudabuntur etiam ab igneo affectu, ac voluntate, cuius vnico actu, ad ſummum bonum incommutabiliter conuerſi, ab eo nuſquam ampliùs deſciuerunt, ſed nec deſciſcere ampliùs poſſunt, vtpote iam in gratia confirmati. Præterea laudare eos licebit, ab agilitate, ſiquidem ſimplici, practici intellectus, imperio, illicò ab Oriente in Occidens, à Cœlis in terram ſe transferunt, &, quum eis libuerit, etiam ſine eo quod tranſeant per intermedia ſpatia. Nec minùs commendari poterunt à potentia, ſeu virtute, cuius effectus ſunt, ſiue tot millia primogenitorum, ab eorum vno, dicto Exterminatore, vna nocte in Ægypto interemptorum: ſiue centum octogintaquinque millia, de exercitu Regis Sennacherib, interfectorum ab eorum altero,

ſiue, quod eſt mirabilius, indeficiens Cœlorum motus, abſque labore ac defatigatione, à principio temporis vſque ad finem, ab ipſis cauſatus.

Tertiò commendabuntur ab officio, quòd habent, tàm erga Deum, ipſum inceſſanter laudandi, eiuſque exequendi mandata: quàm erga iuſtos, quos à malis cuſtodiunt, promouent ad bona, eorum ad Deum deferunt vota, gratias de collatis eiſdem donis referunt, & ouantes, animas ſibi commiſſas, Cœleſtibus inferunt palatijs. Tum deniquè erga malos, quos commonere non ceſſant, ne tot committant ſcelera, ad quot cacodæmon impellit.

Quartò poterunt laudari ab eorum fœlicitate, quam à principio, nempe ſtatim poſt primum inſtans ſuæ conditionis adepti, ne momento quidem amplius eâ caruerunt, nec ea carere poſſunt, vtpote quum ſint confirmati in gratia, Cœleſtis patris faciem perpetuò intuentes, quâ ineffabiliter lætantur, quâ viſione nec tunc quidem carent, quum, in miniſterium, ad terras mittuntur.

CAPVT QVARTVM.

Quomodo laudari poſſit homo:

QVum homo ſit rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia, capax erit laudationis propriè dictæ, quæ perſonæ tantum, rationali, nempe debetur naturæ. Eius autem laudatio, tam in communi, quàm in particulari poteſt inſtitui. Quando in communi laudari debet, ſumentur argumenta ex locis topicis, qui proprie theſim reſpiciunt, vt eſt eius definitio, partitio, & partes omnes, cauſæ, & effectus, adiuncta, accidentia, ſimilia, & paria eiuſdem. Specialiter verò in eo conſiderari poterunt tria: primum rationalis, & immortalis animus, quo, quodammodo cum Angelis conuenit, nam ſeparatus ſubſiſtit, nec materiam, vt ſui partem agnoſcit, fœlicitatiſque, in Dei viſione conſiſtentis, eſt capax: in quo conſiderari debent tres principes facultates, memoria inquam, intellectus, ac voluntas, in quibus aſſimil atum Triuno Deo eſſe voluerunt. Secundum, corporis ele-

gantia, ad quam & illud maximè ſpectat, quod illi tradidit Deus, nempe quod

Pronaque quum ſpectent animalia Cætera terram
Os homini ſublime dedit, Cœlumque tueri
Iuſſit & erectos ad ſydera tollere vultus.

Tertium, harmonia illa, quâ ſubſtantiæ tam diſpares, corporalis vna, altera ſpiritualis, in vnam conſociantur, & conſpirant formam, ſiue hæc ſit eadem cum partibus ipſis vnitis, ſiue tertia ab illis entitas diſtincta.

In hypotheſi, quâ alicuius ſingularis perſonæ inſtituitur laudatio, duplex ſeruari methodus poterit, artificialis vna, naturalis altera. In methodo artificiali, omnia, quæ de perſona dicenda erunt, ad certa reducentur capita, etiam ſi hiſtoriæ omittendus ſit ordo. Vt ſi Dauidem laudaturus, dicas, eum prudentiſſimum fuiſſe Principem, ſiue Regem fortiſſimum Ducem, ac Imperatorem, virum quoque, quum pijſſimum, tum religioſiſſimum. Quam methodum, appellati nunc Panegyriſtæ, frequentiùs aſſumunt, niſi quòd capita illa probationum, ex alterius rei naturalibus proprietatibus, conantur eruere, vt quum Dauidem cum Herodio, nempe Aquila, componunt, ſiquidem illa auibus principatur, eſtque omnium fortiſſima, pietatem quoque colere videtur, ſiquidem ſenio confectis parentibus, dicitur miniſtrare. In methodò verò naturali, hiſtoriæ ſeruatur ſeries; & fit diſtributio in ea, quę ante, vel in ipſo ortu euenerunt, quæue in vita, in morte, & poſt ipſam, fuerunt: ſiue, vt contractiùs diuidas, promittes te dicturum de ijs, quæ in ortu, in vita, ac poſt mortem, acciderunt; vel de ijs, quæ ante Regnum, & in ipſo, quis geſſit. Et hunc ordinem ſequutus fuit Plinius, in ſuo celeberrimo Panegyrico, quo Traianum laudauit. Sed aliqua ſigillatim, de his locis dicenda occurrunt.

Ab ijs, quæ ortum præcedunt, laudabimus aliquem, commemorando, ſi quæ fuerint, oracula; quomodo Iſaac tot annis priùs quàm naſceretur, fuit Abrahæ promiſſus. Sic Samſonis Ortum, oraculum pręceſſit. Vel ſi precibus impetratus fuerit, quomodo, orationis fructus eſt Samuel. Tertiò recenſendo ſigna, vel figuras, quomodo in Rebeccæ vtero, pueri prælia-bantur, præfigurantes bella futura inter Satanæ ſequaces, quos figurabat Eſau, & populum Dei, in perſona Iacob. Sic Di-

uorum

uorum Dominici, & Vincentij matres, catulos in aluo ſe geſtare ſenſerunt, præfigurantes pueros ab eis prodituros, tam fidelitate erga Deum, quàm latratu, nempè prædicatione, aduerſùs vitia, futuros eximios. Quartò ſi quæ in ipſo ortu euenerunt inſolita, quomodo in ortu Baptiſtæ, vox reſtituta eſt patri, & in ortu Pici Mirandulani, globus igneus totum illuſtrauit cubiculum, quì tamen citò euanuit, & acrem perfectionem portendit ingenij, breui tamen duraturi.

Ortum quoque præcedit patria, cuius nomine venit, nedum natale ſolum, verum etiam & illud, vnde quis eſt oriundus, & pręterea locus, vbi quis diutiùs vixit. Quomodo Dominus, natus Bethlehem, Nazaræus fuit appellatus, eo quod, rediens ab Ægypto, eam Ciuitatem vſque ad initium prædicationis habitauit. Sic & D. Antonius, eſto *Luſitanus*, *Patauinus* eſt dictus. A patria ergo laudari quis poterit, nam ſi ea ſit illuſtris, hoc ipſum ad laudem pertinet, quum illius nobilitas omnes illuſtret Ciues: Vnde ſi quis natus fuerit in aliquo pago, ſubiecto alicui pręclarę Ciuitati, & pagus ille fuerit vilis, & obſcurus, aut etiam infamis, ſubticebitur iſte, illa memorabitur. Quod ſi Ciuitas ſit etiam obſcura, ſed gens ſatis clara, huius tantum mentio erit facienda in laude. Quod ſi tam patria, quàm gens innominata ſit, vel etiam infamis, dicetur: Virum, quem laudamus, virtutum ſuarum radijs, & operibus glorioſis, patriam decoraſſe, illius diſpuliſſe tenebras, ac nomine reddidiſſe dignam.

Pręterea ortum pręcedit genus, à quo, ſi fuerit illuſtre, laudare poterimus, ducentem inde originem, à geſtis maiorum, quę verè ſunt aureum fundamentum, & tale, quod ſolum, ex bonis externis, eripi nobis non poteſt. Ratio verò laudandi, eſt, quia veriſimile creditur, eos fore meliores, qui ex pręſtantioribus oriantur. Quod ſi genus fuerit obſcurum, dicemus, mortales omnes pari naſci ſorte; non enim mundiùs enituntur fęminæ Principes, quàm egeſtate preſſæ, nec minùs fœtus à ſordibus ablui debent, nati in Regum palatijs, quàm in pauperum tugurijs. Non ergo nobilem facit, atrium, fumoſis imaginibus plenum, quum nemo ad noſtram vixerit gloriam; nec noſtrum ſit, quod fuit ante nos. Vnde nequaquam ab ortu captanda nobilitas, immò vt quiſque optimus, ita nobiliſſimus indicabitur: fieri enim poteſt, vt ex malis naſcatur bonus, &

Rege quolibet generoſior, vt è contra, ex generoſis ignauiſſimus: Animus enim ſolus facit nobilem, cui, ex quacumque conditione, ſupra fortunam ſurgere licet. Vnde ſi generis nobilitas aliena eſt, & ſola virtus eſt noſtra, pulchrius erit fieri, quàm naſci nobilem. Sic Ioſeph, ex emptitio, & carceribus mancipato ſeruo, ad Ægypti euectus fuit principatum. Sic Dauid, ex ouium paſtore, virtutis merito, ad Iſraeliticum Regnum fuit ſublimatus. Quod ſi genus nedum obſcurum, verum & infame etiam fuerit, non peribit ratio laudandi. Nam dicemus, ſuperabundaſſe virtutem & gratiam, vbi abundauit delictum, & odoriferam emerſiſſe roſam, ex ſpinoſis ſentibus infamis generis, quum non ſemper à malis naſcatur malus, immò nunc magis prædicanda eſt hæroica viri virtus, quam nec improbi generis exemplum, de ſtatu labefactare potuerit; Scimus enim Iephte fortiſſimum Iſraelis Ducem, ex inceſto ſeu fornicario natum concubitu: Ezechiam ac Ioſiam, Regum optimos, ex Achaz, & Amone virorum deterrimos ortos fuiſſe. Dominus etiam, ex Thamare, Raabe, Ruthe, ac Bethſabea, fornicarijs, dignatus fuit originem trahere.

Ab ijs, quæ ſunt in ortu captatur laus, nempe ab ominibus, ſi quæ fuerunt. Quamuis enim vana frequentiùs, ac ſuperſtitioſa ſit horum obſeruatio, poſſunt tamen aliquando talia fieri Deo authore, ad futurorum ſignificationem, cuiuſmodi eſt illud de Apum examine in Ambroſij infantis ore mellificantium, ad ſignificandam illius melliflnam eloquentiam futuram: & illud de parœlijs, & ſchedula D. Aquinatis, demonſtrantibus lucem illius ſapientiæ, cultumque erga Deiparam. Inſignes quoque corporum notæ, futura præſignificare conſueuerunt: ita gladius à natura inſculptus in dextero brachio Georgij Caſtriotæ, inſuperabilem bellandi vim in eo futuram, ſignificauit: & florea crux, manibus ſeu brachijs Bartholomei de martyribus impreſſa, illius pietatem præſignificabat.

In vita conſiderandus in primis ſexus, quamuis enim fœlicior ſit virilis, fœmineus tamen ſua non caret laude: commendatur enim à modeſtia, pudicitia, liberali operandi ſtudio, mariti charitate, rei familiaris peritia, prudentia in liberis educandis: vel, ſi virginitatem coluerit, ab agonibus, quos pro ea conſeruanda deſudarit, & maximè, ſi adfuerint, ab ijs, in quibus ſexum ſuperarit, ſiue ea ad dianoëticas, & intellectuales perti-

neant

neant virtutes, vt eſt linguarum peritia, eruditio, vel etiam ſapientia, qualem celebramus in vtraque Catharina Senenſi, & Alexandrina, Thereſia, & in alijs: ſiue ad Ethicas, & morales, vt eſt virilis prudentia, magnanimitas, & fortitudo, ac virtus bellica, qualis extitiſſe dicitur in illa Aurelianenſi Ioanna, quæ, ab Anglis afflictum Galliæ Regnum, deſperatis rebus, quaſi de Cœlo lapſa, adfuit, & biennio in integrum reſtituit. Forma quoque, (quæ, vt in viris, oris dicitur dignitas, in mulieribus venuſtas propriè appellatur,) non exiguam laudis præbet materiam in ſequiori ſexu, nam, quum etiam apud multos, alliciendi habeat vim, merito dicta eſt dotis eſſe dimidium, ex quo, partem pellit triſtitiæ, quam huiuſmodi ſexus, ob curam parandæ dotis, afferre ſolet. Cumulabitur pulchritudinis, ſeu venuſtatis laus, ex amore caſtitatis, quando virgo, contemptis ſummis procorum nuptijs, virginitatem, ſponſo illi, qui paſcitur inter lilia, ex animo deuouit, quod innumeræ noui teſtamenti heroinæ præſtiterunt, quæ vitæ, quàm iacturam virginitatis facere maluerunt. Auget etiam laudem, ſi pulchritudinis florem, mortificationum aſperitatibus langueſcere ſiuerint, vt numeroſiſſima noſtrarum virginum præſtitit cohors. Quod ideo ad laudis cumulum diximus referri, quod gloria, veluti vmbra, fugientes ſequatur, fugiat proſequentes. Nonnulla alia in quibus laudantur viri, ad fœminarum quoque laudem, trahi poterunt.

Viri verò laudantur à robore, agilitate, ſanitate etiam, quum ſit orandum, vt ſit *mens ſana, in corpore ſano*: quamuis ad laudem alioquin faciat, quod quis imbecillo corpore, & infirma valetudine, eximios in virtute progreſſus fecerit. A forma etiam, ſiue pulchritudine, & oris dignitate, quæ regnum dicitur ſine ſatellitio, *gratior enim eſt pulchro veniens in corpore virtus*, quę reuera puellari debetur caſtitati. Hinc ſacræ litteræ nobis commendant, nedum Abſalonis, & Adoniæ, ſed etiam Ioſephi, ac ipſius Dauidis pulchritudinem: Ad eam facit ſtatura procera, quæ magna, ſeu eminens appellatur, à qua multi, Regno, ſiue Imperio, digni putati, vt de Saule legimus, non fuiſſe virum in Iſraele eo meliorem, quia *ab humero, & ſurſum eminebat ſupra omnem populum*. Quod ſi ſtatura fuerit breuis, ſiue exilis, & modica, dicemus, Non quod magnum, id continuò bonum, ſed è contra, potiùs, quod bonum, id magnum.

Conferet

Conferet quidem ſtatura procera, ſi fuerit quid ex alto colligendum, ad virtutem non ita; quin immò, *rarò virtus in corpore longo*, quæ tamen in exiguo, numeroſior eſſe ſolet. Vnde iocando dicere poterimus, quod, vt breuis ſtatura, malitiam, ita procera ſtultitiam ſignificat. Quòd ſi cui forma contigerit illiberalis, in laude dicemus, illum, formæ vitium, animi dotibus compenſaſſe. Noluiſſe Deum omnia in vnum conferre, ne nimio foret typho inflatus. Vel quòd, huiuſmodi corporum prærogatiuę, citò defloreſcant, nec periculo careant, quando multi coguntur dicere *Vtinam malè peryſſet forma, quæ me male perdidit*: adde quòd *rarò mixturam facit cum ſapientia forma*. Licebit quoque commemorare, ſi quis Heroum aut præſtantium virorum, eodem laborarit corporis vitio, quo is, quem laudamus. Nam cœcos habemus Iſaacum, Ahiam, & alios veteris teſtamenti: Cœcus itidem fuit Didimus ille Alexandrinus, cuius in ſacris ſcripturis peritiam, miratus fuit magnus Antonius, & apud Ethnicos cœcus, extitiſſe Homerus dicitur. Candax autem Æthiopum Regina, virilis animi fœmina, Strabone teſte, fuit monocula. Spadonem nonnulli volunt fuiſſe Noachum, quod tamen Hebræi, non tam continentiæ amori poſt diluuium, quàm Chami tribuunt carmini magico. Narſes quoque, qui indomitos Gothos, ac inuictum Totilam ſuperauit, Eunuchus fuit, quod quia illi exprobrauit Theodora Auguſta, Iuſtiniani coniunx, ipſe, vt vlciſceretur contumeliam, Barbaros, nempe Hunnos, in Italiam, & Imperium acciuit, ſi verum eſt quod plures tradunt. Quòd ſi ab huiuſmodi, vel alijs corporis vitijs, vituperare volueris, dices: Monſtroſam corporis formam, monſtroſi, ſeu praui eſſe indicem animi: illam corporis notam poſitam fuiſſe, vt ab eo caueremus, iuxta illud *A ſignatis caue*. Vel quòd, ſicut numquam *imbecillem feroces*

progenerant aquilæ columbam,

ita nec ignaui, ſtrenuos, nec praui, bonos, quia nec *de tribulis colligunt vuas, nec ficus de ſpinis*. Veriſſimum creditur Græcorum illud prouerbium (1) *mali corui, malum ouum*. Nec abſque rationis fundamento, poetæ, ſæuos, ac immites, è tygribus, vel vrſis, natos eſſe dixerunt, vel etiam è mari, aut ſcopulis, quia videlicet, filij parentum naturam ſapiunt & in Euangelio, praui, viperarum dicuntur genimina.

A diuitijs laudamus, oſtendendo, quòd eas habens, moderatè

rate eiſdem vſus fuerit, vt Iob, Abraham, alijque fecere; & non habens, ſapienter illis caruerit, vt Elias, Eliſeus, Apoſtoli, & innumeri tam veteris, quàm noui teſtamenti: & amiſſas ęquanimiter tulere, quod & Iobus pręſtitit, & Belliſarius ille barbarorum maſtyx, qui, vt nonnulli referunt, ex immenſa gloria, & innumerabilibus diuitijs, in tantam deuenit paupertatem, vt ſtipem mendicare coactus fuerit. Id verò facilè præſtabit, qui cogitauerit, eorum, quę extrà nos ſunt, nihil noſtrum dici poſſe, vt dicto, factoque docuit illę, qui datâ ſibi facultate, ſecum aſportandi, ex direpta patria, omnia, quæ ſua forent, nudus inde emerſit, aſſerens, *omnia ſe ſua ſic ſecum ferre*. Non enim noſtrum dici meretur, quod fortuna noſtrum facit: Docent nihilominùs ſancti rationem, quâ diuitias reddere noſtras poſſimus, eas videlicet, per eleemoſynas, illuc transferendo, vnde nemo poſſit auferre. Quòd ſi diuitias vituperare velimus, dicemus, cum Ariſtotele, *Diuitem omnem, aut inquum eſſe, aut iniqui hæredem*: & quòd, auri cupido, multos peſſumdederit, vt Achan lapidibus obruit, Giezi vero leprâ fędauit. Vbi enim diuitię clarè habentur, ibi virtus omnis vileſcit. Nam *bonæ mentis, indiuidua comes eſt paupertas*. At qui pauperiem vituperat, dicet, faciliùs inueniri, qui verbis damnet, quàm qui facto, diuitias faſtidiat, quum nerui credantur ad omnem vſum parati, adeovt, ſicut ſine neruis ambulare, ita ſine diuitijs progredi non valemus. Conſiderandum verò, num paupertas ex contemptu procedat diuitiarum, quę laudabilis eſt: an verò ex inertia, & incuria, vel ex ganea, & luxu, ſiue noſtra, ſeu maiorum, nam tunc vituperabilis erit.

Magna laudis pars ab educatione, ac inſtitutione ducenda; in ea conſideratur diſcendi cupido, quę eluxit in puero. Verè namque iuxta Gręcorũ prouerbium: (2) *Dij laboribus bona diuendunt*, & vt aquilegi, ſubeſſe credunt aquam, vbi vaporem manè attolli conſpexerint, ita, ex prænio illo ſtudiorum ardore, luculentę doctrinæ, ac magnarum virtutum ſcaturiginis, ſpes concipitur. Attendendum tamen, quibus quis ſtudijs ſit inſtructus, & num Muſas Gratijs, ideſt eloquentię miſcuerit ſapientiam. Ad hęc, quos nactus fuerit pręceptores, pręſtat enim optimos habuiſſe; Maioris tamen acuminis cenſetur, quòd quis ex ſeipſo didicerit, vt de D. legimus Antonino. In vituperatione, cum qui prauum habuit magiſtrum, dicemus (1) *mali*

corui

corui malum ouum eſſe: & eum qui optimum habuit, dicimus, tantâ prędituın naturę prauitate, vt hæc, inſtitutionis vim ſuperauerit, vt de impio Berengario, qui magiſtrum nactus fuerat optimum, Fulbertum Carnotenſem, & alijs, legimus.

Quòd ad ętatem attinet, vt perpetuo abhominabilis ſuperſtitio, ita in omni ętate commendatur Religio, ac pietas erga Deum. Virilis ętas laudabitur à dictis, factiſque domi, ac foris, in pace, & bello, maximè ſi illorum merito, pręmia, vel famam ſit conſecutus. Ea verò maiorem merentur laudem, quę abſque emolumenti ſpe ſuſcipiuntur, maximè ſi cum periculò, ac labore. Auget laudem, ſi quid ab eo fiat, qui ad talem ſpem educatus non fuerat, vt quod Dauid, in ouium cuſtodiam innutritus, immanem gigantem Goliam, ſingulari ſtrauerit certamine: quod Iudith imbellis mulier, adhuc iuuencula, quę heremiticam domi, vitam coluerat, Holophernem, potentiſſimum Nabucdonoſoris Ducem, innumerabili ſtipatum exercitu, interficere auſa fuerit: quòd Leontium meretrix, philoſophię animum applicuerit, & in ea tantum profecerit, vt aduerſùs Thophraſtum ſcribere non ſit verita: quòd Primislaus ab aratro ad Bohemię, Piaſtus verò ab agricultura, & mellificio, ad Polonię Regnum, fuerint euecti. In vituperatione dicetur, hoc ipſum ſcelus exagerare, vt quòd Iudas, Chriſti, & Apoſtolorum doctrinis, ac exemplis imbutus, Domini ac magiſtri proditoriam venditionem cogitare, ac opere complere, non erubuerit.

Eorum virtus maior cenſetur, quos & inimici laudant, nam quum veroſimile ſit, inimicos ſeu ęmulos, inuicem ſeſe deprimere, & obſcurare, ſi virtus alicuius, ab ęmulis etiam celebretur, illa, vtpote extra inuidiam poſita, oportet omnibus numeris ſit abſoluta. Laudator etiam obſeruare debet, vt ſemper dicat, quę propria ſunt ſubiecti, vt ſi quis Apoſtolum Petrum laudare voluerit, non ei ſufficit aſſerere, quod in intimis Chriſti diſcipulis fuerit annumeratus, quòd Spiritum, eiuſque chariſmata, & linguarum donum acceperit, quod innumerabilium fuerit miraculorum patrator, quòd numeroſiſſimos ad fidem conuerterit populos; quum enim iſta, tam ipſi, quàm alijs, ſaltem Apoſtolis, communia fuerint, non tam Petri laudes, quàm communiter Apoſtolorum videberis celebraſſe. Vnde communia iſta ſuffecerit, abſque amplificatione, commemoraſſe, illa verò amplificare debebis, quę Petri fuerunt ſpecialia, vt quòd

ſibi

ſibi nominatim,& in capite, vt Chriſti in terris Vicario, Regni Cœlorum claues traditę fuerint, quòd ei,eadem ratione,ouium Chriſti cura fuerit demandata, quòd pro ipſo ſpecialiter Dominus orauerit, ne eius fides deficeret, ipſique pręceptum fuerit, vt reliquos in fide confirmaret, (quòd eius ſucceſſores, ſummi Pontifices, per omne ęuum egregiè pręſtiterunt,) quòd ipſe vocatus Simon, à Domino appellatus fuerit Cephas, nempe caput,ſeu Princeps Apoſtolorum, & Petrus, quia ſupra talem petram Dei Eccleſia erat conſtruenda: quod item ipſe Simonem Magum fugauerit è Samaria, ac Romę, ex aëre deiecerit; Et quòd Romani arcem Imperij ſit aggreſſus, ibique Papatus ſedem figere non dubitarit &c.

Sciendum tamen, quòd virtus, quę ſola verè eſt laudabilis, in vitiorum medio ſita eſt, adeovt difficile admodum ſit, vt quis non ad dexteram quandoque flectat, vel ſiniſtram, quemadmodum conſueuerunt etiam, qui per abrupta incedunt vitiorum, mediam quandoque virtutis terere ſemitam. Hinc anſa prębetur, vitia incruſtandi virtutum coloribus, vel maculandi virtutem,vitiorum fucis. Nemo enim mortalium, adeo ſtudioſus reperitur, quin liuidis inſpectus oculis,non prauus appareat, nec ita perditus, quin laudabilis videatur amanti. Quod qui obſeruarit, amplam in vtramque partem dicendi, habebit materiam.

Circa vltimum tempus, conſideranda tum mors, tum quę ante, & poſt mortem acciderunt; vt, quanto quis vixerit tempore, ſeu quâ ętate eſſe deſierit; quę fecerit, aut loquutus fuerit, quum mori inciperet, quando tunc maximè ſe prodit natura. Mors ipſa conſideranda, naturaliſne fuerit, an violenta: ſi naturalis, num per breuem, an diuturnam infirmitatem, & qua fortitudine, animique conſtantia fuerit tolerata, maximè ſi acribus armatus doloribus, morbus ſęuierit. Si violenta; cuius generis, vt, num quis ſibijpſi mortem intulerit, qui erit ſummè vituperabilis, vtpote qui, inexpiabili deſperationis delicto, aduerſus propriam ſeſe armarit naturam, ad Dei opus in ſe deſtruendum. Vnde meritò is,Chriſtianis legibus, ſeuerè punitur, adeovt Eccleſiaſtica careat ſepultura. Si verò mortem obierit ab alio illatam, inſpiciendum potiùs, quamobrem, quàm quid ſit paſſus; martyrem enim, non facit pęna, ſed cauſa. Vt autem antiquitus, apud Ethnicos, glorioſum erat

mori pro patria ; ita , & multò magis] apud Chriſticolas , pro fide , vel alia virtute , immò eo glorioſior quis erit , quò plura, & acerbiora, tali pro cauſa, agones deſudauerit . Qui verò culparum luit pęnas , ſi has patienter ſuſtinet , magis dolens ſe Deum offendiſſe , peccando, quàm vita ſpoliari , is laudem meretur , maximè ſi ad reatûs, quem odit , expiationem , libenter tormenta patiatur . Is verò vituperabilis eſt , qui de pęna tantum dolet , non verò de culpa . Poſt mortem denique inſpicientur , ſi quę fuerint , apparitiones , miracula , vel prodigia . Tum funebris pompa, & hominum,de defuncti qualitatibus, & virtute , indicia, &, ſi adfuerint , bonorum quęrelę . Demum ſubijcienda conſolatio, quam petere poterimus, tum à fidelium defunctorum fœlicitate,qui pręſentis vitę malis ſoluti , ęternùm Deo fruuntur : tum à ſuperſtitibus , vt damnum quod, ex illorum obtigit tranſitu , horum reſarcitum pręſagiamus virtute .

(1) κακȣ͂ κόρακος , κακὸν ὠόν (2) θεοὶ Τ᾽ἀγατὰ τοῖς πονοῖς πωλȣ͂νται .

CAPVT QVINTVM.

Quomodo Aloga , laudari poſſint .

ET dico , quod ad inſtar perſonę , tam generatim , quam in indiuiduo . Generatim quidem , conſiderando , quæ ſpeciei conueniunt , quæ peti poſſunt ex Ariſtotele , *Theophraſto*, Plinio , Æliano , Alberto , Aldourando , & alijs ; qui hanc exornarunt Spartam . Vt ſi equum laudare velis , id præſtare poteris, à natalibus, vt Virgilius fecit , dicens , quod fuerit

Semine ab Æthereo ſpirantes naribus ignem
Illorum de gente, patri , quos Dedala Circe
Suppoſita de matre nothos furata creauit .

Secundo à dotibus corporis,quod etiam Poëta pręſtitit,dicens,

Quem

Quem Thracius albus
Portat equus bicolor maculis, veſtigia primi
Alba pedis, frontemque oſtentans arduus albam.
Vel
Qui candore niues anteiret, curſibus auras.

Tertio à virtutum animi ſimulachris, vt à fortitudine, æmulatione gloriæ, & audacia bellica, vt de eo dicit Iob *Terram vngula fodit, in occurſum pergit armatis, procul odoratur bellum, nec reputat tuba ſonare clangorem, ſuper ipſum ſonabit pharetra, & clypeus*. Ad idem pertinet, quòd Poëtę ipſi tribuunt lachrymas, quod etiam aſſeruit Plinius; verum philoſophi, lachrymas, homini tantum concedunt. Si verò in indiuiduo velis aliquod mutum laudare, etiam ad perſonæ inſtar procedere debebiş, vt Bucephalum commendaturus, ea commemorabis, quę illi in ſingulari ab authoribus tribuuntur, & per quæ ab alijs eiuſdem ſpeciei differt, vt quòd bouinum habuerit caput (vt nomen ipſum ſonat) quòd alium, quàm Alexandrum, non patiebatur ſeſſorem, quod eius nominis ęternitati, Vrbs condita fuerit, & alia huiuſmodi, vt & de perſona diximus, & de tranſitu hypotheſis, ad theſim, & è contra, quæ hic etiam ſunt obſeruanda.

Sic & apem laudare poteris, Primò ab ortu, quòd, vt nonnulli volunt, non naſcatur ex libidine, immò Veneris neſcia, è melle viuiſcat, & laborioſum animal, ex ſuomet producatur opere. Hoc tamen meliores negant philoſophi: Laudabitur à concinnitate membrorum; nam mirabile eſt, quomodo natura mater in tam paruo corpuſculo, tam multa, & varia, ac diſtincta membra, ac ſenſuum officinas diſtinguere potuerit. Vlteriùs à pulchritudine, robore, & agilitate, quę ad oculum innoteſcunt, & maximè à ſimulachris virtutum, prudentiæ, iuſtitię, temperantiæ, ac fortitudinis: nam Remp. habent, & domos, tempeſtates prędident, nec dubio ſeſe Cœlo committunt: victum reponunt in hyemem, nec fas ducunt aliquid de congeſto delibare melle, prius, quàm, plenis horreis, fuerint ſecuræ: pro ſuo item Rege totis pugnant caſtris, & honeſtam oppetunt mortem. A religione etiam, tum ob ceram, quam templis miniſtrant, tum quia ſæpiùs auguſtiſſimo altaris Sacramento, arcam, ac tabernaculum ædificarunt, & excubias præſtiterunt, decantaueruntque laudes. A pietate quoque,

quum mortuas efferant, tumulentque. Et denique ab vtilitate; quum mel conficiant,ad hominum, non ſolum vſum, ſed etiam delicias: ex quo dicere poteris, eas publicè hominum Reip. beneficas eſſe.

Apud Ethnicos, ad animantium laudem pertinebat, quod eorum aliquod, alicui Deorum ſacrum foret. Vnde Ioui ſacram dicebant Aquilam: Apollini, gryphum, Cygnum, Delphinum. Marti equum, accipitrem, picum, vulturem. Soli, phœnicem. Baccho lyncem,ac tigrim.Mercurio, larum. Eſculapio gallum, & draconem inalatum. Cereri Gruem, & draconem alatum. Diti, capram. Laribus canem. Iunoni, pauonem, Struthiocameum, ciconiam, & agnam. Palladi noctuam, Veneri columbum, ardeam & concham. Lunæ bouem,Iſidi vitulam, & anſerem. Item Apollini & Marti lupum. Soli, Mineruę, Marti, & Æſculapio, gallum. Herculi & Apollinî,coruum. Mineruæ. & Eſculapio draconem inalatum. Cybelæ, & Vulcano leonem. Hecatæ, & Dianæ, mullum &c. Talia recenſere in Orationibus, maximè ſacris, vt multum eruditionis, ita pietatis parum habere videtur. Erit tamen, quod ad laudem brutorum faciat in ſcripturis ſacris,vt columbæ,quòd Spiritus Sanctus in eius ſpecie apparuerit: Leonis quod nedum Marcum deſignet Euangeliſtam, ſed cum addito,de tribu Iuda, etiam Chriſtum. Agni, quod eumdem Chriſtum demonſtret: bouis, quòd Lucam, & Aquilæ, quòd Ioannem præſignrent Euangeliſtas. Sic de alijs multis.

Idem de plantis dicendum, quas ſuperſtitioſa Gentilitas ſuis Dijs, Deabuſque ſacrauit: nimirum, Ioui Eſculum: quercum verò, tam Ioui, quam Baccho, Cereri, atque Rheæ. Herculi populum, cerrum, atque cotoneum. Phœbo laurum, hyacinthum, oleaſtrum, ac myricam: iuniperum verò, tam Phebo, quàm Eumenidibus. Veneri roſam, ac mala: myrtum verò, tam Veneri, quàm Cereri, ac Baccho. Baccho vitem, ficum, viticem, ac hederam. Marti, gramen. Mercurio,portulacam. Genio, platanum, Laribus allium. Pani, Berecynthiæ, ac Faunis, & Neptuno, pinum; Plutoni, ac Syluano cupreſſum. Cereri, Plutoni, Proſerpinæ ac Eumenidibus, narciſſum. Cereri, Lucinæ, ac Laribus papauer. Cereri ac Eumenidibus,crocum. Iunoni, malum perſicum. Proſerpinæ, malum punicum. Palladi oleam, Muſis palmam, Lucinæ dictamum.

mum: Eumenidibus alnum, cedrum ac rhamnum, ac mille talia Ethnici confinxerunt, maximè quum integras ſyluas Dijs, ac Deabus ſacras putarent, credentes Driades vel Amadriades in ſingulis arborum truncis habitare. Licebit ergo, in ludicro præſertim argumento, ex poëtis, plantas commendaturis, à Dijs quibus ſacræ aſſeruntur, Orationem auſpicari, quaſi tales Dij illarum ſint patres, ac genitores. Earum cultura, ad laudem faciet, vt quod platanus à Xerſe Perſarum Rege culta fuerit, & vino irrigata. Pro educatione erit, ſi explicetur, quàm citò adoleſcat, ac fructum ferat. Loco rerum geſtarum, narrandæ vtilitates ex ea prouenientes, vt ſi ad ſpeciem, & venuſtatem ſit comparata, quàm ſit illius aſpectus delectabilis: Vel, ſi ad cibum & medicinam, in his quantum valeat. Et ita ad inſtar perſonæ laudabuntur.

Regiones laudantur ab antiquitate, à primis cultoribus, à Regibus, vel Principibus, ſub quorum ditione ſunt, vel fuerunt, à ſitus amœnitate, ab aëris clementia, à natura Cœli, & ſoli, à ſoli fertilitate, à fluminibus, maribus, fontibus, ſyluis, montibus, metallis, feris &c. ab Vrbibus multis, & magnis, à legibus, quibus reguntur, ab incolarum religione, eorum diſciplina, & virtute bellica, ac rebus præclarè geſtis, humanitate, fœdere cum exteris, ac aliorum de hac regione iudicijs, & cuiuſmodi eſſe credatur in futurum, quod noſtro obſignabimus voto.

Mare laudatur à magnitudine, amœnitate, & bonitate portuum, & à piſcoſitate, Fluuius verò ab ortu, ſeu ſcaturigine, amplitudine, velocitate curſûs, ac colore ſeu diaphaneitate, & ſalubritate aquæ, à piſcibus, quos nutrit, à fluuijs quos recipit, ab arenis, maximè ſi ſint aureæ, vt Tagi, Pactoli &c. à locis quos perfluit, à nauibus quibus nauigatur, & ab vtilitate, quam locis adfert circumiacentibus &c.

Vrbs laudatur à conditore, vel legislatore, à tempore, vel antiquitate, à ſitu, quòd ſcilicet ſit in loco ſalubri, tuto, amœno, ab agrorum fertilitate, à fluuis piſcoſis, & nauigabilibus, à montibus conſitis vitibus, & arboribus, à murorum ſtructura, quò pertinent templa, arces, porticus, gymnaſia, pontes, theatra, aquęductus, plateæ, ſtatuæ &c. ab incolis etiam, eorumque frequentia, & præſtantia: ad quę pertinet conſideratio morum, ſtudiorum, ac rerum geſtarum eorumdem.

Mons

Mons laudabitur à ſitu, & ijs quæ producit, vt ſi inde lapides, aut metalla effodiantur, vel ſi in eo plantæ germinent, aut degant feræ, vel aues, à fontibus inde ſcaturientibus: ab arcibus ibi extructis: & à rebus memorabilibus in eo, vel prope ipſum geſtis.

Si hortum laudare velis, conſiderabis opera, tum naturæ, tum artis: Naturæ opera ſunt ſitus, vbertas, fontes, arbores, herbæ: Artis verò, figura, ſepimentum, pergulæ, ſtatuæ &c.

Si collectiua laudare libuerit, iiſdem vteris locis; vt mundum laudaturus, id facies ab authore Deo, à partibus tam multis, varijs ac præſtantibus, quarum compage perfectum eſt: & à forma, ſeu apta earum diſpoſitione: à figura capaciſſima, nempe orbiculari, à fine, cuius gratia factus eſt, & ab alijs &c.

Factum tandem laudabitur ex eiſdem locis, quibus ſuaderes antequam fieret, ſcilicet ab æquo, legitimo, difficili, ac glorioſo: quę amplificabuntur octo locis ſupra enumeratis. Et tanta de genere Demonſtratiuo.

TRACTATVS QVINTVS.

De Genere Iuridiciali.

MVlta, in doctrina generali, de hoc genere diximus, Vt, quòd eius finis ſit iuſtum, quod eo ab æquo differt, quòd ius omnia ad legum exigat normam, æquitas verò, ſeu lenitas, quam Gręci *epicheiam* vocant, multum de rigore remittit, & leniùs ius interpretatur. Hinc Iudices, qui debent iuxta leges decernere, ad ius reſpicere tenentur; arbitri verò, potiùs attendunt æquitatem, ſeu epichæiam, quæ eſt magis ſecundum naturam. Tanta eſt autem iuſtitiæ præſtantia, vt virtutibus omnibus, ipſi etiam fortitudini, præferatur, abſque iuſtitia enim nulla eſt laus fortitudinis, & ſi forent omnes iuſti, ſuperuacanea foret fortitudo.

Diximus etiam, tempus proprium huius generis eſſe præteritum, non enim accuſatur quiſpiam niſi ob delictum conſummatum, vel ſaltem inchoatum, aut intentatum: alioquin ſi deberet deferri pro eo, quod quis facere poteſt, nullus foret innoxius,

noxius, quum quilibet delinquere queat. Coronæ etiam, ſiue præmia, non decernuntur ex iuſtitia, niſi ei, qui ſe ſtrenuè geſſit, non verò illi, qui præclarè facere potuit: quinimmò, ei qui talis eſt, tamquam deſertori, aut deſidi, pœna debetur potiùs, maximè ſi ſuâ ignauia Reſp. aut alius quiſpiam, detrimenti aliquid acceperit.

Nec minus diximus de munere, ſeu officio, vel partibus eiuſdem, quòd ſint accuſatio, & defenſio, non quòd non ſint etiam aliæ, ſed quòd hæ ſint frequentiores: petitiones enim, & oppoſitiones, ad idem pertinent genus: nam ex iuſtitia, vt ei, qui malè egit debetur pœna, quam accuſator infligi vult, & petit reus depelli: ita ei, qui rem præclarè geſſit, debetur prœmium, quod ipſe petit, Fiſcus verò eum depellere nititur: vnde tunc Fiſcus venit nomine rei. Accuſator ergo & petitor, actores dicuntur, patronus verò, ſeu defenſor, & opponens appellantur rei. Immò accuſationis nomine intelligo etiam querimoniam, & ſub accuſatoris vocabulo comprehenſum volo expoſtulatorem, quum eo tantum differant, quod accuſatio ſit ab hoſtibus, aut inimicis iniuria affectis, expoſtulatio verò, & querimonia, amicorum ſit de amicis, parum ſyncerè ſe gerentibus.

Quod attinet ad loca, quamuis neget Ariſtoteles, eſſe Oratoris dicere, quod hoc ſit iuſtum, vel non, quum hoc foret præoccupare, ſeu vſurpare officium iudicis. Vnde ipſe decernit, Oratoris eſſe tantum dicere, quid nam ſit factum, vel omiſſum: an verò illud fuerit iuſtum, vel iniuſtum, dicere, proprium eſſe Iudicis. Id tamen, ad ſummum, locum haberet, quando Reſp. foret bene inſtituta, & Iudices, vt benè morati, ita ſapientes forent, & prudentes; nam apud tales, ipſe etiam, ex lege Areopagi, prohibet Oratoribus, ne proœmijs vtantur, aut affectus ciere tentent: At quum nunc, plures à rectis errent iudicijs, non incongruit noſtrum proferre iudicium, num quid ſecundum iura fuerit factum, nec ne. Itaque loca generalia vnde ducuntur, argumenta huius generis ſunt, Iuſtum, & iniuſtum: ſpecialia verò variant ſecundùm diuerſitatem ſtatuum, de quibus conſequenter erit dicendum.

Status verò definitur ab aliquibus, quòd ſit id, quod naſcitur ex prima accuſatoris intentione. & rei depulſione. At ſi ita dicamus, quum in ſolo Iuridiciali genere ſint reus, & accuſator, in eo tantum genere erit ſtatus: Quod patet eſſe falſum: eſt

enim

enim etiam in Deliberatiuo, quum in eo quæramus, num hoc vel illud ſit faciendum, Vt quum Dauid, & Ionathas diſputabant, num Saul Dauidem interficere cogitaret, qui erat ſtatus coniecturalis. Et quum Achitophel conſuleret, præoccupandum eſſe Dauidem, priuſquam in aliquam munitam ſeſe reciperet Vrbem, cuius oppoſitum ſuaſit Chuſaï: erat ſtatus negocialis. Et quum Ioab vellet, occidendum eſſe Abnerum, quod Dauidis vires exploraturus veniſſet; Status erat finitiuus. Et quum Iudas cum paucis, obuiam procedens innumerabilibus, ſuos pauore conſternatos, ſpe Cœleſtis erexit auxilij, qui erat ſtatus quantitatis. Nec minùs eſt in Demonſtratiuo, quod inficiari nequit, etiam ſi hic nullus ſit aduerſarius opponens: quum ſufficiat ſi ſit qui tacitè diſſentiat, aut diſſentire poſſit, cogitans Oratorem elephantum facere de muſca: vel quod numquam extitit perſona, quam laudat: quum ergo in omni genere ſint ſtatus, ſatis macra & anguſta erit data definitio.

Conuenientius ergo dicetur, *Statum eſſe, qui ex prima cauſarum naſcitur conflictione*. Conflictio verò iſta cauſarum, prodit ex intentione, eo ſcilicet quod ſuadere quis nititur, & eius depulſione, nempe eo quod quis vult diſſuaſum vt (2) *intentio* foret: tu Ioab, Abnerum occidiſti: tu Abſalon interfeciſti fratrem tuum Amonem (3) *Depulſio* verò fuerit, occidi, ſed iure: & ſubijci debet (4) *ratio* huius depulſionis pro reo, vt pro Ioabo, quia Abner Aſaelem interfecerat fratrem meum: pro Abſalone, quia ipſe Amon, ſorori meæ Thamari vitium intulerat. Hinc actor opponet reo (5) *continens*, ſeu *firmamentum*, ſine quo lis conſiſtere nequit, quòd videlicet non liceat priuata authoritate perdere quemquam, quanto magis Principem exercitus, vel Regis filium. Ex his effloreſcit (6) *indicatio* nempe, an poſſit quiſpiam occidere virum, etiam Principem, & filium Regis, indemnatum, ex eo quòd ille priùs occiſoris fratrem ſuſtulerit, aut ſororem vitiauerit. Et ad hoc rationum nerui ſunt intendendi hinc, & inde: vnde hic erit ſtatus: quapropter idem eſſe videtur ſtatus, ac continens ſeu iudicatio. Ex quo ſtatuum numerum habes: ſunt enim quattuor ſtatus, nempe Coniecturalis, Finitiuus, Qualitatis, & Quantitatis, de quibus in ſequentibus agendum &c.

(1) ἐπιχαίαν (2) προβολή (3) ἀντιπροβολή (4) αἴτιον (5) συνέχον (6) κρινόμενον

CAPVT PRIMVM.

De ſtatu Coniecturali.

Coniecturalis (1) eſt ſtatus, in quo obſcura eſt iudicatio, ita dictus à coniectu, ideſt ductu rationis ad veritatem indagandam, quomodo ſomniorum, ominum, aliarumque obſcurarum rerum interpetres, coniectores appellantur. Vocatur etiam hic ſtatus Inficialis, eò quòd ſolâ inficiatione reus ſe defendere poteſt. Vnde dicunt, in hoc ſtatu neceſſariò litigantium alterum eſſe iniquum: improbus enim eſt, qui, id ſe feciſſe negat, quod verè fecit, & ſe feciſſe cognoſcit. Quod ſi facere potuit, & tamen neſcit ſe feciſſe, vt ſi lapidem proiecit è feneſtra, quo hominem occidit, ſi inde accuſetur, & dicat ſe neſcire quòd hominem occiderit, ſcire tamen quòd lapidem proiecerit, quo potuit hominem occidere, ſtatus non erit coniecturalis, ſed qualitatis aſſumptiuus. Si vero omnino non fecit, accuſator improbus erit, qui deferat innocentem, vel ſaltem leuiſſimus, eum accuſans, de quo ſibi certo non conſtabat.

Decem ponuntur capita, ſeu loci, ex quibus ſpecialia ducuntur argumenta pro hoc ſtatu. Vt, Ioſeph accuſatus, quod Dominæ ſtuprum inferre tentaſſet, & id eo negante, Primam ad ſe defendendum rationem, dabit, (2) *exceptio*, ſeu *deriuatio* iudicij, dicens, Putipharis vxorem non deberi ad accuſandum admitti, quum potuerit adoleſcentis illius inſidiari honeſtati. Huic tamen loco, quando defenſioni præponitur, parcè inſiſtendum, vtpote quum deſignet, eo vtentem, parum confidere cauſæ, & quòd propterea iudicium ſubterfugere velit, vnde apud Iudices, multum detrahitur de probationum robore. At

ſi hoc capite vtamur in Orationis exodio ſeu fine,licebit ipſum latiùs proſequi,& in eo quaſi triumphare,nam oſtendimus eximiam fiduciam, tum noſtræ cauſæ, tum Iudicum integritatis quippe qui, quum poſſemus iudicium ſubterfugere, ei tamen ſtare voluerimus.

Alterum caput eſt, (3) *probationum poſtulatio*, vt ſi Ioſeph dicat, Proba teſtibus, me tecum rem habere voluiſſe; Teſtes autem refutantur, aut opponendo alios, aut oſtendendo, quod fuerint loquuti ad gratiam pro Domina, aut ob inuidiam, & inimicitiam erga ſe exterum; Tum ob cognationem, ob lucrum, ob ætatem, vel aliter, vt infra.

Tertium caput, eſt voluntas. Ab ea ſe defendet Ioſeph,quod naturâ à ſceleribus abhorreat,& ideo non eſſe veriſimile, quod ipſe illam ad commixtionem allicere tentauerit: è contra verò, illam dicet procacem,petulantem, & in libidinem effrænem.

Quartum eſt, Facultas, vt, Quomodo in animum inducere potui, vt Dominicæ inſidiarem pudicitiæ, qui ſciam me exterum, ac mancipium, & numquam otio vacem. Tam verò facultas, quàm voluntas, probari poſſunt à genere, ab educatione, ab ætate, à natura tum animi, tum corporis, à ſtudijs, à fortuna, & ab actionibus anteactæ vitæ.

Quintum caput ſumitur ab (4) *adiunctis, quæ ſunt à principio vſque in finem* nempè ab ijs, quæ rem antecedunt, & quæ eam comitantur, & quæ ſequuntur, vt ſi Ioſeph exponat, quomodo venditus fuerit Putiphari, & quomodo, ob ſuam induſtriam ac fidelitatem, domui fuerit præpoſitus, & quomodo nullo vnquam criminis reus habitus fuerit.

Sextum eſt (5) *Qualitas abſoluta*, quum ſignum illud, quod in oppoſitum adfertur, non quidem negatur, ſed contra aduerſarium intorquetur, vel ſaltem rectè factum oſtenditur. Vt Ioſeph, ſignum pallij, quod Domina in manu ſua relictum oſtendebat, ad probandum, quòd is eam prouocare tentaſſet, dicat illud potiùs ſignificare, quod ipſa illi, quàm quod ipſe Dominæ, fuerit inſidiatus.

Septimum eſt (6) *Translatio*, quæ opponitur contraſumptioni, qualis eſt, ſi tu me non inuaſiſſes, vt ſtuprares, non mihi foret relictum in manibus pallium.

Octauum eſt (7) *translatio criminis*, quæ conſtat remotione vnius cauſæ,tamquam falſæ, & poſitione alterius melioris: Vt,

non

non ideo tibi relictum eſt pallium, quod ad te ſtuprandam ve-nerim, ſed quòd tu, me renitentem apprehendere, & ad ſtuprum illicere voluiſti.

Nonum eſt (8) *probabilis defenſio*, vel inuerſio. Vt, quia Dominus me domui præpoſuerat, indigui, pro negocijs, & domûs prouiſione, ad gynecæum vſque, & cubiculum, in quo manebas accedere. Tu verò me procacibus oculis, nutibus, ac verbis, ad ſtuprum pellicere conata es, quod quum nefas ducerem, vim paraſti, & pallio apprehenſum, trahere conabaris: at ego, ipſius potiùs, quàm fidei, ac pudicitiæ iacturam pati, ſatiùs duxi.

Vltimum ponunt (9) *qualitatem abſolutam*, conſtantem ex communiter accidentibus, & eſt epilogus, qui fit enumeratione præcipuorum capitum, ac commotione affectuum. Epilogus tamen, reuera non eſt locus, nec inter capita numerandus, quum non habeat diſtincta argumenta, quibus propoſitionem confirmet.

Status iſte frequentiùs locum habet, quum alicui illatum eſt damnum, ſiue iniuria irrogata, & neſcitur, à quo fuerit paſſus. Et ad hoc inueſtigandum, monet Ariſtoteles, actori incumbere, vt oſtendat, cauſas, pro quibus homines alijs iniuriantur, illi, quem accuſat, ineſſe: Reo verò, eas non adeſſe. Et quia iniuriari, eſt ſponte, præter leges officere, oportet, quod iniurians, voluntariè operetur contra iniuriam paſſum, aliquid, quod non debet. Et propterea eædem putandæ ſunt iniuriarum cauſæ, quæ ſunt ſpontanearum actionum: talium autem actionum cauſæ, ſunt ſeptem, nempe Vis, Fortuna, Natura, Conſuetudo, Ratio, Ira, & Cupiditas. Sed Vis, & Fortuna, niſi Voluntas cum eis concurrat, iniuriam nòn faciunt.

Putantur proni ad faciendam iniuriam, ij, quibus adeſt facultas faciendi, & quum fecerint, credunt pænas ſe non luituros, vt ſunt potentes, & vallati amicis, miniſtris, complicibus, ac fautoribus: maximè ſi inter amicos numerent Iudices, à quibus facile abſoluantur, quum, ob illatas iniurias, deferuntur. Vel etiam, ſi amicos habeant, qui amici ſunt eorum, quibus iniuriam irrogant, ſiquidem hac ratione, non redhoſtimentum, ſed reconciliationem potiùs illico ſperant.

Secundò ij, qui poſtquam iniurij fuerint, credunt, ſe poſſe latere. Cuiuſmodi ſunt primò, qui inepti putantur, ad talia,

vt imbecilles ad vulnerandum, pauperes, ac deformes ad adulterandum &c. Secundò, qui non obſeruantur, vt, ſi iniuriam irrogent in publico foro, aut grauiſſimam, & incredibilem, aut ei, qui nullum habet inimicum: immò qui iniuriam facit, ei, qui, eo quod multos habeat inimicos, amicis circumuallatus incedit, latere ſe poſſe credit, quia non eſt veroſimile, quod ipſe eum aggrediatur ſic cuſtoditum: & poſſe ſe defendere, ſi accuſetur, quaſi numquam foret aggreſſurus eum,qui tot circumuellaretur miniſtris, & in omnium oculis. Tertiò qui, quum ſæpe iniurias irrogarint, aut latuerunt, aut condemnati non fuerunt, aut modicum quid damni ſunt aliàs paſſi.

Quartò iniurioſi ſunt, qui eſto latere non poſſint, poſſunt tamen ſubterfugere iudicium,& vitare condemnationem, vel protrahendo illud in longum, aut corrumpendo iudices. Quinto pauperes,qui non habent ad quod perdendum condemnentur. Ad quod reducitur, quum redhoſtimentum hoſtimento par non dabitur,vt Remp.per tyrannidem aut perduellionem aggredienti. Sextò ſi cui iniurianti, præſtò eſt emolumentum,vel magnum, vel manifeſtum:pæna verò nõ dabitur,niſi poſt longum tempus, vel occulta,aut parua. Hinc auari ſunt iniurioſi,quando iniuriãdo conſequi ſperant lucrum quod auent, deprehenſi verò, in opprobrium tantum incidunt, quod nihili ducunt. Glorioſi verò ab iniuriando non ceſſabunt, ſi inde laudem ſibi promittant; &, deprehenſi, in pecunia tantum pænas luant. Septimò iniuriam facile irrogant intemperantes, quibus illicò factâ iniuriâ promittitur lucrum, aut voluptas: damnum verò, vel dolor, tantum poſt longum tempus: Temperantes verò, iniurioſi erunt,ſi eis dolor,vel detrimentum illicò immineat,ſed lucrum, & voluptas certo eis reſeruetur in futurum .Octauò illi, quibus licet actionem iniurioſam referre in neceſſitatem, aut naturam, aut co nſuetudinem, tales enim,deprehenſi, eſto faterentur ſe erraſſe, non tamen concedent ſe fuiſſe iniurioſos. Hinc iniuriam irrogant, qui aliter ſuum ius conſequi ſe poſſe deſperant: Et egentes, ſiue ſimpliciter, vt inopes, & mendici, qui neceſſarijs carent, ſiue ſecundum quid, vt diuites, qui gemmis indigent, & ſuperfluis: Et nimis clari, qui non propterea claritatem ſunt amiſſuri, cuius apicem tenere ſe credunt: Et nimis infames, qui non inde euadent infamiores.

Cauſæ vnde quis mouetur ad inferendas iniurias, ſunt, iucundum,

cundum , aut bonum , quod quis conſequi ſperat iniurias irrogando : niſi enim voluptatem, aut emolumentum aliquod inde ſperaret , profectò iniurias non irrogaret.

Inferuntur verò iniuriæ, primò , ijs , qui ea habent , quibus iniurias inferentes egent , vel ſimpliciter , & ad neceſſitatem , vel ad exceſſum , & voluptatem : nec parcunt propinquis , aut remotis, ſi latendi ſpes affulſerit,vel ſaltem vindictam morandi. Secundo irrogantur credulis , quia ſibi non cauent , nec obſeruant maleuolos , quia facientes putant ſe poſſe latere . Similiter ijs , quibus numquam illatæ fuerunt , quia credunt non eſſe ſibi inferendas . Et negligentibus, quia non putantur vltionem exacturi : ſecus de acribus , ac diligentibus . Idem de modeſtis ac verecundis , qui lites habere neſciunt . Præterea ijs , qui ſæpè iniuriâ affecti , ſe minimè vlti fuerunt , nam tales, quaſi deſperantes euadere,non curant amplius iniurias,quæ ſibi inferuntur,vlciſci.Tertiò inferuntur calumniatoribus, quia iſti eas proſequi nec volunt , nec poſſunt , ſiquidem timent eas deferre iudicibus , ne ab iſtis,ob alia ſua ſcelera, puniantur : & ſi eas deferant , eis fides non adhibetur, quum ſint inuiſi . Eadem eſt ratio de ijs , qui cauſam dederunt ; ſiue ſint inimici ; quia iucundum eſt talibus iniuriari , ſiue amici , quia facilè . Nec minùs illis, qui viribus, amicis,aut neceſſarijs ſunt deſtituti , quia vlciſci nequeunt. Eis etiam , qui inepti ſunt ad agendum, vel dicendum , quia vel facilè reconciliantur , vel vlciſci nequeunt . Præterea aduenis , peregrinis , aut ijs , qui manibus victum lucrari debent , quia talibus non expedit morari , donec vindictam ſumere valeant . Vlteriùs , ijs qni conſueuerunt alijs iniuriam irrogare,ſeu inferre voluiſſe,ſi talis ipſis inferatur, qualem ipſi alijs facere conſueuerunt , nam videtur debita . Similiter eis , quos poſtquam accuſauimus , ab incæpto deſtitimus , ſumptâ vltione per iniuriæ irrogationem . Vel eis, quibus,ſi non nosipſi , ſaltem alij iniuriam inferrent . Tandem facilè iniuria irrogatur,gratis, ſuſpicientibus , amicis , vel dominis , quia vel non credunt nos feciſſe , vel ab eis veniam citò ſperamus , vel ſaltem iniurias compenſare poſſumus donarijs , muneribus, vel eoſdem deinceps honorando .

Iniuriarium magnitudo,attenditur,vel ex magnitudine damni illati , vel ex magnitudine iniquitatis à qua procedunt.Quod ſi talis magnitudo damni , vel iniquitatis, primo aſpectu non

appareat,

appareat, amplificatione ſub oculis ponenda eſt. Ita qui æra minuta abſtulit è templo, magnam intulit iniuriam, ob iniquitatis magnitudinem, ſiquidem ob furandi habitum, ab auro non abſtinuiſſet. Ob magnitudinem verò damni, magnæ cenſentur, tum illæ, quibus pœna non datur, niſi minor, vt eſt in Remp. aut Regem proditio, ſiue rebellio. Tum quarum non eſt recompenſatio, vt homicidium, nam, qui eam paſſus eſt, nequit condignam recipere ſatisfactionem. Tum illæ, quas magna conſequitur perſonam iniuriatam infamia, vt vapulatio, vel adulterium. Aggrauatur etiam iniuria ex parte iniuriantis, ſi eam fecit ſolus, aut primus, aut ſæpe, aut cum paucis. Et ſi eam fecit magnâ cum præmeditatione, & deliberatione. Sunt etiam iniuriæ maiores, quæ ſunt propriæ brutorum, vt in oculis omnium mulierem cognoſcere, aut propriam cognoſcere matrem. Vel, ad quas puniendas noua pœnarum genera ſunt excogitanda, & quas qui audiunt, horrore potiùs, quàm commiſeratione tenentur. Præterea, quæ fiunt in contemptum iuriſiurandi, affinitatis, fidei &c. nam ita quaſi multa coaceruantur crimina. Vlterius quæ ibi fiunt, vbi crimina puniuntur, vt in prætorio, & propterea periurium teſtium graue cenſetur delictum. Nec non illæ, vnde maior oritur confuſio, & quæ ingratitudinem ſapiunt, vt quæ ab eo irrogantur, qui beneficijs fuit affectus, & qui gratias referre debebat. In his omnibus obſeruandum, Quis, Cui, Quantum, & Quamobrem iniuriam fecerit; Et actor amplificare, reus per inficiationem, cum probabili coniectura, extenuare debebit, vt criminis coniecturam, vel grauitatem elidat.

Coniecturæ autem adſtruuntur, Voluntate, Facultate, & Signis. Voluntas probatur à cauſis impellentibus, ſiue finalibus. Impellentes ſunt affectus, vt Ira, Odium, Inuidia &c. tum etiam morbi, vt, dementia, ebrietas &c. atque fortuiti caſus. Vt, latrones occidunt affectu: ebrij, morbo: qui verò telum iacit in feram, quo hominem, fortè tranſeuntem, ſuſtulit, fortunâ, ſeu caſu, facit. Pro cauſa finali inueſtigandum, cui factum pro fuerit, iuxta illud Caſſij, *Cui bono*, nam veroſimile eſt, ab eo patratum, cui factum profuerit. Facultas attenditur ex viribus, & opportunitate loci, temporis &c. Signa tandem, vel rem antecedunt, vt iurgium, contumeliæ, minæ, armorum præparatio; vel concomitantur, vt clamor, ſanguis &c. Vel conſe-

quuntur,

quuntur, vt pauor, latitatio, fuga, quæ à iuriſtis dicuntur præſumptiones, ab eo enim, cui hæc inſunt ſigna, delictum factum præſumitur. Reus verò hæc infirmabit, negando adfuiſſe voluntatem, quia non ſit talis, vt facile à recto poſſit abduci; & ſic actoris cauſam impellentem negabit, aut ſaltem, quòd fuerit tanta. Facultatem quoque negabit, quia non fuerunt tantæ vires, opes, copiæ, locus, tempus, ſpes latendi &c. Signa etiam infirmabuntur, oſtendendo, non eſſe talia, vt propter illa de viro probo, debeamus perperàm iudicare.

(1) στοχασμὸς (2) παραγραφὴ (3) ἀπαίτησις τῶν ἐλέγκων (4) τὰ ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους (5) ἀντίληψις (6) μετάληψις (7) μετάθεσις τῆς αἰτίας (8) πιθανὴ ἀπολογία (9) ἀναστροφὴ.

CAPVT SECVNDVM.

De Statu finitiuo, ſeu de Nomine facti.

STatus finitiuus, ſeu definitiuus dicitur ille, in quo queſtio eſt de facti nomine; mutatur ſiquidem, & aut exaggeratur, aut minuitur, quandoque etiam omninò tollitur delictum, per nominis mutationem. Vt, ſi quis ſacrilegij delatus, quod pecunias è templo ſuſtulerit, definiendo dicat, ſacrilegium tunc tantùm eſſe, quum res ſacra è loco ſacro auferatur, ideoque furtum, quidem ſe commiſiſſe, quod rem alienam, inuito contrectauerit Domino, at non ſacrilegium, quum rem non ſacram acceperit. Vnde mutatur crimen, de ſacrilegio in furtum, & magna ex parte extenuatur. Tollitur verò omninò, caſu, quo quis, factum trium fortium Dauid, temeritatis accuſaret, quod ad hauriendam aquam, à Rege concupitam, per Philiſtinorum tranſierint phalanges: nam temerarium eſt, abſque vrgenti neceſſitate, capitis ſeſe periculo exponere. At illi, negent aliud nomen ſibi deberi, quàm fortitudinis. quando ipſorum quilibet,

bet, expertus foret, in bello quid valeret, eo quòd vnuſquiſque ipſorum, integrum delere poſſet exercitum; Non ergo metuere debebant periculum, vbi, attentâ ſuâ fortitudine, nullum erat. Orator huius generis promptas habere debet definitiones rei quam tractat, vt doceat, quid, quo nomine ſit appellandum.

Vt locos aſſignemus, vnde deſumi debent argumenta pro hoc ſtatu, fingamus eſſe legem, decernentem præmia, ei qui tyrannum ſuſtuliſset: & quòd fuerit Tyrannus, omnibus quidem inuiſus, ſed quem nemo armis auderet aggredi; philoſophum vero, Tyranno illi perſuaſiſse, vt, tyrannide depoſitâ, ad priuatam ſeſe conferret vitam; Tum philoſophus prœmium petat à lege præſcriptum. Itaque dicet. Quum nemo Tyrannum tollere auderet, ipſe verò ſemper affectus erga patriam fuerim, non acquieui, quòuſque illi non perſuaſerim, vt ſe abdicaret imperio, quo factum eſt, vt ſine periculo, cæde, aut ſanguine, patriæ pepererim libertatem; pro quo beneficio, condignum poſco præmium, lege decretum eis, qui Tyrannum ſuſtuliſſent: Nec obſtare quòd Fiſcus, vel aduerſarius, dicat, non deberi præmium, niſi ei qui Tyrãnum occiderit, quod ipſe philoſophus non fecit. Siquidem tyrannicida eſt, nedum, qui Tyrannum occidit, vt aduerſarius volebat, verum etiam quiſquis tyrannidem tollit, ac patriæ reddit libertatem: iſte namque, eſto non tollat Tyrannum quatenus eſt homo, tollit nihilominus eum in quantum eſt Tyrannus; quod pluris eſt faciendum: quum ſæpe, qui Tyrannum hominem occidit, non tollat Tyrannidem, quinimmo poſt Tyranni mortem, grauior ſeruitus ſub Tyranno alio ſubſeqnatur.

Secundus locus erit ratiocinatio, quâ conferuntur duo illi modi tyrannidem auferendi, ac dicetur. Tantumdem eſſe verbis, quantum armis tyrannidem tollere.

Tertius erit (1) *ſententia legislatoris*. Vt, Lex condita fuit cauſâ libertatis, non ſanguinis, vnde premium non debetur ob ſanguinem fuſum, ſed ob libertatem partam.

Hunc locum excipit (2) *rei quantitas*, quâ, eloquentia celebratur, & oſtenditur, quam magnum fuerit, id efficere oratione, quod alij armis non potuerint. Et clauditur comparatione, & amplificatione, oſtendendo, meliùs de Rep. meruiſſe, qui verbis Tyrannum pepulit, quam qui armis, quum id præſtiterit

titerit ſine tumultu, abſque periculo, ac ſine Ciuium ſanguine, quæ, etiam ſi omnia feliciſſimè eueniſſent, cum armis ineuitabilia fuiſſent.

Demùm recenſebitur, (3) *qualitas* ab attributis perſonæ, & oſtendetur quibus hactenus moribus præditus fuerit ille philoſophus: & cuiuſmodi in poſterum ſit futurus, ſi præmium obtineat; vel qualis, ſi illius ſpe fruſtretur.

(1) γνώμη νομοθέτȣ (2) πηλικότης (3) ποιότης.

CAPVT TERTIVM.

De Statu Qualitatis.

STatum qualitatis, dicimus eſſe eundem, ac generalem, ſeu generis, in quo videlicet controuerſia eſt de genere, ſeu qualitate facti, ſiue ſcripti, legis, negotij, ſeu actionis: & diuiditur in negocialem, & Iuridicialem: hic Iudicijs conuenit, & eſt proprius generis Iuridicialis, eſto transferatur nonnunquam obiter, & ad alia genera. Ille, quum ſit de re facienda, propriè pertinet ad genus Deliberatiuum, &, vt docet Ariſtoteles, difficilior eſt, quàm Iuridicialis: Tum quia difficilior eſt futurorum coniectatio, quàm aſſeueratio preteritorum: Tum etiam quia, in Iuridiciali lex eſt principium, ex qua facile concluſiones deduci poſſunt, quod non eſt in Negociali: Tum denique, quia Negocialis non habet diuerticula, niſi tranſeat ad aliud genus: at in Iuridiciali, multa dici poſſunt de perſona noſtra, aduerſarij, Iudicis &c. Vnde fit, hunc ſtatum eſſe difficiliorem, eſto vniuerſaliter genus Iuridiciale credatur Deliberatiuo difficilius.

Capita, ſeu loci, vnde ſumuntur argumenta huius generis, in tractatu de genere Deliberatiuo, diximus quot & quænam, ſint, nempe eſſe ſex, videlicet Legitimum, ac Iuſtum, Vtile & Poſſibile, Honeſtum, ſiue glorioſum, & euentum. Illud autem legitimum propriè ad hunc ſtatum pertinet, quod moribus ac conſuetudine, non verò quod ſcripto continetur: quomodo

conſuetum erat Hebræis, manus, ante Cœnam vel prandium lauare, eſto de hoc nulla ſcripta lex daretur. (1) *Iuſtum* verò in præſenti, idem eſt, ac æquum.

Tertius locus ponitur quod ſit (2) *Vtile* ſiue ſit tantum (3) *conducibile*, ſiue etiam (4) *neceſſarium*, & bifariam tractari debet, nam & enumeranda ſunt bona obuentura, ſi quid fecerimus, & mala, ex omiſſione, impendentia. Vt, ſi iuſtitiam coluerimus, conſeruabimus bona quę adſunt, obtinebimus, quæ nondum ſumus conſequuti, liberabimur à malis quæ præmunt, & quę imminent, vitabimus. Contra, ſi eam non ſectemur, bonis quæ adſunt priuabimur, quę non adſunt non adipiſcemur, à præſentibus malis non eruemur, & quæ imminent nos apprehendent.

Quartus locus eſt (5) *Poſſibile*, oſtendere namque debemus, illud quod ſuadere tentamus, poſſe fieri, alioquin ſi iudicetur impoſſibile, tollitur omnis conſultatio. Vrget verò maximè hic locus, ſi nedum fieri poſſe, ſed etiam facilè fieri poſſe oſtendere poterimus.

Quintus eſt (6) *honeſtum* ſiue *glorioſum* quem eodē tractabimus modo ac vtile; argumentamur enim: Si iuſtitiam colueris, dignitatem tueberis prę̨ſentem, ſperatam conſequeris: infamiam profligabis præſentem, & , quam metuis, vitabis: Quod ſi eam fueris auerſatus, prę̨ſenti non liberaberis infamiâ, & imminens te apprehendet, à præſenti excides dignitate, & ſperatam non adipiſceris.

Sextus eſt (7) *euentus*, quo dupliciter vti poſſumus, primò dicendo, quòd in vtramuis partem euentus cadat, vtile, ac glorioſum fuerit, aggredi, quod monemus. Vt, etiam ſi beatitudinem non eſſemus adepturi, Vtile tamen, & glorioſum fuerit, iuſtitiæ, ac ſanctimoniæ operam dediſſe. Secundò, vt euentus propriè ſit vtilitas ſiue gloria, quæ rem conſequitur. Qui locus, eſto ſæpe coincidat cum vtili, nonnihil tamen ab eo aliquando eſt diuerſus. Vt ſi dicamus: Venetis ſuppetias eſſe ferendas contra Turcas, ne in illorum veniant, poteſtatem: argumentabimur ab euentu, quia ſi permiſerimus Venetos à Turcis opprimi, timendum, ne idem ſeruitutis iugum, ab ijſdem immaniſſimis hoſtibus, nobis deinceps imponatur.

CAPVT

(1) δίκαιον (2) συμφέρον (3) χρήσιμον (4) ἀναγκαῖον (5) δυνατὸν (6) ἔυδοξον (7) ἐκβησόμενον.

CAPVT QVARTVM.

De Statu Qualitatis Iuridicialis.

Diuidebamus ſtatum qualitatis, in Negocialem, & Iuridicialem. De illo actum, ſupereſt, de iſto; de quo generatim egit hic Ariſtoteles, iuſtum ſecernens ab iniuſto, ratione fundamenti, & obiecti, nempe legis, & hominum. Iuſtum enim eſt, quod fit ſecundum legem, ſiue publicam ſiue priuatam, ſiue ſcriptam, ſiue non ſcriptam. Iniuſtum verò, quod contra legem committitur. Et tàm iuſtum, quàm iniuſtum, talia ſunt ratione boni, ſiue communis, ſiue particularis.

Sunt porrò duæ ſpecies ſtatus Iuridicialis, vna, quæ propriè appellatur Iuridicialis, & eſt de rebus, quæ veniunt in iudicium: alia quę dicitur ſtatus (2) *translatiuus*, & eſt de controuerſis, ante iudicium. Status Iuridicialis propriè dictus, diuiditur vlteriùs in rationalem; & legalem; ille vtitur ratione, hic verò dicti, ſeu ſcripti authoritate, & dicitur (3) ***per excellentiam legitimus***, ſiue legalis: nam etſi multa ſint ſcriptorum genera, vt tabulę, litterę, teſtamenta &c. inter omnia tamen familiam lex ducit, quam ***Stoici rerum omnium humanarum, Diuinarumque*** dixere ***Reginam***. Rationalis verò ſtatus, etiam ſubdiuiditur, nam alius eſt abſolutus, alius aſsumptiuus. Hic eſt, quum defenſio eſt per ſe debilis, ſed iuuatur colore aliquo deforis accito. Ille vero eſt, quum (3) *ſimpliciter* factum defenditur. Et eſt etiam duplex; nam vel eſt ſimplex, vel duplex. In ſimplici, vel factum venit in iudicium propter ſe, vel propter euentum. Propter ſe, vt quum Petrus accuſatus, quod Chriſtum prędicaret contra inhibitionem Summi Sacerdotis, reſpondit, debuiſſe ſe obedire Deo potiùs, quàm hominibus. Propter euentum verò, vt, Iuniores Roboami conſiliarij, qui Regi ſuaſerant, vt populo aſpera loqueretur, ex quo factum eſt, vt decem ab eo deficerent, ac rebellarent Tribus: factum ſecun-

dum ſe non habet, vnde vituperetur, ſed accuſabile eſt propter euentum. Duplex, etiam diuiditur, nam vel coniunctione eſt duplex, vel diuiſione. Coniunctione fit, quum ex duobus criminibus, quę obijciuntur, vnum ſine altero ſtare nequit, vt ſi conſiliariorum nouiſſimus, omnium infirmet conſultata, proprium ipſe non aperiat decretum; nam ſi melius ipſe conferret, delictum nullum foret, nec, ſi tacuiſſet, vehementer peccaſſet: at cęterorum ſeſe dictis opponere, nec melius adferre, eſt fruſtra tempus terere, caſſamque reddere conſultationem: vnde actor vtrumque ſimul crimen coniungit; reus verò diuidit illa, vt eleuet; Diuiſione verò fit, quando duo obijciuntur crimina, de quorum quolibet ſeparatim tractari poteſt, Vt, quod Iudas proditor fuerit, ac fur: quàmuis enim eorum quodlibet per ſe ſeparatim in iudicium venire poſſit, coniunguntur tamen, quia ſic vnum exaggerat alterum. Sed Reus, ſeparando, ea minuit.

Status Rationalis Abſoluti Capita, ſeu Loci argumentorum aſſignabuntur, proponendo caſum, quòd Pictor tabulam poſuerit in portu, quâ ad viuum naufragium expreſſit, quâue, vt malo omine, nautæ territi, ac mercatores, ſummo cum Reip. detrimento, deſierint in hunc portum appellere: Eo nomine pictor fit reus publici criminis, ſeu læſæ Reip. Vnde accuſator dicet: Quum tuæ tabulę, quibus naufragia depinxiſti, metum incuſſerint mercatoribus, quò factum eſt, vt nulla inſtituantur commercia, nullæ fiant negociationes, picturis, populi imminuiſti vectigalia, ideoque reus es læſæ Reip. Nec eſt quòd tibi blandiaris, quaſi quòd homo priuatus, & profeſſione pictor, Reſp. lędere non poſſis: Nihil enim refert, priuatusne eam prodat, an Magiſtratus, num obſit prodendo Ciues, an tabulas pingendo, num ferro Vrbem vaſtet, an fame; Lex enim pænas ſtatuens Remp. prodenti, incolumitati Ciuium conſulere voluit, pictori non promiſit immunitatem.

His locis ſuccenturiabitur (4) *Rei quantitas*, vt dicendo: Miſerabile eſt, ac graue, Remp. pictoris culpâ, vectigalibus fraudari. Et (5) *Comparatio*, quâ res magis amplificatur, vt, Atrocius facinus eſt, Patriam ab opifice, ac pictore ſpoliari ijs, quę importantur, quàm exercitum hoſtibus prodi; ſiquidem ſine militibus viuere poteſt Reſp. ſine frumento omnino non poteſt. Cui ſuccedit (6) *tranſlatio*, quæ fit, vel (7) *enſtaſi*, quę eſt (8) *negatio contraria* vt, ſibi non blandiatur pictor, quòd ei ex officio

pingere

pingere liceat, non enim licet, quod Reip. nocet: vel (9) *obſiſtentia* quæ eſt (10) *excellens lex*, & fit conceſſione, & inficiatione, vt, Licet vtique pingere quodlibet, ac artem oſtentare, ſed tunc tantum, quando inde Reſp. nihil damni accipere poteſt: Verùm, quando eſt cum Reip. detrimento, aut populi damno, omnino eſt illicitum. Nec iuuat (11) *altera tranſumptio*, quòd voluerit conſulere nauigantibus, nam aliter conſulere debuit, quàm cum Reip. detrimento: Quur enim non potiùs eos docuit, quâ ratione tutò ſulcarent maria, quamquam in hoc, ſcriptores meliùs, quam pictores valeant. Saltem ſi pingere voluit, & tabulas in portibus ſuſpendere, quur hoc inſcio fecit magiſtratu. Ex quo arguitur de animo, ſeu ſententia pictoris, quòd ſcilicet Remp. lædere voluerit.

At pictor partes allegabit iuris, quæ ſunt honeſtas, atque vtilitas; Dicet enim ſe rectè feciſſe, nec quidquam in legem peccaſſe: Siquidem conſentaneum nobis eſt, humanos caſus oculis ſubijcere: quod ideo vtile cenſetur, quia periculorum metus, Dei adfert timorem, &, in hoc facto, cautiores reddit nauigantes. Arguit etiam à qualitate perſonæ, vt dicendo, quòd quum ipſe ſit pictor, idelt homo priuatus. Remp. lædere non poſſit Nam pingere naufragia, non eſt lædere Remp. quum pictor non prodat hoſtibus arces, claſſem, vectigalia, aut alia Reip. commoda. Nec lex quæ prohibuit inferri Reip. offenſam, pictori liberum ſuæ artis vſum inhibuit: nulla enim adhuc eſt lata lex, quę prohibeat ornari picturis loca publica, atque adeo ipſos portus: maximè quum in caſu, pictoris intentum fuerit mercatores, ac naucleros commonefacere, vt cauti forent in periculis, quæ eſt tranſumptio: vnde quantum in ſe fuit, & quantum ſuâ potuit arte, Reip., vt tenebatur, conſulere voluit. Et hic agi poteſt de pręſtantia artis pictorię. & multa dicenda ſunt, ad probandum, pictoris animum non fuiſſe lædere, ſed iuuare potius Remp.

(1) μετάληψις (2) κατ᾽ ἐξοχὴν νομικὸς (3) ἁπλῶς (4) πηλικότης (5) πρόσι (6) μετάληψις (7) ξυςάσει (8) ἄρνησις ἐναντία (9) ἀντιπαρόςασει (10) κατ᾽ λέξις (11) ἑτέρα μιτάληψις.

CAPVT

CAPVT QVINTVM:

De Statu Rationali Aſſumptiuo, ſeu de Antitheſi.

Diuidebamus ſtatum Rationalem, in Abſolutum, & Aſſumptiuum. Illum abſoluimus, de hoc eſt nunc dicendum. Accidit ergo ſtatus (1) *aſſumptiuus*, quum defenſio eſt per ſe debilis, ſed colore aliquo, ſeu probabili facti cauſâ de foris aduocatâ, adiuuatur. Et appellatur antitheſis, quia eſt (2) *poſitio contraria*, & quaſi præſidium contra ſtatum abſolutum. Eius partes ſunt Confeſſio, & Compenſatio: quomodo Abner fatebatur ſe occidiſſe Aſaëlem Ioabi germanum fratrem, ſed culpâ ſe vacare volebat, quia id coactus feciſſet, vt propriam tueretur vitam. Species huius ſtatus ſunt quattuor, nempe (3) *Comparatio, Relatio, Remotio, & Conceſſio*, ſub Conceſſione numerant aliqui deprecationem, & purgationem: ſed quum deprecatio ſit coloris expers, non videtur poſſe ad ſtatus aſſumptiuos pertinere.

Comparatio, quę & Compenſatio dicitur, tunc eſt, quando è duobus, alterum fieri oportuit, & ſatiùs fuiſse, fieri quod à nobis eſt factum, oſtendimus Sic quum Ioabus Abſalonem interemiſset, factum defendebat, quòd præſtaret ſæuire in filium Regis, quàm Regem ipſum, ac Regnum in periculo verſari. Sic Achimelechus, quòd cibaria, & gladium Dauidi dediſset, excuſabat, quod oportebat, aut hoc facere, aut Regis contemnere miniſtrum, quod læſæ maieſtatis crimen cenſeri debebat.

Relatio accidit, quando crimen refertur in perſonam, quæ malum perpeſsa eſt: quomodo Abner, culpam à ſe in Aſaëlem occiſum transferebat. Dicitur etiam Recriminatio, quia Reus non negat crimen, ſed aſserit non eſse ſuum, quippe qui iuſtè fecerit, ſed potiùs illius qui damnum eſt paſsus, qui quum priùs iniuriam feciſſet, ea ne inulta foret, par pari redditum hoſtimentum.

Remotio eſt, quum crimen non refertur in perſonam multatam, vt fit in Relatione, ſed vel in aliam perſonam, quæ nullo eſt affecta incommodo, vel in rem quamlibet, quæ in iudicium vocari non poteſt. In perſonam non affectam malo, culpam transfe-

transferebat Michol, quum increpita à Saule, quòd Dauidem emiſiſſet, ait, id ſe feciſſe, eò quod ille, ni faceret, mortem comminaretur. Sic Aaron reprehenſus à Moſe, quòd vitulum conflaſſet, culpam transfert in populum. Si Adam accuſatus, quòd pomum guſtaſſet, in mulierem reijcit culpam. Sic, qui dicit ſe Prætoris iuſſu id feciſſe, pro quo eius nomen in iudicium defertur. In rem, quæ non poteſt trahi in iudicium, culpam reijcit Imperator, ſiue Dux, qui cædium, ſeu rapinarum accuſatus, culpam in ipſam belli transferret naturam. Sic, qui homicidij, vel alterius delicti culpam, in vinum, & ebrietatem reijceret. Hoc tamen, eſto excuſet à ſupplicio capitali, non tamen à pœna extraordinaria, vt eſt in ff. Tit. de Pœnis & l. Vn. C. ſi quis Imp. maled. Contra remotionem etiam in Perſonam, dicet Actor, eſſe legem Prætor §. Quoties ff. de vi armata Si quis, illicita iubenti, paruerit.

Conceſſio, ſiue Purgatio accidit, quum quis factum fatetur, negat tamen ſe feciſſe conſultò, aut dolo malo, per quod factum excuſat. Factum autem excuſatur Primò, neceſſitate, vt quòd Ionathas contra Saulis adiurationem, mel guſtauerit, aut quòd Saul, populo comedendum dederit crudum, & cum ſanguine. Secundò, Fortunâ, quomodo Ioabi victoria aduerſùs Abſalonem, fortunæ adſcribi potuit, quæ, hunc tranſeuntem ſubter condenſam quercum, capillis in ea ſuſpendit. Sic parum abfuit, quin fortunæ adſcriberetur victoria Moabitarum contra Reges Iſraëlis, Iudæ, & Idumeæ, ſiti penè enectos: Certè Diuino dempto conſilio, horum contra Moab triumphus, fortunę tribui potuit, quæ Moabitas palantes, miſit, quaſi ad eorum ſpolia detrahenda, vt ſic facile potuerint debellari. Tertiò, Imprudentiâ, quomodo ſtuprum filiabus à Loth illatum, imprudentiæ, ſeu ebrietati adſcribendum fuit. Sic Aman, quum lege latâ, Iudæos, ideſt ſeruilis ſortis homines, tollere cogitaret, Eſther Dominam, ac Reginam ſuam, parum abfuit, quin perderet. Sic Pharao, ſic Abimelechus, putantes ambo, quòd Sara ſoror eſſet Abrahæ, vxorem ſibi duxerunt. Sic, qui ſeruo colaphum dare vellet, & Patricium, in proximo ſtantem, percuteret, imprudentiæ id adſcriberet: Sed actor dicet, fuiſſe, non neceſſitatem, ſed iniuriandi voluntatem, non fortunam, ſed culpam: non imprudentiam, ſed malitiam. Quando oſtenditur res facta abſolute neceſſitate, probatur facta abſque alterius

iniuria,

iniuria, niſi quum is, qui fecit, dolo malo, & propriâ culpâ, in eam ſe neceſſitatem coniecerit, vt decernitur l. 2. §. Quod iam dicimus ff. ſi quis cautionibus. Et qui factum fatetur, ſed negat animum, ſeu voluntatem maleficam, (vt apud hiſtoricos ſæpè narratur accidiſſe), non propterea pœnas euadit, iuxta Paulum I. C. ad legem Si quis ff. de pœnis dicentem. *Qui abortionis, aut amatorium poculum dant, etſi dolo non faciant, tamen quia mali exempli res eſt, humiliores in metalla, honeſtiores in Inſulam, amiſſâ parte bonorum, relegantor.*

Vt proponi poſſint capita, ſeu loci huius ſtatus communis, omnium colorem recipientis, ponamus caſum, quòd aliquis Centurio, tempeſtatibus impeditus, non adfuerit ad diem præſtitutam: & quòd ſit lex, In eum qui tempori non adſit, fuſte animaduertatur, & poſt illa inhoneſtâ dimittatur miſſione. Hinc accuſatur Centurio, & proponitur (4) *intentio* accuſatoris, quæ repetitur in narratione, facienda, cum omnibus circumſtantijs, quæ rem exaggerare, & aggrauare poſſunt. Et etiam in ipſa confirmatione pertractatur, quòd Centurio ad diem ſtatutam non adfuerit. (5) *Intentionem* excipit (6) *definitio*, ſi adſit, ſed quia frequentiùs definitio non occurrit, ab ea poſſumus abſtinere: ſed (7) *oppoſitio* ſaltem omitti non debet, nempè, quòd huiuſmodi non ſit ignoſcendum delictis, ne contingat aliquem in Remp. bis peccare. Et eſt ſubiungenda altera ſententia, quâ dicatur, id non fuiſſe factum neceſſitate, ſed vel formidine, aut animo in Remp. perfido, ac peruicaci. Et quia Reus opponit tempeſtates neceſſitatem facientes, contra ponenda eſt (8) *tranſumptio*, quod non debuerit Centurio profectionem tamdiu differre, ſed itineri, ante tempeſtates obortas, ſeſe committere. Et tunc addi poteſt locus, continens ea quę ſunt ad aliquid, nempe (9) *Comparatio*, vt, Hoc facinus turpius eſt, quàm aciem deſerere. Cui ſuccenturiabitur (10) *definitio violenta*, continens aliquid (11) *incredibile*, vt, quòd hoc ſit funditùs Remp. peſſumdare. Addendum propoſitum, nempe, quod oporteat, Centurionem eſſe vigilantem, & omnia præſtare vt tempori adſit Et ſi quid interim aduerſi acciderit, debet illud Imperatori ſignificare, quę eſt (12) *altera tranſumptio*, ac demùm exponenda eſt qualitas ab attributis perſonæ, animus &c.

At Reus ex ſimilibus locis ſeſe tuebitur. Vnde in eius intentione,

tione, ſeu propoſitione, inſpergi debent ſemina confirmationis, ſeu narrationis excuſantis quur non adfuerit: Itaque alitèr ac Actor factum circumſtantiabit, &, ſi ad manus venerit (13) *definitio*, oſtendens ſuum opus non fuiſſe tale, quale Actor deſcribit, commodè hic adducetur. Tum tractanda eſt (14) *voluntas*, ſiue (15) *conſilium*, vt, Centurio dicet: Quod non ad fui tempori, id non factum timore, aut contemptu, ſed neceſſitate, ideoque ignoſcendum, quia nulla culpa, vbi necesſitas. Probabit autem, ſe non defuiſſe ob timorem, ex alijs experimentis, & ſuis fortibus factis: & quòd non ex contemptu, ex veneratione, quâ Imperatorem ſemper coluerit, ac in Remp. fidelitate. Neceſsitatem verò probabit teſtibus, qui dicant eum præſto fuiſſe ad littus, compellaſſe nautas, illos verò noluiſſe ſeſe mari committere. Et hinc oritur (16) *violenta definitio*, quâ dicet, putandum eſſe ſe tempori adfuiſſe, nam qui quantum potuit operatus eſt, vt rediret, redijſſe credendus eſt: vel ſi peccatum id fuerit, leue tamen eſſe, & ignoſcibile ob neceſsitatem, cuius maxima eſt vis. Contra (17) *tranſumptionem*, ab Actore oppoſitam, quod debuiſſet ſignificare Imperatori neceſſariam abſentiam, opponet (18) *contraſumptionem*, nempe, quòd ſi alius transfretare potuiſſet ad nuncium deferendum, transfretaſſet, & ipſe. Hinc tractatur (19) *qualitas* ab attributis perſonæ, & deſcribitur qualis, & cuius meriti extiterit, & cuiuſmodi ſpes ſit in futurum, ſi nunc ei ignoſcatur, & quàm grato animo hanc ignoſcentiam feret.

Quia verò Deprecationem aliqui ad hunc ſtatum retulerunt, Nos, eſto id negauerimus, eò quòd coloris ſit expers; hic tamen de ea tractandum duximus, quia ferè ſemper purgationi coniungitur. Nam qui ſe purgat, vt plurimùm, imprudentiæ factum adſcribit, aut, ſi neceſsitati, in eam ſuâ culpâ impingere potuit, ideoque non omni vacat culpâ. Quapropter rectè poſt purgationem, ſubiungitur deprecatio, quæ eſt ſtatus venialis. Et quàmuis eius locus ſit potiùs apud Principem, qui de ſuo iure remittere poteſt, quàm apud Iudices, qui iurati, ſecundùm leges ſententiam ferre debent; nihilominùs etiam apud hos vſui eſſe poteſt, ſi dicamus, iure quid eſſe factum, quòd ſi non omni ex parte iure factum videatur, ignoſcendum eſſe quod deeſt, ob Rei maxima in Remp. merita.

Loci ſunt ijdem iam enumerati, niſi quòd amplificatio, quæ

propoſitioni eſt ſubijcienda, non tam pertinet ad ſigna, ſicut erat amplificatio ſtatus coniecturalis, quàm ad crimina, quæ Actor exaggerabit; Reus verò eleuare conabitur. In exordio, & Peroratione, Reus clementiam commendabit: & licet ipſi in hoc ſtatu, in huius virtutis laudem excurrere, quò Principem, aut Iudicem ad eam flectat, Actor verò dicet, non eſſe ignoſcendum, quia delictum miſericordiæ locum non reliquit, &, vt ſi quiſpiam rem indebitam roget, non ſuadebit dandam, ſic nec venia reis capitalibus concedenda, maximè à Iudice, qui, non nouas condere leges, ſed ſecundum latas iudicare iurauit.

(1) ἀντίθεσις (2) θέσις ἐναντία τῇ ἀντιλήψει (3) ἀντίστασις, ἀντέγκλημα, μετάστασις, καὶ συγνώμη (4) πρυβολὴ (5) ὅρος (6) ἀντίθεσις (7) ἑτέρα διάνοια (8) μετάληψις (9) τὰ πρόσ τι (10) βίαιος ὅρος (11) παράδοξον καὶ ὑπερβολη (12) ετὲρα μετάληψις (13) διάνοια (14) προαίρεσις (15) μετάληψιν (16) αντίληψιν 17) ποιότις.

CAPVT SEXTVM.

De Statu Iuridiciali Legali.

Statum Iuridicialem propriè dictum, diuidebamus in Rationalem, & Legalem. Hactenus de illo. De Legali deinceps agendum, cuius multæ ſunt ſpecies, vt, ex ſcripto, & ſententia: ex contrarijs legibus, ex ambiguo &c. Status ſcripti, ſeu dicti, & ſententiæ eſt, quum ſcriptum, aut lex, ſeu præceptum etiam voce prolatum, plures videtur poſſe ſenſus & fines habere; Et Actor interpretatur ſecundùm vnum, Reus verò ſeſe tuetur ex alio. Vel, quum, etiam ſi vnum habeat ſenſum à quo arguit Actor, eſt tamen ratio valida in oppoſitum, quâ nititur Reus. Itaque hic eſſe poteſt in eo, quòd Saul iuſſus, ita funditùs delere Amalecitas, vt nihil omninò, neque hominum,

neque

neque pecorum, nec rerum ad illos relinqueret pertinentium, quin ferro flammaque deleret; ipſe, viliora quæque perdidit, precioſa verò ſuppellectilia, hominum etiam ac iumentorum optima, cum ipſorum Rege, viua abduxit: & accuſatus, quòd legem poſitam violaſſet, ſe defendebat, quòd illa abduxiſſet ad ſacrificandum Deo ob partam victoriam. Eadem fuit ratio in Epaminonda, qui, quum lex foret Thebis, ne magiſtratus diutiùs imperium retineret, quàm lege foret præfinitum: ipſe, quum res proſperè ſuccederent, & foret ſpes debellandi hoſtes ſi perſeueraret in imperio, noluit abdicare, quinimmò Collegæ author fuit ne ſeſe abdicaret, quouſque hoſtes profligarentur; & tunc demùm, quum, depoſito imperio, deferretur, reſpondit: Leges Reip. cauſa eſſe latas, & quòd ipſe imperium retinuit, quo Reip. poſſet prodeſſe, vt de facto profuit, vnde ab imperitis fuit abſolutus.

Sic, ſi lex foret *Ne peregrinus murum conſcendito, ſi fecerit, mortis multator ſupplicio*: Aduena quidam, in Ciuitatis obſidione, murum conſcendit, aduerſùs hoſtes adeo gnauiter, ſtrenuèque ſeſe geſſit, vt hoſtes profligarit, vrbemque ſeruauerit, vnde præmium poſcit. At Fiſcus præmium negat, quinimmò exemplum in eum fieri petit. Itaque Fiſci (1) *intentio* erit. Legem violaſti, murum conſcendendo. Neque mihi obtrudas (2) *exceptionem præteritam*, putà, quòd legiſlator hoc non expreſſerit, ſed (3) *ſimpliciter* ſanxerit, Ne alienigena murum conſcendito; ſi enim voluiſſet id aliquando licere, id adſcripſiſſet, quum ergo non adſcripſerit, ſignum eſt, illum voluiſſe, id nunquam fieri oportere. Ad quod facit (4) *ratiocinatio, & æſtimatio parium*: nam dicet, permultum referre, quòd legiſlator illam limitationem non adſcripſerit. Et quia reus prætendit ſe abſolui, quia id fecit ob ſalutem patriæ, ſubijcienda eſt (5) *tranſumptio*, quâ vituperatur modus, nam dicitur, potuiſſe illum conſulere patriæ, ſi ſe aſsociaſset ijs, qui infra, non ijs, qui ſupra muros pugnabant: nunc verò, quum ſupra muros aſcenderit; locum habet (6) *comparatio* maleficij cum beneficio, & aſſeretur, maius fuiſse maleficium, ſiquidem eo aperitur ianua ad legis violationem, quâ Vrbis ſalus cuſtodiebatur, nam, (quæ eſt (7) *definitio violenta*) legem violare, eſt vitam Vrbi eripere, quia leges, anima ſunt Reip. Velle autem interpretari legem contra tenorem verborum eiuſdem, diuinare eſt, non iudicare, & fie-

ri ex iudice legiſlatorem, quod minimè licet. Addenda eſt in ſuper (8) *altera tranſumptio*, dicendo: Debuiſses ſaltem veniam à magiſtratu petere: & demùm deſcribenda eſt qualitas ab attributis perſonæ, animus &c.

Sed ex parte Rei adferenda eſt primò (9) *ſententia*, *& propoſitum* tam Rei, quàm Legiſlatoris, in cuius ſententia videndum eſt, Quando, Quibus in rebus, & Quamobrem voluerit ne peregrinus muros conſcenderet. Noluit enim id licere, quando pax foret, quia malum præbere poſset exemplum, At id conceſſit tempore belli, quando id exigit neceſſitas; Id enim licet, quum Tribunus iubet vt omnes ſequantur, quum Tribunus tunc mandans, non excipiat peregrinos. Et quamuis non liceat muros conſcendere voluptatis, aut alius leuioris rei gratiâ, licitum tamen eſt, vt ſaluet Vrbem, ac Ciues ab hoſtium inuaſione. Nec obſtat, quod id legiſlator non exceperit, quid enim opus erat in re tam aperta, expreſſam addere exceptionem? Parum ergo refert exceptio non adſcripta, quum ſit exceptio generalis in qualibet lege, Niſi aliud ſuadeat neceſsitas. Plurimi etiam refert, num quis muros conſcendat tempore pacis, an belli ad profligandum hoſtem. Deinde ſubiunguntur (10) *contraria poſitio*, *remotio*, *& comparatio*, nempe anthirheſis per aliquam ex qualitatibus aſsumptiuis: Vt tranſlatio erit ſi dicat. Feci ob ſalutem patriæ, iuſsu tribuni, hortatu ciuium. Comparatio verò eſt, quòd ſatiùs ſit violari legem, quàm Vrbem perdi, & addetur comparatio beneficij cum maleficio, nam dicetur beneficium longè maiùs fuiſse, negligendo enim legem, nulli niſi hoſtibus, intulit damnum, at Patriam conſeruando, de cunctis optimè fuiſse meritum. Et hinc Reus procedet ad definitionem violentam, quòd ſcilicet Ciuitatem ſeruare, ſit legem colere, quia ſumma lex, populi ſit ſalus. Ex quo fiet tranſitus ad theſim, de officio militari, ſiue de legibus, & earum interpretatione, vbi dicetur, non eſse attendenda verba legis, alioquin nulla foret lex, nulla ſtipulatio, pactum, teſtamentum, iudicium etiam nullum foret, quod infirmari non poſset, ſi verba tantum attenderentur, ideoque ſenſus, animus, ac legiſlatoris finis, inſpici deberet. Quòd verò Actor tranſumpſerat ad veniam poſtulandam à magiſtratu, id irridebit Reus, aſserens, ſe temporis preſsum anguſtiâ, quum hoſtis Ciuium immineret ceruicibus, id facere non potuiſse. Demum addenda

da (11) *ſententia*, *& qualitas* ab attributis perſonæ.

Alia ſtatus legalis ſpecies, eſt Ratiocinatio, quæ tunc accidit, quum res in iudicium venit ſine propria lege, quæ tamen ab alijs legibus ex ſimilitudine reſolui poteſt; Vnde ſicut in ſpecie præcedenti, controuerſia erat inter ſcriptum, & ſenſum, ita hic eſt inter ſenſus, ſiue rationes hinc inde ex lege deſumptas, vt, lex eſt: Ne meretrice prognatus, Concionem ad populum habeto.: cauſam agere vult lænonis filius: prohibetur. Pro illo facit, quòd lege, tantum ſit cautum de filio quæſtuariæ, ſe natum ex legitima ſui patris coniuge. Sed illi opponitur, legis finem fuiſſe publicam honeſtatem: tam autem, qui proſtituunt, quàm quæ proſtant, infames iudicantur, ideo legis fini non minùs aduerſatur ſi lenonis, quàm ſi eius, quæ corpus vulgauit, filius, concionetur. Fit autem ratiocinatio quadrifariam, nempe primò à pari, vt ſi quis matricidam, eodem contendat afficiendum eſſe ſupplicio, ac patricidam, videlicet vt culleo, cum gallo gallinaceo, vipera, & ſimia inſutus, ac vectus plauſtro, nigris bubalis iuncto, in mare, aut in flumen præcipitetur. Secundo à maiori, vt, Quum liceat lege occidere transfugam redeuntem, non peccauit eum verberibus cædens. Tertiò à minori, vt ſi præmium debetur ei, qui militem, aut Ciuem ſeruauit, meritò præmium petit, qui ſeruauit Imperatorem. Quartò à contrario vt, Quum ab Imperatore præmium decernatur ei, qui in prælio ſtrenuè ſe geſſit, iuſtè, ab eodem pæna irrogatur illi, qui aciem deſeruerit. Capita argumentorum huius ſtatus, eadem ſunt, quæ ſupra ſunt poſita pro ſtata definitiuo.

Tertius legalis, eſt ſtatus contrariarum legum, vbi controuerſia naſcitur ex eo, quia duæ, vel plures ſunt leges ad inuicem pugnantes, vel etiam vna, habens plura capita, quæ caſu aliquo ad inuicem reddantur pugnãtia: Vt, Lex erat Pauli, Ne neophytus in Epiſcopũ cõſacretur, cõſacratus eſt tamen Ambroſius Neophytus, quod non foret alius, tam idoneus, immunis ab Arianiſmo, eloquens, ac etiam apud exteros, incorruptæ famæ. Sic lex erat Moyſis, ne mamzer, ſeu ſpurius magiſtratum capeſſeret, Iephte tamen ſpurius, magiſtratum, & imperium oblatum acceptauit, quia hoc exigebat publica ſalus, quæ eſt lex naturæ. Sic, Moſis quoque lex erat, ne quiſpiam, præter Sacerdotes, propoſitionis panibus veſceretur, & ne, quæ Deo conſacrata

ſacrata fuerant, alij quàm Diuino deſeruirent vſui: quia tamen naturæ lex eſt, vt paſcantur eſurientes, & proximorum cura geratur, panes Dauidi præbiti ſunt, & eidem traditus eſt Goliathi gladius. Sic, eſto foret lex vt Sabbathum cuſtodiretur, Machabæi Sabbatho pugnarunt, quia ſuprema lex eſt populi ſalus. Sic in eadem lege eſt contradictio, ſi dicatur: Virgo, quam quis imminuerit, poteſtatem habeto eligendi illius mortem, vel coniugium: ſi quis duabus vitium intulerit, quarum vna violatorem velit *vri virgis, ferroque necari*: alia illius expetat matrimonium. Inter duas verò leges eſt contradictio, quum vna dicit; Mas Cereris templum ne ingreditor: Alia, Qui parenti periclitanti opem non tulerit, graui pœnâ multator: Vapulanti matri in Cereris templo, opem tulit filius: accuſatur per primam legem, defenditur per ſecundam. Idem erit ſi ſit lex. Is, qui exortâ tempeſtate, ſolus in mari remanſit, nauem poſsideto: alia ſit lex: Ne filius abdicatus, paterna poſsideto bona: remanſit in naui filius, quem pater abdicauerat, qui, ſecundum priorem legem, nauem ſibi vendicat; at ei dicam ſcribit alter filius, per ſecundam legem, eò quòd, qui ſit exhæres, patrimonij particeps eſſe non poſsit.

Loci huius generis ſunt, nam hæres primò dicet ſuam intentionem: Non tibi debetur nauis, quum te pater exhæredem ſcripſerit: cui ſuccedit Refutatio petitionis, vt, Lex iubet quidem dari nauem alienam, ei, qui ſolus in ea remanſit, ſed non ſemper, nam prohibet dari nauem paternam filio exhæredi: deinde (12) *Qualitas aſſumptiua*: dicendo, Pater exhæredem ſuis bonis te fecit; Vnde ſequitur, (5) *Tranſumptio*, quâ dicitur Potuiſſes maiora virtutis documenta præſtare, pugnando cum enormibus vitijs, ob quæ te pater abdicauit, quàm temere te mari committendo, & cum immanibus, ac inſanis pugnando fluctibus. Deinde ſequitur Comparatio duarum legum. Fit autem hæc comparatio, quadrifariam, primo ratione temporis, nam, pro quo facit antiquior, dicet, illius, ob vetuſtatem habendam eſſe rationem: is verò, cui fauet vltima, aſſeret, nouis legibus veteres antiquari. Secundò, ratione perſonarum, nam lex de abdicatis, lata eſt à Solone ſapientiſsimo legiſlatore: alia verò à Cherephonte, vel à Midia vtroque Prætore, & improbo. Tertiò ratione amplitudinis, nam illa de abdicatis, communis eſt multarum Rerump. alia verò, in vna tantum viget Ciuitate.

Quartò

Quartò ratione effectorum, quia maior vtilitas eſt legis de ex-hæredibus, quàm illius de nauis poſſeſſore. Adijcitur (7) *definitio violenta*, nempe, eius eſt nauis, qui poſſedit, nec vendidit, aut alteri donauit. Perquirantur etiam alia capita, nempe propoſitum, tranſlatio, contraſumptio, qualitas ab attributis perſonæ, & animus ſiue ſententia, de quibus ſupra.

Petitor verò dicet: Non peto nauem, vt filius, ſed vt alienus, non iure ſanguinis, ſed virtutis ergò, quum eam conſeruarim: & addet (13) *alteram propoſitionem* ad confirmationem ſuæ ſententiæ, vt. Lex iubet, vt eius ſit nauis, qui tempeſtatis tempore ſolus in ea remanſit. Et eius (12) *contrapoſitio* eſt, ſolus in naui remanſi: (5) *Translatio* verò, & præſcriptio eſt, tam iudicij, vt, Non eſt iam tempus obijciendi, quod me pater exhæredarit: quàm facti, vt, ſi pater foret ſuperſtes, vellet me quoque habere hæredem ob hoc egregium facinus. (14) *Comparatio* autem communis eſt petitori, & oppoſitori, ex qua ſumenda ſunt, quæ pro vnoquoque faciunt. (7) *Definitio* verò *violenta* petitoris erit, Nauis non erat ampliùs patris, ſed tempeſtatis, eaque debetur mihi, non vt hæredi, ſed vt ei, cui à Neptuno, & virtute donata eſt. Alia capita ſumentur ex ſtatu aſſumptiuo, vt ſupra.

Quartus legalis, eſt ſtatus ambigui, cuius tres ſunt modi, vnus ratione vocabuli, habentis plura ſignificata, aut ancipitis conſtructionis. Vt, ſi quis Taurum legarit amico, & is, poſt teſtatoris mortem, ſeruum petat in illius hæreditate repertum, appellatum Taurus: hæres verò velit bouem tantùm illi legatum. Alius eſt Amphiboliæ cõſtructionis, qualis eſt in illo Herenniano: Tulius hæres meus, Terentiæ vxori meæ, viginti pôdo argenteorum vaſorum, quæ volet dato: incertum enim eſt, num dari debeant, quę placuerint Terentiæ, an quæ Tullio adlubeſcerent. Tertiò fit ratione interualli, ac diuiſionis, vt ſi quis duos habens filios, Leontem, & Cunctaleontem, ita teſtamento caueat, Bona mea lego cuncta Leonti: nam Cunctaleon vult ſe nominatum hæredem ex aſſe: ſed Leon diuidit, vt ſit ſenſus, omnia bona mea, lego Leonti. Præterea interuenire ſolet ambiguitas ex accentu, vt eſt in illa Græcorum lege antiqua, quando ſcribebant abſque accentibus (15) *Meretrice auream geſtante coronam, publica eſto*, nam accuſator pronunciat demosìa, ideſt publicè, acuendo penultimam, ac proinde vult publicari

me-

meretricem,& fieri Ciuitatis mancipium : Rea verò acuit antepenultimam,demòſia,publica, ac proinde vult, legis mentem eſſe,vt non ipſa, ſed corona publicetur.

Loci huius generis, poſt (16) *intentionem* accuſatoris poſtulantis poſcribi, ac diuendi meretricem, quòd auream geſtarit coronam, ſequetur (17) *ſententia legiſlatoris*, quia conuenit pœnas proportionatas eſſe delictis, maximopere verò bonis moribus aduerſatur, quod meretrix auream geſſet coronam. Cui ſuccedit (18) *continentia*,quâ, vno poſito, aut ſublato, aliud ponitur, vel aufertur, vt, ſi meretrix publicetur, corona quoque publica erit, non tamen fiet publica meretrix, ſi publicetur corona. Deinde erit(12)*antithesis*, quòd non conuenit poſtribulum ſeſe condecorare ſchematibus, aut ornamentis matronarum : quâ de cauſa, Athenis meretrices verſicolore vtebantur veſte, & Romæ matronæ quæ à maritis ob adulterium repudiabantur, ſublatâ,ad ignominiam,ſtolâ, togam accipiebant. Addetur qualitas facti, vbi diſſeretur de rei turpitudine: Et ſententia, videndo quo animo id egerit meretrix, nimirum vt pro matrona ſeſe venditaret. Et quia rea vtetur (19)*tranſumptione*, aduersùs eam actor inſtituet(12)*antitheſim*,quòd videlicet meretrix ſuę impudicitiæ culpa, in tot impegerit mala.

Sed Rea poſt intentionem, quòd non meretrix, ſed corona vendi debeat, ponet (17)*ſententiam legislatoris*, quia decet leges eſſe populares, ac æquas, non ſæuas, ac crudeles, cuiuſmodi forent ſi,ob vnum leuitatis delictum, vellent mulierem publicę addici ſeruituti, quæ non aliter quàm leuitate peccauit, vbi facti tractatur (20) *qualitas,ac conſilium* mulieris. Deinde inſtituetur(5)*tranſumptio*, cui inſpergenda, quæ ad miſericordiam ciendam faciunt, vt, Crudele, ac miſerum eſt miſeræ miſeriam accumulare : abundè verò miſera eſt proſtitutarum conditio, quòd matronarum careant ornamentis, &, ſi quando ijs vtantur, ea amittant. Addendæ ſententiæ, & Epicheremata, vt, Bella,multos inuoluunt miſerijs : maiores enim huius meretricis, alicuius àliquando nominis extiterunt, ſed belli aduerſitate, militum rapinis, incendiariorum ſcelere, redactos in egeſtatem. Vim à centurione illatam virgini, vnà cum cæteris in ſeruitutem redactam, vt viueret coactam corpore quæſtum facere &c.

Quintus eſt ſtatus definitionis, ſeu de vi verbi, vt, An vini

nomine

nomine comprehendatur paſſum, quum quis vinum alteri legauit Dicitur autem paſſum, ſi in vindemia vua diutiùs cocta tuerit, vt eam paſſi ſimus ſole aduri Pro parte negatiua facit, quòd Romanis mulieribus vini interdictus, paſſi vero vſus erat conceſſus. Pro affirmatiua, quòd Plinius l. 14. c. 19. paſſum ponat inter vina dulcia. Et Vlpianus, De vino, oleo, & tritico legato, docet, paſſum quoque inter vina intelligi poſſe.

(1) προβολὴ (2) προδιορισμὸν παρα λειφθεὶν (3) απλῶς (4) συλλογισμὸς καὶ τίμησις τοῦ ἴσου (5) μετάληψις (6) τὸ πρόστι (7) βίαιος ὅρος (8) ετὲρα μετάληψις (9) διάνια καὶ προαίρεσις (10) ἀντίθεσις μετάστασις, καὶ ἀντίστασις (11) γνώμη καὶ ποιότης (12) ἀντίθεσις (13) ἑτέραν προβολὴν (14) τὸ πρόστι (15) εταιρα χρυσια ει φοροιν στεφιν δημοσια εστω (16) προβολὴν (17) ἡ γνώμη τοῦ νομοθέτου (18) περίεχον καὶ περιεχόμενον (19) ποιότης καὶ γνώμη.

CAPVT SEPTIMVM.

De Statu Quantitatis.

ABſolutis tribus prioribus, ſupereſt quartus ſtatus generalis, à quo nos breuiter expediemus, quum ſupra, in ſtatu coniecturali, ex Ariſtotele rationem tradiderimus maiores a minoribus iniurijs diſcernendi. Non enim eſt eadem ratio iniuſtitiæ, ac ſanctitatis, hæc enim maxima eſt in re maxima, illa etiam in minima, maxima eſſe poteſt, vt ſi oſtendat animum maximè deprauatum. Vt, ſi quis è templo obolum ſubripiat, vtique aliunde non formidabit talentum furtim accipere. Quamquam etiam in iuſtitia, virtutibus, & ſanctitate, nonnunquam animus potiùs ſpectetur, quàm opus. Et quia facinoroſi ad eleuandum crimen, dicere conſueuerunt, paſſim, ac vulgo id

fieri: is tamen defenſionis modus, iure à ſapientibus reprehenditur, ſiquidem non debemus imitari quòd fit, ſed, quod iuxta leges, virtutem, & æquitatem fieri debet Vnde aduerſus eum, qui hac ratione ſe vellet defendere, dicet Actor, Propterea atrocius eſſe tale delictum puniendum, ne, huius impunitate, alij idem perpatrare audeant; quinimmo, vt ſeuera huius animaduerſione, cæteris adempta ſit libertas in idem labendi.

Aliquando expedit, vt grauiùs puniantur minora crimina, & aduerſus minores iniurias atrociores promulgentur leges, vt, Ariſtotele teſte, fecit Pittacus, qui apud ſuos Mythylenæos legem ſanxit, vt ſi quis ebrius alium pulſaſſet, grauiùs puniretur, quàm ſi id feciſſet ſobrius, & tamen maior eſt iniuria, quæ irrogatur a ſobrio, quàm quæ ab ebrio. Sapiens autem ille legiſlator, non attendit ad grauitatem iniuriæ, ſed ad id, quòd Reip. expediret, nam, quum inſula Leſbos, vbi eſt Mithylene, optimi foret vini ferax, Mithylenæi autem ſæpiùs, & abundantius eo vtentes, in ebrietatem frequentiſſime inciderent; ille volens eos ab ebrietate deterrere, & ab immoderato vini vſu, hanc legem promulgandam duxit. Alia, quæ ad iniuriæ granitatem pertinent, huius tractatus capite primo ſunt dicta, & quæ ad cæterarum rerum quantitatem cognoſcendam ſufficere poſſunt.

Præter autem ſtatum coniecturalem, quo Reus negat ſe feciſſe, & Finitiuum, quo ſaltem negat ſe id feciſſe, de quo accuſatur. Et Iuridiciale, quo aſſerit ſe iuſtè feciſſe; Ac Quantitatis, quo negat tantum damni ſe intuliſſe, quantum Actor obijcit, ponunt authores aliqui, tranſumptionem, quâ, aliquo iuris adiumento, elabi Reus quærit; Eſt enim tranſumptio controuerſia quædam, iudicium antecedens, quâ quæritur de ipſo conſtituendo, vt, Sit ne illi actio, vel eſſe deſierit. Num agere poſſit illâ lege, illis verbis &c. Exemplum detrectantis iudicium, habemus in Caino, dicente, *Num cuſtos fratris mei ſum ego*. Et in Hebræo illo, qui Moſi dixit. *Numquid occidere me tu vis, ſicut heri occidiſti Aegyptium*. Eodem modo erit tranſlatio, ſi adultera neget ſe poſſe ampliùs à marito adulterij accuſari, non quia eat inficias, ſe ſtupri gratiâ cum alio fuiſſe, ſed quia vir, ſuo renunciauerit iuri, quum poſt longum, quo hoc crimen certò cognouerit, & ei in os exprobrauerit, tempus, eam vult agere ream. Fit autem huiuſmodi tranſlatio, vel ita

vt

vt omninò excludatur actio, vel tantum ex aliqua circumſtantia. Prioris (1) *tranſumptionis* ſpeciei, quæ ſolet dici præſcriptio, &, apud Iuriſtas, Exceptio rei iudicatæ, exemplum eſt, quòd quis cædis reus, & ſemel poſtulatus, atque abſolutus, iterum, cognitis certioribus cædis indicijs, de nouo in ius vocatur. Nam ipſe negabit poſſe ſe iterum accuſari, quum lex prohibeat de eodem crimine quépiam bis iudicari. Poſterioris eſt, quum quis ſolum adulterum occidit cum vxore deprehenſum, & deinde adulteram, in adulteri inuentam monumento. Reus negabit agi ſecum poſſe, quum lex vtrumque permittat occidi; Actor verò transferat ad locum, & tempus; non enim permittit, vt occidantur alio loco, vel tempore, præter id, quo in adulteriò fuerint deprehenſi.

(1) μεταλήψεως.

TRACTATVS SEXTVS.

De Argumentis Inartificialibus.

ARgumenta diuidebantur à nobis ſupra, tractatu 2. capite 1; quòd forent vel (1) *artificialia*, vel (2) *inartificialia*. Illa inſuper diuiduntur vlteriùs, quòd ſunt vel (3) *probantia*, vel (4) *affectiua & morata*. Quum ergo hucuſque egerimus de probantibus, conſequens videbatur, vt de affectiuis nunc tractaremus, & moratis, & vltimò tandem de *inartificialibus*. Verùm Ariſtoteles, quem ſequimur, prius egit de inartificialibus, forte propterea, quia iſta propria videntur generis Iuridicialis, de quo proximè egerat: Dicuntur autem inartificialia, non quod ſint prorſùs artis expertia, ſed quòd ea non pariat, ſeu inueniat ars Oratoris, eliciendo ipſa ex natura cauſæ, quemadmodum facit in artificialibus, quippe in iſtis nihil aliud præſtare debet, niſi quòd aliunde, & deforis ſibi allata, arte tractare debet. Huiuſmodi autem loci, vnde inartificialia argumenta ducuntur, ſunt, Leges, teſtes, pacta, queſtiones, & iuſiurandum, & ſi qui ſunt alij loci, ad hos reducuntur, nam reſponſa, oracu-

la, prophetiæ, authoritates,ad teſtimonia reducuntur, vt etiam iudicia, rumores, fama &c. Sub (5) *pactis* comprehenduntur etiam tabulæ ac conuenta: ſub legibus, Senatusconſulta, plebiſcita, Prætorum edicta, ſanctiones, pragmaticæ, & ſimilia &c.

(1) ἔντεχνα (2) ἄτεχνα (3) ἀποδεικτικὰ (4) παθητικὰ καὶ ἠθικὰ (5) συνθήκοις.

CAPVT PRIMVM.

Qua ratione argumentari poſſimus à lege, pro, & contra ipſam.

LEx alia naturalis ab authore naturæ in ſingulorum mentibus ſculpta, vt, *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: vel Diuina, in ſacris tradita litteris, vt, *niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire Regnum Dei*. Vel poſitiua, quæ vel eſt vniuerſalis omnium nationum, vt eſt illa de immunitate caduceatoris, quæ dicitur lex, ſiue ius Gentium; viget enim apud omnes, eſto nullibi ſcripta reperiatur: vel particularis alicuius Regni, vel Reip. Et diuiditur vlteriùs in Eccleſiaſticam, & ſæcularem ſiue Imperialem, quæ dicitur ius Ciuile, vt alia ius Canonicum. Vlteriùs eſt lex municipalis, propria alicuius municipij, quæ extra illud non obligat. Sunt etiam conſuetudines legitimè præſcriptæ, quæ, quando tales ſunt, & laudabiles, vim legis habent, immo quandoque legem abrogare ſufficiunt: legem, inquam, poſitiuam, ſiue municipalem, ſiue vniuerſalem, Ciuilem, aut Canonicam, non verò legem Gentium, & multò minùs Diuinam, aut naturalem, quia ſicut contra iſtas nulla admitti poteſt diſpenſatio, ita nec conſuetudo abrogans, aut debilitans illas. Et quum iſtæ ſint paucæ, & omnibus notę, vix admittitur ignorantia eleuans culpam tranſgreſſionis illarum Et de his nunc non loquimur, ſed tantum de lege poſitiua, Ciuili, vel Canonica.

Si igitur lex nobis aduerſetur, dicemus illam eſſe ambiguam, ac

ac petemus inſpici, non verba legis, ſed finem, ac mentem legiſlatoris: ſiquidem numquam lex ſcripta, iuri communi aduerſari debet, aut poteſt. Et huic iuri, vir quilibet bonus magis tenetur obedire, quam quibuſcumque legibus ſcriptis, quę ſæpè iniuſtæ ſunt; & propterea mutabiles, & abrogabiles, vt patet in tot pragmaticis, & conſuetudinibus, immo & legibus ipſis poſterioribus, quæ priores correxerunt, Itaque Antigonus apud Cleōtem ſeſe defendit, quod contra legem, fratris cadauer tradiderit ſepulturæ, aſserens, quòd eſto fecerit contra legem hominis, haud tamen peccauerit contra legem non ſcriptam, quæ ſemper fuit, durabitque in æuum. Conabimur etiam oſtendere, nos operatos ſecundum legem ſuperiorem, ſiue Gentium, ſiue naturalem, aut Diuinam, aduerſus quæ iura, nulla poteſt eſse iuſta lex hominum Vnde ſi quæ lex ſcripta prohibeat factum noſtrum legitimum ſecundum aliquod ius ſuperiùs, illa iniuſta erit, nos autem iuſtitiam colimus. Poterimus etiam defendi, oſtendendo illam legem aduerſari, vel alteri legi particulari, vel legitimę, ac probatæ conſuetudini, quam nos fuimus ſequuti. Quòd ſi lex nobis faueat, negabimus licere iudici à legum diſcedere præſcripto: iuraſse ipſum dicemus, ſententiam ſecundum leges ferre. Affirmabimus truſtra leges eſse latas, ſi non ſeruentur. Nec oportere nos plus legibus ſapere &c.

CAPVT SECVNDVM.

Quomodo tractandum ſit argumentum à teſtibus.

TEſtimonium vel Diuinum eſt, vel humanum. Diuinum continet oracula, Traditiones. Reſponſa verò haruſpicum, auſpiciũ, vaticinia, dicta Sybillarum, & alia apud exteros. Apud noſtrates verò, Diuinum certũ, ac infallibile teſtimonium, Sacris continetur libris vtriuſq; teſtamenti, in Definitionibus Conciliorũ, & paſſim in Summorum Pontificum Decretalibus, ac traditionibus Apoſtolicis. Priuatę verò reuelationes, non habent robur Diuini, & infallibilis teſtimonij, ſaltem apud eos, quibus immediatè factæ non fuerunt. Immò ſi à recta fide, & doctri-

na

na Eccleſiæ, ac ſanctorum diſcrepent, nedum non ſunt habendæ pro teſtimonijs Diuinis, quin potiùs reijciendæ ſunt, tanquam Diabolicæ deceptiones; Quomodo autem diſcerni veræ a falſis reuelationibus poſſint, non eſt huius loci demonſtrare.

Humanum vero teſtimonium, vel eorum hominum eſt, qui eſſe deſierunt, vt ſunt ſcriptores, & ab ipſis relati, quorum dictis noſtras, vel fulcimus opiniones, vel mores componimus. Vel præſentium, qui verum eſſe confirmant, quod à nobis aſſeritur. Hi vel ſunt teſtes de ſolo auditu, vel etiam de viſu, inter quos tantum intereſt, vt *Pluris fiat oculatus teſtis vnus, quam auriti decem*, vt apud Plautum legitur. Vnde etſi centum teſtes deponant ſe audiſſe aliquid ab vno, & eodem nominato, eorum teſtimonium pro vno tantum computari debet. Præterea teſtes, vel ſunt tantum de re, qui videlicet teſtimonium ferunt de ipſo facto, de quo eſt quæſtio: Vel etiam de perſonæ moribus, nempè, vel quod is, qui teſtimonium tulit de facto, ſit talis, cui tutò fides haberi poſſit: vel quod is, cui factum adſcribitur, conſimili aliàs infamiâ laborarit.

Cui ergo deerunt teſtes, dicet, illis minimè fidem adhibendam, quod ſæpe ſint improbi, & inteſtabiles, ac leues, & arenarij, vt eos vocant Iuriſconſulti, qui in Circenſi, aut Amphitheatrali depugnauerint arena, eòque ſint infames. Aut quod fuerint auro corrupti, vel ſaltem ſint ſuſpecti, vt in eorum dictis animus non quieſcat. At cui teſtes ſuppetunt, dicet. Argumenta, vtcumque fuerint falſa, non eſſe ſupplicijs obnoxia: at teſtes, pœnæ ſaltem metu contineri: Et, quod, quum res nequeat argumentis cognoſci, debent adhiberi teſtes: Nec debere quempiam ingenio magis credere, quàm ſenſui, ſiquidem vtcumque veroſimilia ſint, quæ dicuntur contra teſtes, non tamen inde fit, illos mentitos fuiſſe, quamuis mira dixerint; homines enim abſona multa, & mira edunt facinora. Argumentum vero quàm parum rationibus, & ingenio ſit fidendum, eſt, quod tot, & tam aduerſę ſint philoſophantium ſectæ, quarum quælibet, abſurda multa in alia detegit.

Quod ſi teſtes vtrinque ſint, poſſunt teſtes opponi teſtibus, & vna pars, teſtium aduerſæ partis fidem eleuare, aſſerendo, quod falſum dixerint ob fauorem, vel odium, ob ſanguinis coniunctionem, vel affinitatem, ob ſpem munerum, ob ætatem &c. adeo vt ad eorum fidem probandam, alijs ſit opus teſtibus.

Ob-

Obſeruamus reiectam fuiſſe à teſtimonio ferendo totam, & integram nationem, quòd, inter alios, Cicero fecit pro Valerio Flacco, repellens teſtes Græcos vniuerſaliter, quod nulli eorum fides foret adhibenda, ſiquidem apud eos, vt vas, aut iumentum, ita teſtimonium mutuò dabatur, vnde ſunt illa, *Da mihi mutuum teſtimonium: mercari Græci fide: Græcula chirographi cautio*, & huiuſmodi. Fabius autem Quintilianus docet, oportere, nouiſſe teſtem, nam timidus terreri, ſtultus decipi, iracundus concitari, ambitioſus inflari poteſt. Prudens vero, & conſtans, vel tamquam inimicus, & peruicax dimittendus ſtatim, vel refutandus, non interrogatione, ſed breui patroni interlocutione, aut alioqui, ſi contingat, dicto vrbanè refrigerandus, aut, ſi poterit dici aliquid in eius vita, deſtruendus infamiâ criminum. Hæc tamen non ſunt ampliùs in vſu, nec, ſi forent, excuſarentur à culpa. Obſeruamus inſuper, quòd, quia teſtes non producuntur, niſi iurati, ad ferendum teſtimonium, ideo iuratores appellabantur.

CAPVT TERTIVM.

Quomodo à pactis, ac conuentis argumentemur.

TErtium genus (1) *inartificialium* argumentorum, eſt, quòd ducitur à pactis, ſiue conuentis, aut contractibus, & ſtipulationibus, initis inter partes, quæ dicebantur pactiones, ſiue etiam antiquitùs, Paciones. Pacta firmantur, ſi dicatur, Ea eſſe leges priuatas, vnde eodem ſeruanda eſſe modo, ſicut leges, & quòd, ſi conuellantur, frangentur etiam leges, maximè ſi ſtipulando conuenerint partes, ea ſe bona fide ſeruaturas, Addemus, quòd quum his pactionibus ſtet humana ſocietas, ſi illæ conuellantur, hæc quoque funditùs eradicabitur.

Infirmantur vero pacta, primò, dicendo, quòd ſi non eſt obtemperandum legibus doloſè latis, multò minùs ſit ſtandum pactis, ſeu conuentionibus, quæ frequentiùs dolis, fraudibus, ac circũuentionibus obnoxia ſint. Secundò monendo Iudices vt meminerint ſibi agendum eſſe eâ iuſtitiæ normâ, quæ non ſit fraudibus, vel coactioni ſubiecta, nempe quæ naturâ animis homi-

hominum eſt inſculpta: non verò ſecundum pacta, quæ ſæpè coactè extorquentur, vel per dolos, & circumuentiones. Tertio, videndo an pacta aduerſentur alicui legi, & maximè ſi illi non ſit renunciatum, vel renunciatio in tali caſu ſit aliqua lege prohibita: Vel, an aduerſentur alijs pactis, quæ ſunt ſubſequuta, vel etiam, quæ præceſſerunt, dummodò per ſubſequentia non ſit illis expreſsè derogatum.

Tormenta, (2) *quæſtiones*, *& tortura* creduntur eſſe (3) *lapis auri index*, *ſeu Lydius*, *aut Heraclius*, ab Heraclea Ciuitate Lydiæ: ita namque tormentum exiſtimatur efficax ad eruendam veritatem, ſicut (4) *ſiderites*, ſeu (4) *lapis Heracleus*, qui eſt (4) *lapis Lydius*, detegit aurũ, & magnes attrahit ferrum. Hinc ſi tormenta faciat pro nobis, dicemus, illis maximè credendũ, eo quod, *quæ dicunt Verberibus torti, ac igne fatigati, ea, veritas ipſa dicere videtur*; ad vincendam ſiquidem ſimulationem, mirificam habere creduntur vim carnifices, & ab eis excogitati quidam vngues, eadem præditi virtute, quâ demonſtrationes in ſcientijs.

At ſi tormenta contra nos faciant, dicemus, Homines tortos, aut dolorem tolerantes, vera diffeſſos, aut nequeuntes cum pati, confeſſos falſa. Notum de Cappadocibus, qui à pueris conſueuerunt mutuò ſe torquere equuleo, vt ad falſa ferenda teſtimonia venundare ſe poſſent. E contra verò, tormenta, dolor gubernat, moderatur natura cuiuſque, non ſolum animi, ſed etiam corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, metus infirmat, vt in tantis rerum anguſtijs, nullus veritati locus relinquatur.

(1) ἀτεχνῶν (2) βάτανος κατ᾽ μεταφορὰν (3) ὁ λίθος κ υσδ ἔλεγχος (4) σιδηρῖτις, Ἡρακλειὴ λίθος, λυδικὴ λίθος.

CAPVT QVARTVM.

Quomodo tractandum ſit iuramentum.

QVòd, hominibus conditionis ſeruilis, eſt quæſtio, ſiue tormentum, id liberis, eſt iuramentum. Vnde apud Romanos,

manos, Flamini Diali iurare non licebat, quia, quum Summi Sacerdotis, tam corpus, quam animus à tormentis debeat eſſe immunis, non decebat eum iureiurando adigere. Et propterea etiam Sacri Canones, Sacerdotibus, & maximè Epiſcopis, niſi in paucis aliquibus caſibus, iurare non permittunt, ne eos, liberorum ſaltem, adigant tormentis. Ex quo conijcere potes, quàm ſibijpſis ſint iniurij, qui paſſim, & qualibet leui de cauſa, in omni ferè ſermone, miſcent iuraiuranda.

Quadrifariam autem iuſiurandum tractari poteſt. Primò docendo quur nolimus aduerſarium ad iurandum adigere; dicemus enim in cauſa eſse, quòd multi ſint homines ſordidi, qui cuiuſlibet exigui commodi gratia, facilè peierent; Nam vt Salianus libro 3. de Prouid. inquit *Plures inuenies, qui ſæpiùs peierent, quàm, qui omninò non iurent*. Ille namque, qui paratus eſt iurare, ſperat, etiam ludendo, vt ſic loquar, Deum, ſe retenturum pecuniam. Idcircò malle nos ſtare ſententiæ Iudicis, cui ſatis fidem habemus, quàm aduerſarij dictis, cui, nec iurato, credimus: vtpotè, qui credat, iuſiurandum eſſe idoneum ad decipiendum, & putet illud eſſe emplaſtrum æris alieni, aut mantile, quo quotidianæ extergantur noxæ.

Secundò docendo, quur delatum reſpuamus iuramentum. Dicimus enim, iuramentum noſtrum aduerſario prodeſſe non poſſe, quia ſi iurauerimus, ille à ſua cadet petitione; Et quòd, vir malus facilè Iouem lapidem iurat: Vnde, quòd iuramentum recuſemus, nequaquam periurij metui eſt adſcribendum, ſed potiùs virtuti. Nam quum pio impius iuramentum defert, perindè facit, ac ſi imbecillem validus prouocet ad pugnam: ità impius, qui Deum, aut non eſſe, aut noſtra non curare, cenſet, audacter prouocat ad iurandum: pius autem pauidè hoc præſtat; quippe qui, ſciat, eſſe Deum, qui omnia, quæ gerimus, & audit, & videt. Hinc antiqui dicebant: Iuſiurandum, ſi poſcatur, duabus des de cauſis, Vel vt teipſum turpi liberes crimine, vel vt amicos ſerues à periculis. At pecuniarum ergò ne iures, etiam ſi liquidò id poſſis; alioquin, alijs quidem peierare, alijs vero pecuniarum videberis auidus. Plato quoque iurare prohibebat, & ab alijs iuſiurandum exigere. Et Baſilius, de quodam Clinia refert, quòd trium talentorum multam pati maluerit, quàm eam per iuramentum effugere. Maximè vero nobis Chriſtianis id non licet, quibus præceptum eſt,

Sit ſermo veſter, Eſt, eſt. Non, non, & quòd quicquid vltra addatur, à malo proficiſcatũr.

Tertiò ſi iurare velimus, dicemus, id nos velle, quia pium ſit, totum negocium Deo committere; neque alijs opus eſſe Iudicibus, tum quòd omnium controuerſiarum finis ſit iuramentum, tum quòd, iurando, litis, ipſum aduerſarium Iudicem faciamus, ſiquidem manifeſtæ confeſſionis indicium eſſe videtur, iurare nolle, nec iuramentum velle deferre.

Quartò ſi non obſeruemus, quæ iurauimus: Dicemus, nos non afficere iniuriâ aduerſarium: quum enim omnis iniuria ſponte inferatur, nos autem ad iurandum coacti fuerimus, ex non obſeruantia, non naſcitur iniuria. Si verò aduerſarius ſit, qui iuſiurandum non obſeruat, dicemus, eum qui non ſtat iuramento, omnia deſtruere, Diuina, humanaque iura. Et quòd ſi Iudices iurati non poſſunt contra leges, quas iurarunt, iudicia diſponere, quur licebit alteri tranſgredi iuſiurandum? Recenſebuntur pænæ eorum, qui iuraiuranda contempſerunt; vt quòd apud Romanos, Tarpeio deijciebantur ſaxo, & apud Ægyptios capite luebant; vtpotè qui duplici ſe maculaſſent ſcelere, lædendo pietatem in Deum, & fidem, quæ humanæ eſt ſocietatis fundamentum. Dicere etiam poſſumus, periuros ſolere fulmine tangi, oculis ab Iſide priuari. Dianam quoque in eos grauiter commoueri, eſque acerbè punire. Et hæc de argumentis inartificialibus.

TRACTATVS SEPTIMVS.

De locis argumentorum Affectiuorum.

QVum omnis Oratoria inuentio deſudare debeat in eruendis è locis, ac ſedibus, argumenta ad faciendam fidem; & huiuſmodi argumenta, alia ſint (1) *probantia*, alia (2) *affectiua*, & de illis (3) *artificialibus*, & *inartificialibus* hactenus egerimus: ſupereſt nunc de iſtis conſiderare, quæ item ſunt duplicis generis; ſicut & (4) *affectus*, alij ſunt vehementes, & concitati, qui propriè (4) *affectus* dicuntur, alij mites, ac lenes, qui

qui (5) *mores* appellabuntur, de quibus in ſequenti tractatu, nunc (6) *de affectibus* agemus.

Quæ Græca vox, quamuis à quibuſdam ægritudo, ſeu morbus, & animi interpretetur perturbatio, quia tamen huiuſmodi nomina, aliquid rationi omninò repugnans, importare videtur, & illi nunquam obſecundans, quòd affectui non conuenit, conuenientiùs à nobis appellatur affectus, ſeu animi commotio: quòd ſi etiam paſſionem dicere velis, non repugnauerim, dummodo memineris, non eſſe talem, quæ clauum à ratione ſemper excutiat, quamuis nonnumquam, quando eſt maximè concitatus, facere id attentet, immò & quandoque obtineat.

De affectibus autem agitur, tam in Rhetoricis, quàm in Ethicis, ac phyſicis, veruntamen ſecundùm aliam conſiderationem, ſiquidem Phyſicus de ijs agit, ſecundum quòd accidunt corporibus naturalibus, & in eis cauſant, vel ſanitatem, vel morbum: Ethicus, autem, vt ſunt iuſtrumenta, & materia virtutis, ſeu vt virtus in eorum conſiſtit moderatione. Rhetor verò, iuxta quod ſecundùm eos variant auditorum iudicia; vnde, vt pertinent ad rhetorem, definiuntur quòd ſint paſſiones, per quas animi immutati differunt in iudicijs, quos etiam ſequitur dolor ſiue moleſtia, aut voluptas. Certè namque animus affectibus mouetur, & aliud dictat mens affectionum exæſtuans fluctibus, aliud ſedata. Ex quo fit, quòd quum durat affectus, præcipiti animus curſu, in ſcelus fertur, eo verò commiſſo, rem iuſto æſtimat pondere: Quòd liquidò patuit in Amnone poſt patratum facinus cum Thamare, & in Nerone, poſt necatam Agrippinam; & in Dauide, poſt populi numerationem; vndè eſt illud Menandri. *Quantum ſuum ſit crimen, haud quiſquam videt, dum peccat; iſtud, re patrata conſpicit.* Quòd autem Stoici dicebant, affectus hoſce, eſſe iudicia, atque opiniones, verum dicebant per metonymiam cauſæ, quomodo dicimus, Ecclypſim eſſe interpoſitionem terræ, non verò formaliter.

Iure etiam dictum, moleſtiam, ac voluptatem, affectuum eſſe pediſſequas, non enim ſemper ab affectu eſt, quòd prius relinquamus iudicium; ſed quia, frequentiùs de re cogitando, meliùs certiùſque rem cognoſcimus: ſiquidem *Curæ ſecundæ ſapientiores*, &, *Diſcipulus eſt prioris, poſterior dies*: ideo non ſem-

per ab affectu eſt, quòd de eadem re, non eodem iudicemus modò, ſed tunc tantum, quando præter animi commotionem, dolor adeſt, aut voluptas. Naſcitur autem voluptas, aut moleſtia, in appetitu ſenſitiuo, ex apprehenſione dilatante, aut contrahente cor; boni namque apprehenſione, cor dilatatur, mali verò, contrahitur Vnde definitur etiam affectus, quòd ſit motus appetitus ſenſitiui, ex apprehenſione boni, vel mali, cum aliqua non naturali corporis mutatione.

Prudentiſſimè autem à Deo naturæ authore ſunt nobis inditæ huiuſmodi affectiones, vt ſint veluti inſtrumenta ad præclaras actiones: Siquidem, quòd eſt ventus nauigio, id ſunt nobis affectus iſti; in quorum temperie animi noſtri tranquillitas, immò totius vitæ conſiſtit felicitas: ijs namque ferimur ad ea, quæ recta ratio dictat. Sin vero ratio ipſa, clauo ſe excuti patiatur, non iam illi ad virtutem ducunt, immo ad vitia pertrahunt, & tunc ſunt animi perturbationes, ac morbi: quòd prudens vir non permittit, qui affectibus nequaquam ſeruit, ſed imperat. Et propterea Stoicorum definitioni, quæ d ſit, (9) *affectus, impetus immodicus*, nigrum præfigimus thita.

Huiuſmodi autem affectus, vel ſunt in facultate (10) *concupiſcibili*, vel in (11) *iraſcibili*: ſex in illa reſident; ſiquidem illius obiectum, vel (12) *ſimpliciter* ſunt bona, & proſequenda, vel (12) *ſimpliciter* mala, & fugienda. Si ergo ſe offerat bonum, vtcumque illud ſit, ideſt abſque reſpectu ad abſentiam, & præſentiam, in ea oritur Amor illius boni; quòd ſi bonum repræſentetur, vt abſens, in eadem concupiſcibili facultate, naſcitur Deſiderium: ſi verò vt præſens, & adeptum, hinc exiſtit Gaudium, & Delectatio. Sic, ſi ſe offerat malum abſolutè ab abſentia præſcindens, ac præſentia, illud fugimus, & in potentia concupiſcibili exſurgit Odium, ac Auerſio, quæ eſt paſſio Amori oppoſita: ſi vt abſens, hinc venit Fuga, qui eſt affectus contrarius Deſiderio. Si verò, vt præſens, hinc exurgit Mœror, ac Triſtitia de præſentia mali, & hic opponitur Gaudio.

Obiectum verò facultatis iraſcibilis, eſt bonum, non (12) *ſimpliciter*, ſed proſequendum ſub ratione ardui, & malum, ſub eadem ardui ratione, fugiendum. Vnde in ea quinque tantum reſident affectus. Siquidem, ſi malum arduum fuerit abſens, & tale vt cum difficultate illud repellere poſſimus, inſurgit paſſio Metus, ſeu Formidinis: Vel illi malo procedimus obuiam, ſperando,

rando quod, eſto cum difficultate, vincere illud poſſimus, & eſt Audacia. Vel malum eſt præſens, & tunc contra ipſum iraſcimur, ac excandeſcimus ad ipſum depellendum, & eſt Ira. Bonum verò arduum, vel eſt tale, vt credamus poſſe nos ipſum conſequi, eſto cum difficultate, & erga ipſum naſcitur Spes. Vel tale, quòd credamus impoſſibile, illud adipiſci, & tunc oritur Deſperatio. Si verò bonum ſit præſens, ardui rationem amittit, vt non ſit opus aliam addere paſſionem.

Auguſtinus tamen Niphus philoſophus Sueſſanus, hanc etiam addidit, vocauitque Vlciſcentiam, ſeu Manſuetudinem, quâ dicit nos quieſcere cum difficultate in bono: Verum quia, ſi in bono quieſcimus, difficultatem non patimur, ſuperfluum puto hanc ponere paſſionem. Niſi velit, naſci Vlciſcentiam aduerſùs eum, qui nos bono illo priuare vellet. Verùm, tunc non foret Manſuetudo, vt ipſemet hanc appellat paſſionem. Præterquàm-quòd, illud, quòd vellet priuare bono, quo fruimur, non foret niſi malum præſens, contra quòd certè Irâ excandeſcimus. Vnde non erit addenda ſexta hæc paſſio oppoſita Iræ, quæ ſit erga bonum præſens, in facultate iraſcibili.

Sunt iſti vndecim affectus principes, ad quos reducuntur alij, nempè pudor, miſericordia, inuidia, æmulatio, lenitas, gratitudo, ac verecundia. De quibus, Ariſtotelem ſequentes, agemus in hoc tractatu, inueſtigantes perſonam, quæ afficitur, & eam erga quàm facilè afficitur, & affectionis cauſas, vt deinceps videre dabitur,

(1) ἀποδικτικά (2) παθητικά (3) ἐντέχνοις καὶ ἀτέχνοις (4) πάθοι (5) ἤθοί (6) περὶ πάθων (7) ὁρμὴ πλεονάξουσα (8) Ἐκπιθυμητικῆ (9) συμώδου (10) ἁπλῶς.

CAPVT PRIMVM.

De Ira.

Communiter definitur ira, quòd ſit accenſio ſanguinis circa cor. Verum definitio iſta, materialem tantum iræ exprimit

mit cauſam, ideoque minùs exacta videtur. Abſolutior putatur ea, quàm in hoc loco tradidit Ariſtoteles, quòd ſit *Cupiditas coniuncta cum dolore ſperatæ vltionis, propter apparentem contemptum, quo quis ſe, vel ſuorum quempiam affectum fuiſſe putat, contra quam oportuit.* In qua definitione, genus eſt appetitio, libido, ſeu (1) *cupiditas*: aliæ verò particulæ poſitæ pro differentia, vt, quòd ſit (2) *cum dolore*, dolor enim iram excitat: (3) *Vltionis ſperatæ*, ſeu ſpe puniendi eum, de quo pœna ſumi poſſe videtur, ponitur ad differentiam (4) *caſtigationis*, & ad deſignandum, contra quos ſit ira, nam (5) *caſtigationem* expetimus, vt per eam emendetur ille, qui pœnas luit; (6) *vltionem* verò, ſeu vindictam, vt, vlciſcendo eum, qui ante læſerat, noſtrum expleamus animum: vnde (7) *caſtigatio* fit cauſa eius, qui patitur, (8) *vltio* verò, cauſa eius, qui agit: Neutra tamen eſt aduersùs ſuperiores, aut valentiores, ſed (9) *caſtigatio* eſt in ſubditos, ſeu ſubiectos; (10) *vltio* vero, eſto nõ ſit propriè in ſubiectos, non tamen eſt aduersùs vehementer maiores, non enim poteſt in nobis eſſe ira contra Regem, quia de eo vlciſci non poſſumus niſi forte tantum linguâ, & occultè ei detrahendo, quæ eſt imbecillium (11) *vltio*. Additur in definitione, (12) *propter eum, qui apparet contemptum*; inde enim quis iraſcitur, quòd contemni ſe arbitratur; (13) *in ſe, vel in aliquo ſuorum*: Non enim quælibet læſio iram cauſat, ſed quæ eſt in nos, vel noſtrorum quempiam; perpeti namque tale contemptum, mancipij eſſe videtur, non hominis liberi. Denique additur (14) *inconuenienter, immeritò, iniuriâ*, quia ſi læſio fuit, vel credita fuit debita, iram non cauſat.

Iraſci autem ſolent Primò, qui dolent, ſe, aut ſuos non eo reputari loco, quo oportebat. Ita quum Abſalon Chuſai conſilium, Achitophelis conſilio prætuliſſet, iratus iſte, laqueo ſibi necem conſciuit. Secundo ij; quibus quis, ſiue directè, ac apertè, ſiue clam, & obliquè reſiſtit, vt ſi quis aduerſetur volenti bibere, ſiue aduerſetur prohibendo, ſiue impediendo, ſiue non adiuuando, quum poſſit: Vnde eſt illud. *Eſurienti haud obuius eſto.* Tertio ij, qui morbo affliguntur, aut egeſtate detinentur, vel amant, ſitiunt, aut vehementer aliquid cupiunt, nec conſequuntur. Vnde ſenes difficiles ſunt, & queruli, ſic ægri, & conualeſcentes, & quorum, laſſitudine, aut ſanguinis detractione, exhauſtus eſt calor: ſiti, aut fame rabidi, Vnde

eſt

eſt illud, *à laſſo rixam quæri*. Vt enim vlcera, ad leuem tactum, immo & ad tactus ſuſpicionem, condoleſcunt, ita animus affectus, minimis offenditur: & propterea iracundiores creduntur incolumibus languidi, & fœminæ maribus, & iuuenibus ſenes, & fælicibus ærumnoſi. Quarto iraſcuntur facile illi, quorum quis præſentem contemnit ſtatũ, vt quòd quis ſit pauper, vel debilis, aut ſimplex. Quinto ij, quibus aliquid, præter opinionem, accidit mali: nam ſicut magnopere delectant bona, quę prętcr expectationẽ contigerunt, ita vehementiùs nos angũt mala improuiſa, ac repentina. Sextò quædam circumſtantiæ anni, horæ, temporis, ætatis &c. reddunt homines iracundiores, vt æſtate, vel tempore cometæ, poſt venationem, aut calamitatem, & ætas ſenilis, &c. quorum ratio ex ſupradictis habetur.

Aduerte hic, quòd quantumuis irati doleant ob offenſam, & illatam ſibi ignominiam, gaudent tamen ob ſpem vindictę, in qua immoratur cogitatio, & ob quam, ira dicta eſt ab Homero, *melle dulcior*. Certum enim eſt, iratos ſperare, quum ab eis metus abſit. Quum autem ſpes ſit boni futuri, ex eius præconceptione naſcitur gaudium. Vnde ira dicta eſt *cos fortitudinis*, quia fortitudini aduerſatur metus, qui naſcitur ex malo futuro; irati autem nullam futuri mali rationem habent, quia quem timemus, non ſperamus nos poſſe punire; vnde manſueti, & pacati ſumus erga eos, quos metuimus, quia timor iram extinguit; & ſicut, ſi metus ſit ingens, ſedatur ira: ita ſi ira excellat, tollitur metus.

Sed quibus iraſcimur? non homini vtiq; ſed Titio, ideſt non generi, aut ſpeciei, ſed ſingulari indiuiduo, maximè qui, quum magnifacere deberet, contemnit. Talis eſt, qui beneficio affectus, vicem non reddit, quum poſſit. Et qui genere, potentiâ, aut alio quopiam præcellens, honore ſe dignum putat; vt opulentus ob diuitias, eloquens ob facundiam, & alij ob id, quo excellunt; qui ſi non honorentur, iniuriâ ſe credunt affectos, quæ fuit cauſa quur Mardochæo iraſceretur Aman. Et tantò maior exiſtimatur iniuria, quantò dignior eſt perſona cui irrogatur, creſcit enim ex dignitate perſonæ affectæ: ſicut honor, eò, quòd reſideat in honorante, ex dignitate creſcit honorantis.

Iraſcimur ergo primò eis, qui derident, ſubſannant; aut ca-

nillis laceſſunt; vnde quia contumelioſa oratio iram concitare ſolet, veteres dixere, iram in auribus hominum habitare. Secundo ijs, qui damna dant, non ob aliud, quàm vt de aliùs gaudeant dedecore. Tertiò ijs, qui ea vituperant, quibus maximè ſumus affecti, vt, ſi maximopere philoſophiæ ſtudio delectemur, ijs, qui in eam inuehuntur: iſtiuſmodi verò vituperationem, illi iniquiori ferunt animo, qui ſibi conſcij ſunt, ſe in eo ſtudio non excellere, qui enim excellunt, ludibria iſta minimi faciunt. Quarto amicis, qui nullo amicitiam beneuolentiæ obſignant charactere, quum e contra putemus, eos perpetuò debuiſſe benefacere, eò quòd oporteat, (quantum ius faſque permittit), amicis, dictis, ac factis obſecundare: vnde eſt, quod fratrum, propinquorum, ac omnium, qui vehementer amauerunt, efferatiora ſoleant eſſe odia. Quinto eis, qui honorare deſierunt: contemnere enim videntur, qui conſuetum non deferunt honorem. Sexto eis, qui, quum affecti fuerint beneficio, vicem reddere non ſtudent; & vniuerſaliter omnibus, qui beneficiorum ſunt immemores. Septimo eis, qui noſtris aduerſantur conatibus, nam iſti deſpicere nos videntur. Octauo eis, qui, quum ſint, aut haberi velint amici, non tamen laudant, aut beneni rentur, & magis ſi vituperent, vel dent damnum, aut noſtram non ſentiant indigentiam, nam ſi vere forent amici, noſtra curarent, & quia de nobis forent ſolliciti, hoc eos non lateret: ex quo in Baccharam Martialis indignabatur. Et par fuerit ratio, ſi, in re neceſſaria, multis ſit opus precibus apud amicum. Nono eis, qui noſtris gaudent calamitatibus, aut quum his nos premimur, illi ſecuri ſunt animo, hoc enim contemptoris, illud inimici indicium eſt. Decimo ijs, qui non curant, num nobis moleſtiam ingerant, aut dolorem; & propterea iraſcimur etiam nunciantibus mala, nemo enim odioſę rei amauerit nuncium: quapropter noluit Ioab, Achimam Dauidi nuncium mittere de parta victoria contra Abſalonem, ne eum Rex odio deinceps haberet, ſi, filij nunciaret mortem; ſed Chuſim potiùs miſit, poſt quem miſit etiam Achimam: ſed hic pergens per viam compendij, præuenit Chuſim, & primus Regi optatam nunciauit victoriam: interrogatus verò de Abſalone, noluit nunciare, quòd eſſet mortuus, negans ſe de eo aliq id ſcire: At Chuſi ſecundò veniens, retulit cum victoria Abſalonis interitum, quo nuncio valde contriſtatus eſt Rex. Ex

quo fit, quòd etiam iraſcamur ijs, qui non verentur ſcæuâ, ac mali ominis vti Oratione, cuiuſmodi erant omnia funeſta, quorum mentionem veteres abhominabantur: vnde condentes teſtamenta, antequam eis quidquam cauerent, prius ſibi bona ominabantur; vt de Ariſtotele, ac Theophraſto, Laërtius refert. Vndecimo iraſcimur ijs, qui, ſiniſtros rumores de nobis ſparſos, audire non renuunt, aut, ſine dolore, noſtras ſpectant calamitates. Duodecimo ijs, qui nos deſpiciunt apud hæc quinque hominum genera, nempe apud eos, cum quibus de honore contendimus, aut quos admiramur, ſeu ſuſpicimus, aut, à quibus ſuſpici volumus, aut quos metuimus, aut qui nos verentur. Decimotertio eis, qui contemnunt eos, quos turpe ſit nobis non defendere, vt ſunt, vxor, ſerui, filij, parentes. Decimoquarto eis, qui (9) *diſſimulatione* vtuntur, apud eos, qui ſerio agunt, ſiquidem contemnere videntur. Decimoquinto eis, qui, quum in alios ſint benefici, de nobis benemereri nolunt, quum & iſti contemnere nos videantur. Decimoſeſto tandem eis, qui citò, noſtri etiam nominis, obliniſcuntur; iſtiuſmodi enim oblinio ex incuria naſcitur, incuria verò ex contemptu Quòd ſi laxiùs iræ vtamur voce, ſuccenſemus etiam rebus quibuſcumque, quibus difficultatem patimur, vnde ſcriptores iraſcuntur calamo, pictores penicillo, aleatores teſſeris, alij alijs inſtrumentis.

Cauſa quur iraſcamur, eſt (10) *contemptus*, ſiue (11) *neglectus*, aut (12) *negligentia*. Cuius (13) *contemptus* tres ſunt ſpecies, quarum vna dicitur (14) *merus deſpectus*, quo aliquem paruipendimus, ac flocciſacimus, licet non incommodemus. Altera eſt, cui eſt nomen à (15) *Marte*, & quam quidam Latinè (16) *violentiam* vocant, alij (16) *incommodationem*, quæ propriè eſſe videtur (16) *inſultatio bellica*, &, importat *deſpectum* illum, quo aliqui aliorum ſtudia, ac opera impedire conantur, non vt ex hoc, commodi ſibi aliquid contingat, ſed ne alij percipiant, quòd cupiunt. Itaque huiuſmodi (17) *inſultantes*, eos, quibus inſultant, non exiſtimant poſſe multum obeſſe, alioquin non eis incommodarent; neque admodum prodeſſe, quia ſi inſignem aliquam ex eis ſperarent vtilitatem, id agerent, vt eos ſibi amicos potiùs haberent. Tertia eſt (18) *Contumelia*, quum quis damno, ac dolore, dedecori coniuncto, alium afficit, non vt emolumenti quidpiam percipiat, ſed vt voluptatem ex

aliena capiat, ignominia. Lætantur verò qui alios ignominiâ afficiunt, quia hac ratione ijs præcellere videntur, & propterea iuuenes, ac diuites, præ cæteris ſunt contumelioſi, vt ſequenti videbimus tractatu.

(1) Τὸ Ὄρεξις (2) κατ᾽ λύπης (3) τιμωρίας φαινομένης (4) κόλασις (5) τιμωρία (6) Διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν (7) τον εἰς αυτὸν ἢ εἰς αὐτῦ τινα (8) μὴ προσηκόντως (9) ἐπηρεία (10) ὀλιγωρία (11) καταφρόνησις (12) ἀ[illegible] (13) ἐπήρεια, ſiue ἐπηρεασμὸς (14) οἱ επηρεαζόντες (15) ὕβρις.

CAPVT SECVNDVM.

De Lenitate.

Lenitas propriè eſt ceſſatio ab ira; quam Græci dixere (1) *praneſin*, quamuis huius Grecæ vocis, expreſſiuum nomen Latinum non habeamus, vnde quidam appellant longa nimitatem, quæ propriè eſt (2) *machrotymia*, alij lentitudinem, (3) *aorgeſia*, dicenda, alij lenitudinem, quæ eadem eſt, ac lenitas. Dicuntur autem lenes illi, qui contrario ſe habent modo, ac ij, qui iraſcuntur, quia ſcilicet non dolent ſe, aut ſuorum quempiam contemni contra quam oportebat. Cuiuſmodi inertes, ac ſegnes etiam dicuntur, qui nec vindictæ Spe lætantur. Tales, in riſu, ludo, otio, ac felici rerum verſantur ſucceſſu: quiue inſignem aliquam laudem, ac populi adepti ſunt plauſum: Vt & qui in omnium rerum degunt abundantia; & vniuerſaliter hilares, ac voluptate perfuſi, & qui honeſtâ lætantur Spe.

Secundo, lenes ſunt, qui iram inueteratam habent, iram ſiquidem tempus hebetat, ac ſedat. Tertiò, qui de alio ſupplicium iam ſumpſerunt, ita namque furor reſidet erga alios. Quarto, qui iudicio vicerunt, (niſi in ipſo iudicio vehementer fuerint

fuerint exaſperati) nam ita, quum iudicati fuerint ſuperiores, lenes contra aduerſarios eſſe ſolent. Quinto, qui cernunt aduerſarios maius accepiſſe damnum, quàm ipſi illis infligere cogitarint, quia putant abundè pænas luiſſe, & propterea ſubintrat miſericordia, ac lenitas. Sexto qui arbitrantur iure ſe pænas luere, nam quidquid ex merito patiare, leniter ferendum eſt. Septimo, qui putant fore vt ij, de quibus vindictam expetunt non ſentiant, à quo illa proficiſcatur, & ideo nemo, niſi ferini, & brutalis animi ſit, mortuis iraſcitur, qui non ſentiunt quid, vel à quibus eis fiat. Octauo omnes, qui ſerio ſapientiæ ſtudio ſunt addicti; Sapientia enim docet rectum, ira verò non niſi in feras cadit mentes, ac eruditas præterlabitur. Nono qui animo ſunt magis generoſo; minuti quippe, exigui, ac infirmi animi eſt, vindictam exigere, & propterea fæminæ iracundiores ſunt viris, & debiles fortioribus. Vnde quo quis eſt animo magis generoſo, eo magis vindictam exigere contemnit.

Lenes verò ſumus erga eos, qui non videntur nos, vel noſtrorum aliquem contemptui habere, contra quam oportebat, vt, Primò erga eos, qui numquam nos læſerunt, aut contempſerunt, vel, ſi id fecerunt, inuiti feciſſe creduntur, vt diuerſa ab ijs, quæ fecere, facere voluiſſe exiſtimentur. Secundo erga eos qui tales nobis ſeſe exhibent, quales in ſeipſos ſunt, quia nemo ſeipſum contemnere putatur, vnde non debemus ſuccenſere alicui, quòd viliores apponat cibos, ſi ſciamus eum talibus victitare. Iulianus tamen fertur Baſilio, ac Cæſarienſibus ſuccenſuiſſe, quòd eum hordeaceo munerauerint pane, nec, eſto Epiſcopus ei affirmaret, alium ea in regione non ſuppetere panem, deferbuit ira, Verum Imperator ille à fide defecerat, & occaſionem quærebat Catholicos perdendi. Tertio erga eos, qui culpam confitentur, ac errati pænitentiâ ducuntur, male facti enim pænitudine, ſopitur, ac concidit ira, quia pænarum vice eſt pænitentiæ dolor: hinc heri, qui animos non habent ſaxeos, qui nullâ poſſint aquâ macerari, & incoctiles, ſi ſerui dolere ſe oſtendant, quòd eos offenderint, nedum iram deponunt, ſed veruecibus manſuetiores redduntur. At ſeruo obgannientc, ignem ſpirat herus: manifeſta enim negare, inſignis impudentiæ indicium eſt, ſumma verò impudentia, ſummi contemptus ſignum. Quarto erga eos, qui ſe ſubmittunt nec,

 repre-

reprehenſi, murmurant, aut queruntur ſe iniuriâ puniri, nam ita fateri videntur ſe eſſe inferiores, inferioribus autem non iraſcimur, niſi belluinos geramus animos: immò & leones proſtratis parcunt, & canes, ſi canes alios peregrinos ſedentes inuenerint, eos non mordent. Quinto ergà eos qui ſeriò agunt cum ſerio agentibus, nam tales non videntur contemnere. Sexto ergà eos, quorum beneficia aliquando fuerunt maiora, quàm ſit damnum, quòd nunc dederunt. Septimo ergò eos, qui rogant, ac precantur, nam iſti animo ſunt humili, ac ſubiecto, qui enim precantes non exaudit, vt non pius, ita nec clemens, nec lenis dici meretur. Octauo erga eos, qui in neminem, aut non in probos, & tales, quales nos ſumus, per inſolentiam, aut deriſionem, ac contemptum, quidquam committere volunt. Nono ergà eos, quos timemus, aut veremur, & ergà eos, qui per iram fecerunt, quia iſti impetu, non contemptu, peccarunt: iræ autem impetus eſt cum dolore, contemptus verò eſt (4) *doloris expers*.

Hinc licet colligere, verba, quibus vti debemus ad leniendos animos, byſſina, mellitaque eſſe oportere, non verò acceto ac felle lita, quia exaſperant iſta, illa edulcant. Ex quo fit, etiam eos plus ad deliniendum valere, qui minùs poſſunt, minuſque cogitant de vindicta, vt ſunt Sacerdotes, pueri, ac mulieres. Sic, quum Ludouicus XII. Gallorum Rex, Liguribus infenſus, Ianuam ingreſſus fuiſſet, circumdederunt eum Optimates, ac Reip. præfecti, ciueſque vniuerſi, factorum veniam demiſsè deprecantes: eorum tamen, ſupplex nihil impetrabat Oratio: at puerorum, mulierumque eiulatus, illius mox mentem ad clementiam flexit.

Cauſæ denique, ob quas iras excutere tentamus, & furori frænum inijcimus, tres ſunt, pro tribus deſpectus generibus: nam primo dicimus, quòd ij, ergà quos ardet ira, non contemnunt, Secundò quod non inſultant, Tertiò quòd nullâ afficiunt contumelia. Ex quibus locis, auditorum animos trahere debemus, ne doleant ob contemptum, nec gaudeant ob cogitationem, & ſpem vindictæ: Et oſtendere, eos, ergà quos ſunt iræ, tales eſſe, quales ſunt alij, ergà quos exercetur lenitas, hoc eſt, aut metuendi, aut reuerentiâ digni, aut benemeriti, aut gratificare, non lædere voluiſſe, aut dolere ob factum &c.

CAPVT

(1) πρᾳότης (2) μακροθυμία (3) ἀοργησία (4) ἄλυπος.

CAPVT TERTIVM.

De Amore.

AMare eſt velle alicui, quæ putantur bona, non propter ſe, ſed amati potiùs gratiâ, & eſſe paratum ad ea pro viribus efficienda. Requiritur ergo ad amorem, quòd quis amato velit ea, quæ putat bona, etiam ſi reuera bona, non ſint, & quòd ea velit, non proprij commodi cauſâ, ſed gratiâ illius, & quòd huius beneuolæ voluntatis adſit ſignificatio. Vnde differunt (1) *amor*, & (2) *amicitia*, quòd (2) *amicitia* conſiſtat in amore mutuo, & redamatione, (2) *amor* autem qui eſt fons (4) *amicitiæ*, redamationem non exigit. *Amicitiæ* vero genera plura ſunt, præcipuè (5) *ſodalitas*, quæ eſt in rebus leuioribus, vt in conuiuijs, iocis &c. (6) *familiaritas*, quæ eſt arctior (2) *amicitia*, ex frequenti conſuetudine contracta: & (7) *cognatio*, quæ eſt amicitia eorum, qui ſunt eiuſdem gentis, ſeu familiæ. Amicorum verò, eorum ſcilicet, qui amant, & redamantur, tres ſunt loci, videlicet primo, amici ſunt, qui vnà gaudent rebus bonis, ſimulque dolent moleſtis. Secundo amici ſunt, quibus eadem bona adſunt, ac mala, ſiquidem prouerbium eſt quod *Commune periculum congregat diffidentes*. Tertiò amici ſunt, quibus ijdem ſunt amici, & inimici. Vnde rectè Euſebio Nazianzenus ſcripſit *Gaudeo me honore abs te affici, at contumeliam à tua pietate illatam eſſe chariſſimo fratri Baſilio, moleſtè fero, quippe quem vitæ, & ſtudiorum ſocium elegi, & habeo; Tu verò dum eum contemnis, me autem honoras, perinde facere videris, ac ſi viri alicuius, caput, vnâ quis manu demulceret, alterâ verò feriret maxillam.*

Eos autem amamus, quibus bona cupimus, non noſtrâ, ſed ipſorum gratiâ, eaque pro viribus præſtamus. Horum primus locus eſt eorum, qui benefecerunt, aut putantur velle benefacere: vnde qui amari volunt, hoc philtrum debent adhibere;

vt

vt credantur, & ipſi amare, ac benefacere velle. Secundò eos amamus, qui amicorum ſunt amici, amicorum ſiquidem omnia debent eſſe communia, ipſi in primis, amici. Amicorum autem amici ſunt, tum, qui eos amant, quos amici, tum qui ab amicis amantur, vel amati fuerunt, dum viuerent: Vnde ſuperſtites, non minus quàm bonorum, amicitiarum eorum, qui deceſſerunt, hæredes putantur. Par eſt ratio de inimicis, quòd ſcilicet amici ſunt, qui eiſdem ſunt inimici, vel odio ab eiſdem habentur. Tertiò amamus eos, qui virtutem colunt, ac magnifaciunt, vt ſunt benefici in pecunijs erogandis, aut ſalute danda, & liberales, fortes, iuſti, & qui non alienâ quadrâ, ſed proprio viuunt labore, & qui non ſunt in rebus alienis curioſi; & eos, qui rarâ excellunt virtute, magni enim fit, quòd rarum eſt, vnde aqua, eſto res multò optima, vilis habetur, gemmæ verò, ipſa peregrinitate, & raritate gratiam poſſident. Quarto eos qui ſuaues ſunt in conuictu, & quotidiana conuerſatione, nempe faciles moribus, nec rixarum cupidi, in contentionibus cedentes, & qui facetè alios deridere, aliorumque cauillos, ac iocos facile ferunt: nemo enim vixerit cum eo, qui toto die iniucundus eſt, ac tetricus, nam quilibet, vt iucundum diligit, ita dolorificum fugit, & propterea eos auerſamur, qui (8) *quæruli* ſunt. Quinto eos, qui præſentia laudant bona, & maximè, quæ metuimus ne amittamus. Sexto eos, qui (9) *munditiem colunt* in victu, ac veſtitu, & totius vitæ honeſtate: (10) *munditiem* enim cuncti laudant. Septimo eos, qui nec commiſſa peccata, nec exhibita exprobrant beneficia: commemorare autem beneficia, eſt ea exprobrare. Octauo eos, qui non meminerunt acceptæ iniuriæ, ſed facile reconciliantur, nam putamus eos tales futuros ergà nos, quales ſunt ergà alios. Nono eos, qui non ſunt maledici, neque ſtudiosè in noſtra, aut aliorum inquirunt vitia, ſed tantum in bona, nam hoc bonorum eſſe videtur. Decimo eos, qui non aduerſantur iraſcentibus, aut ſeriò aliquid agentibus. Vndecimo eos, qui videntur nos admirari, aut probos putare, ac noſtro gaudere conſortio, maximè ſi fiat ob ea, ob quæ eſſe admirationi, aut probi videri volumus. Duodecimo eos, qui ſunt ſimiles, & eiſdem ſtudijs gaudent, quomodo *ſeni, ſenilis lingua eſt iucundiſſima, mulier mulieri conuenit, puero puer, ruſticus agricolæ, miles militi &c.* Heſiodus tamen monet, figulum odio eſſe figulo, & mendico mendi-

mendicum. Reſpondet Plutarchus, quòd ſimilitudo (11) *pugnax* cauſat odium, cuiuſmodi eſt inter gallos gallinaceos: (12) *manſueta* verò, qualis eſt inter oues, amorem conciliat. Cuius rationem reddit Ariſtoteles dicens, quòd *Amamus ſimiles, & eadem profitentes, ſi non nobis incommodent, neque ex eodem ſit vita, alioquin eueniret illud, Figulus figulo*. Itaque ſtudiorum ſimilitudo, eſt per ſe cauſa amoris: ſed ex eò, quòd quandoque vnus alteriùs impediat lucrum, vel gloriam, odium per accidens naſcitur, ac inuidia. Decimotertio eos, coram quibus non veremur ea dicere, vel facere, quæ turpia videntur, dummodo illos non contemnamus: & etiam eos, coram quibus talia facere veremur, quia per hoc apud eos in pretio eſſe ſtudemus. Decimoquarto eos, quos volumus noſtrarum rerum eſſe æmulatores, non verò inuidos obtrectatores. Decimoquinto eos, qui nobis ſubueniunt in honoribus ac diuitijs comparandis: amicitiam enim cauſat, tam dare, quàm accipere beneficium. Decimoſexto eos, qui ſunt fideles amici, quia amant abſentes perinde, ac præſentes, & ſunt ſtudioſi amicorum, itaut eos non deſerant in aduerſis, ac ne mortuorum quidem deponant amorem. Decimoſeptimo eos, qui non agunt ſimulatè, quippe qui ſua etiam detegunt vitia, quandoquidem apud amicos non erubeſcimus. Decimoctauo eos, qui non ſunt formidabiles: nemo enim amat eum, quem metuit; Vnde Princeps, qui à populo vult amari, debet timere timeri, vt de Theodoſio Sidonius dixit.

Cauſa amicitiæ eſt gratia, ſiue beneficium, hoc enim viam munit ad amicitiam, quum ex eo cognoſcamus alterius animum beneuolum; beneuolentia autem, non eſt ipſa amicitia, ſed eius fons, & origo, vel etiam effectus: Vnde quamuis auferri poſſit ex propinquitate, non tamen ex amicitia, eâ enim ſublatâ, ipſum amicitiæ tollitur nomen. Debet autem beneficium eſſe ſponte oblatum, ideſt abſque præcedentibus precibus *Nihil enim carius emitur, quàm quòd precibus emitur*. Et debet celari, adeo, vt quantum in benefactore eſt, ſtudeat latere etiam, illos, qui beneficium acceperunt, vt ſanctus præſtitit Nicolaus alijque multi Sanctorum, nam qui beneficium non abſcondit, is & exprobare videtur, & feciſſe non alterius gratiâ, ſed ſuâ, ideſt ob ſuam gloriam, ac ita meritum apud Deum amittit, & apud homines. Quamuis autem amicitia ſit amor reciprocus,

ac mutua beneuolentia, ipſius tamen natura magis conſiſtit in eo, quod ames, quàm in eo, quòd ameris. Verum, quum ſit affectio, in mediocritate continenda eſt, quam prudentia præſtat: prudentia autem honeſtate metitur omnia: & propterea proprie nomen non meretur amici, qui voluptatem ſequitur, aut vtilitatem. Ratio denique amicitiam conciliandi erit, vt oſtendamus nos eſſe tales, cuiuſmodi diximus amicos eſſe debere.

(1) φίλησις (2) φιλίας (3) ἑταιρία (4) οἰκειότης (5) καὶ συγγένεια (6) μεμψίμοιροι (7) φιλοκαλίαν (8) φιλοκαλίαν (9) μάκιμος (10) ἐπιεικῆ.

CAPVT QVARTVM.

De Odio.

ODio habere, eſt velle alicui, quę putat mala, & illius cauſa, & eorum eſſe pro viribus effectorem. Differt autem odium ab ira primo, nam ira naſcitur ex ijs, quæ vnusquiſque ad ſe pertinere cenſet, odium vero ſiue inimicitia, eſſe poteſt ſine reſpectu ad ea, quæ ad ſeipſum ſpectant; Vnde dicunt, odium gigni eo, quod eum, quem quis odio habet, imaginatur, vel (1) *ſimpliciter*, vel erga ſe, eſſe malum. Secundo, nam ira eſt ſemper aduerſus ſingularia, vt aduerſus Vatinium, Timonem &c. odium vero tam erga ſingularia, vt Vatinium, quàm erga vniuerſam gentem, vt, vniuerſim furem, aut calumniatorem habemus odio. Tertio, nam ira eſt tempore ſanabilis, odium non item, & propterea à quibuſdam definitur, quòd ſit ira inueterata: Quamquam, & odium vetus dici ſoleat, per comparationem ad nouam iram, quomodo Liuius dixit, quòd Eumenem aduerſus Perſen, quum vetus ſtimulabat odium, tum recens ira, quod eius ſcelere, prope vt victima, Delphis mactatus eſſet. Quarto nam ira cupit afferre dolorem, qui ſentiatur, odium non curat, num malum, quòd infert, ſentiatur, vel non. Quinto Ira eſt

cum

cùm moleſtia ob iniuriam acceptam, odium doloris eſt expers. Sexto nam ira, ſi multa fiant mala, detumeſcit, & miſeretur tandem, qui iraſcebatur; odium verò numquam miſericordia terminatur, quia iratus iram reponere, & talionem reddere cupit: at inimicus alterum vult planè extinctum, ac peſſumdatum, & in tantum ſæuit quandoque, vt, quò inimicos perdat, amicis non parcat, immò, & ſeipſum ſponte præcipitat, quo inimicum extinguat.

Ex ijs, quæ de amicis diximus, liquere poteſt, qui ſint, qui odio alios habeant: ij nempe, qui contrario modo affecti ſunt, ac amici. Odio verò proſequimur eos, quos contrario modo diſpoſitos ſentimus, ac eos, quos amamus. Odium ſimiliter, ſeu inimicitiam gignunt, actiones inimiciter aduerſantes bono, quòd amamus. Vnde qui ſe ſentit ab alio perpetuò deſpici, ac quaſi calcibus proteri, ei, non modò iraſcitur, ſed etiam inimicatur. Cuiuſmodi ſunt non modo (2) *nigrinates*, ſeu (3) *atriclunes*, quomodo fortes dicebantur, & iracundi, ſed etiam (3) *iecoroſi*, ſeu lenes, molleſque inſtar hepatis. Maximè verò accenditur odium, ſi ab ijs nobiſcum inimiciter agatur, à quibus maximè nos oportebat amari; vnde acerbiſſima naſcuntur odia inter coniunctiſſimos, vt enim eſt in prouerbijs (4) *Difficilia ſunt bella inter fratres Et vehementer*(5)*amantes, ijdem vehementer oderunt*: quia quæ apud concordes erant vincula charitatis, irarum incitamenta ſunt apud offenſos. Incitatur autem odium, oſtendendo hominem eſſe talem, quales eſſe conſueuerunt inimici.

(1) ἁπλῶς (2) μελάμπυγοι (3) ἠπατῖτοι (4) χαλεποὶ πόλεμοι ἀδελφῶν (5) οἵτοι πέρα στέρξαντες οἵδε πέρα μισοῦσι.

CAPVT QVINTVM.

De Metu.

PLura ſunt vocabula, quibus metum, ſeu timorem ſignificamus, quæue nonnihil differunt apud ſe. Metus enim Græcis

cis eſt (1) *phobos*, quæ vox eſt ſumpta à militia, nam tunc eſt (1) *phobos*, quum quis in fugam ſe conijcit: ſed tamen vox Metus, deducta eſt ab Ionio (2) *dimittere*, qui enim metuit, conſtantiam dimittit. Sed timor propriè eſt expectatio cenſuræ eorum, qui in dignitate ſunt conſtituti, & eſt a (3) *cenſere*; vnde eſt etiam (4) *obiurgare*: & vtrumque hoc vocabulum energiæ plus habet, quam vereri, ſeu dubitare. At pauor dicitur a (5) *pauire*, à quo eſt pauimentum, & tripudium quaſi terripauium: niſi malis, dictum quaſi (6) *tripodiarin*, quòd terra ter pede feriatur. Percellere ad idem ſpectat, & naſcitur à (7) *cellin*, quia quaſi verberatur animus, imminentis mali apprehenſione: ſiquidem *celin*, eſt idem ac (8) *Cinin*, aut (9) *elinin*, hoc autem eſt vi, & armis loco mouere, ſeu expellere, & in fugam vertere. Formido dicitur à formis, ſiue ſpectris: formum verò antiqui dixere calidum, vnde tunc propriè dici videtur formido, quum ſudor erumpit præ metu. Terror vel eſt à (10) *teras*, ideſt monſtrum, terrent ſiquidem monſtra: vel à (11) *treo*, quòd eſt idem ac (12) *tremo*, ideſt trepido.

Definitur autem phobos, quòd ſit dolor, ac perturbatio, ex opinione impendentis mali, quòd perniciem, aut moleſtiam adferre poſſit. Non enim, quodcumque malum metuimus, alioquin ingenij hebetudinem, ac fatuitatem, & omne peccatum metueremus: ſed non metuimus, dum apprehenditur, quòd (ſaltem in præſenti vita) perniciem non adfert, nec moleſtiam. Neque mortem multi timent, quia eam procul putant abeſſe. Illud ergo malum metum adfert, quòd ſecum coniunctum habet dolorem, aut perniciem, & imminere putatur. Spes vero oppoſito definiri poteſt modo, nempe, quòd ſit gaudium, ex opinione boni impendentis, quòd voluptatem adferre, vel conſeruare poſſit.

Illi metuunt, qui mali aliquid ſe arbitrantur paſſuros, & quum ſe credunt paſſuros Illi verò, qui nil ſe putant paſſuros, non metuunt. Horum duo ſunt genera: primum eorum, qui proſperâ gaudent fortunâ, ſi eâ perpetuo ſe credunt fruituros; & illi contumelioſi ſunt, audaces, ac aliorum contemptores: tales redditi à diuitijs, vel robore, potentia, multitudine amicorum &c. Secundum eorum, quorum conclamatæ ſunt res, ſeu qui ſunt deſperatæ ſalutis. Qui enim in malis leuioribus formidoloſi erant, quum ſe malorum obrui ſentiunt fluctibus,

& nul-

& nullum ampliùs ſpei locum relictum, ex ipſa deſperatione animum, vireſque ſumunt, & ex ipſo metu fiunt audaciores. Hinc ille prudenter monuit, inimico iam victo, nedum elabendi locum eſſe dandum, ſed aureum inſuper pontem fabricandum, quo tutiùs, honeſtiuſque fugam capeſſat. Propterea etiam Abner ad Ioabum clamabat: num vſque ad internecionem vellet deſæuire, ignorans quàm deſperatio foret periculoſa, ſiquidem ex deſperatione accerſitur audacia, & quum ſpei nil ſupereſt, deſperatio ipſa fortitudinis arripit arma. Vbi enim ſpes eſt, ibi timor eſſe poteſt, quum dubiam requirat conſultationem: vnde quum modo quocumque dubia abeſt conſultatio, vel quia res ſint omnino conclamatæ, vel quia ſint ſatis proſperæ, timor eſſe non poteſt.

Metuimus autem, Primo eos, in quorum manibus eſt noſtra ſalus, quiue poſſunt nos vitâ, libertate, aut bonis priuare: ſiue id facere valeant potentia, robore, diuitijs &c. ſiue quia fuerunt ſocij, aut conſcij atrocis facinoris à nobis patrati: ſemper enim adeſt periculum, ne iſti nos prodant, indeque merito, de quibuſdam à Iuuenale ſatyra 3 dictum

... *Scire volunt ſecreta domûs, atque inde timeri*

Secundo eos, qui poſſunt iniuriam facere, cuiuſmodi ſunt, qui alios nouerunt ſalibus defricare, vt ſunt Mimi, ſatyrici, epigrammatiſtæ, ac ſimiles: maximè eos, qui à nobis iniuriâ affecti fuere, vel ſibi affectos fuiſſe videntur; nam iſti expectant ſemper vlciſcendi occaſionem. Inde Dauid, etiam poſt pacem repetitam, ſibi metuebat à Saule, & filij Iſrael à fratre Ioſepho, quem vendiderant. Nec tantum eos, quos iniuria affecimus, verum & eos, qui nos affecerunt, ſiue quia crimine ex vno, iudicamus quomodo erga nos ſint affecti, ſiue quia, qui malum intulerunt, talionem reformidant, & propterea ſecuritatem habere non poſſunt. Tertio eos, qui eamdem, quàm nos, rem affectant, ſi nequeamus illam cum eis conſequi, vt eſt Regnum, quòd duos capere non poteſt. Et quicquid eiuſmodi eſt, vt in eo plures excellere non poſſint, in quolibet, pro eo contendentium, eſt alterius metus, Quarto eos, qui potentioribus, ac præſtantioribus ſunt meritò formidabiles, nam quos iſti iure metuunt, hi facile inferioribus debilioribuſque poterunt obeſſe. Quinto eos, qui nobis præſtantiores ſubſtulerunt. Sexto eos, qui nobis inferiores inuaſerunt, nam iſti, aut iam nunc ſunt metuendi,

aut eſt periculum ne, deuictis inferioribus, & ex hoc potentiores redditi, nos obruere poſſint. Septimo eos timemus, qui eorum ſunt amici, qui à nobis iniuriam paſſi ſunt, aut alioquin inimicorum, ſeu aduerſariorum noſtrorum: non quidem eos, qui præcipites ſunt ad iram, & liberè loquuntur: ſed potiùs manſuetos, diſsimulatores, ac callidos; ab illis enim qui palam ſe hoſtes profitentur, facile cauemus: non ita ab illis, qui animo ſunt exulcerato, ſed tamen ſimulare ſciunt, ac diſsimulare, iſti namque, quum maximè aliud agere videntur, nobis irrogant mala, vt Ioab Abnero, & Amaſæ, ac Iacobus nothus Mariæ Stuarthæ Reginæ Scotiæ. Ex quibus facile cognoſci poteſt, quos non metuamus, eos nempe, qui contrario ſe habent modo, ad eos, quos formidamus, videlicet, eos à quibus nil mali nos paſſuros putamus, quia vel malum nobis nolint, vel quia inferre non poſsint &c.

Timorem verò incutiunt, quę interimunt, quæ moleſtiam adferunt, & quæ ſigna ſunt rerum metuendarum. Vt ſi quis ſit inimicus, & potens: iſte enim, quia inimicus, nocere vult, & quia potens, ab inferendo non deſiſtet. Immò etiam ſi quis non ſit inimicus, dummodo ſit iniuſtus, & potens, timorem adfert, quippe quem potentes, & metuunt, & cupiunt extinctum. Maximè verò quattuor malorum metuimus genera: primum eorum, quæ corrigi nullatenus poſſunt; non enim formidamus leuem in mercibus iacturam, ſed maxima debet eſſe cautio, ne vitam amittamus; Vnde non licebat in militia bis peccare, & propterea centuriones, qui locum deſeruiſſent, virgis ac ſecuri cæſi, alijs fiebant exemplum. Secundum eorum, quæ emendari, non niſi ſumma cum difficultate poſſunt, vt inſignis ignominiæ macula: vitæ namque ſordes, non facile eluuntur. Quartum eorum, quæ miſerationem concitare poſſunt in nobis, ſi ea in alijs cernamus, putantes ea, & nobis accidere potuiſſe, Timorem etiam incutit res, quæ ſit planè inſolens.

Percelluntur autem metu auditores, ſi oſtenderimus, poſſe eos quoque pati aliquid mali imminentis: quòd probabimus conferendo eos cum alijs, qui eſto valentiores, cladibus tamen affecti fuere. Vel quòd æquales ſimilia paſſi ſunt, vel patiuntur, nempe quæ non arbitrabantur, vel ab ijs, quos non putarant, & tunc, quum minimè credebant.

(1) φόβος (2) μετῖναι (3) παρατό τιμᾶν (4) ἐπιτιμᾶν (5) ἀπὸ τοῦ παίειν (6) τριποδιάζειν (7) κέλλειν (8) κίνειν (9) κλίνειν (10) τέρας (11) τρέω (12) τρέμω.

CAPVT SEXTVM.

De Confidentia.

TImori opponitur Confidentia, ita dicta (1) *à Fido*, nam (2) *fidere* eſt perſuadere, ac credere: Sumitur autem Confidentia interdum in bonam, interdum verò in malam partem, eſto fiducia ſemper in bonam partem accipiatur. Apud Tullium autem definitur, quòd ſit, per quàm magnis, & honeſtis rebus, multum ipſe animus fiduciæ, certa cum ſpe, collocauit. Sed *Ariſtoteles* eam definit, eſſe ſpem, opinioni coniunctam, rerum ſalutarium ferè præſentium, metuendarum verò, quæ aut longè, aut omnino non ſint. Vnde confidentes ſunt, qui eiuſmodi habent opinionem, periculo tamen ſuo, non alterius; non enim eſt audaciæ, ſiue fortitudinis, aut confidentiæ, quòd Imperatores quidam, magna per milites audeant, ita tamen, quòd ſint ipſi ſemper extra teli iactum. Quantumuis enim Imperator, debeat ſemper propriæ proſpicere vitæ, potiùs, quàm militis, alioquin boni Imperatoris munus non exerceret: quippe quum exercitùs ſalus, à Ducis conſilio potiùs, quàm ab impetu militis dependere noſcatur; ſi tamen Dux ipſe periculi expers eſſe velit, audacis, ſeu imperterriti, aut confidentis non merebitur nomen. Et tanto minùs Confidens erit medicus, qui experimenta capere velit, cum ægrorum diſcrimine, quia confidentia in proprijs, non in alienis, verſatur periculis.

Confidentiam ergo habent ij, qui numquam mala experti fuerunt, hos enim armat, & animat ipſa mali magnitudinis ignoratio: dulce namque dicitur eſſe bellum inexpertis, vt videmus in nautis, non conſiderantibus periculi magnitudinem. Secundò, qui mala fuerunt experti, ſed ex eis ſalui emerſerunt, nam iſti, crebro vſu, enatandi varias didicerunt rationes: quo-

modo

modo nautæ, tempeſtates aliàs experti, non admodum ijs commouentur. Tertiò, qui animaduertunt rem, non metui ab æqualibus, aut inferioribus, & ijs, quibus ſe putant præſtantiores: maximè ſi ea in re nihil periculi videant homines prudentes: vnde in ſuadendo iuuat ſapientis authoritas: ſicut è contra, res, cuius imprudens homo eſt author, timenda eſt. Quartò, qui ijs pollent rebus, quibus excellunt, qui metuendi ſunt, vt amicorum, vel diuitiarum multitudine, potentiâ, robore, corporis firmitate, præſtantiâ etiam, vel omnium, vel maximarum earum rerum, quæ ad bellum parantur. Quinto, qui priores adoriuntur, nam qui prouocare non verentur, fortiores videntur. Sextò confidunt, qui vel nemini iniuriam intulerunt, aut non multis, vel non eis, à quibus ſit metuendum, omnes enim iſti propriæ fidunt innocentiæ. Et tandem illi maximè confidunt, qui ſe Deum propitium, ac ſuæ fauentem cauſæ credunt habere, nã iſti ſpei innixi, ſconibus fiunt fortiores, vt Dauid cõtra Goliã.

Verum, quibus in rebus fiduciam habemus? Hoc nouerimus ſi Confidentiæ cauſas habuerimus perſpectas. Fiduciam ergo adferunt primò, mala admodum remota, exiſtimamus enim non poſſe illa facile nobis nocere. Secundò, præſentia ſalutarium, quæ afflictos, ac iacentes animos erigere poſſunt. Quę autem ſpem ſalutis proximam eſſe oſtendunt, ſunt in primis, quæ emendationem oſtendunt. Secundò auxilia multa, & magna, ſiue ſimul veniant, ſiue ſeorſim ſeſe exhibeant. Tertiò ſi neque intulerimus, neque iniuriam acceperimus, ideoque aduerſarios, vel nullos habeamus, vel vulgares tantum: præſtantiores ſiquidem cenſent, non eſſe in vulgo lædendi facultatem, quia vt Democritus dicebat: *Vulgari piſci, ſpinæ non adſunt*. Quartò, qui beneficia aut acceperunt, aut contulerunt, vtrique enim fauent, & ſunt amici. Quintò ſi plures ſimus, aut præſtantiores, aut tam multitudine, quàm viribus ſuperiores. Oratione verò confidentiam gignimus, oſtendendo, quòd res ſalutares prope adſint, metuendæ verò, aut omnino non adſint, vel procul abſint.

(1) πείθω (2) πείθεσθαι.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

De Pudore.

PVdor, & verecundia, Græcam non habent originem: ſed pudor videtur (1) *metaphoricè* dictum, quòd ſenſus ipſum auerſetur, vt auerſamur putida. Verecundia verò vox eſt anguſtior, & notat magnam reprehenſionis opinionem, nam videtur dicta à ve, & reor, ideſt valde, & exiſtimo, quia magni rem facimus. Et quamuis in væ adſit diphthongus, hoc tamen non obſtat, ſiquidem in multis alijs compoſitis, diphthongus abijcitur, & fit ſyllaba breuis, vt patet in vecordi, veſano, vegrandi, immò & in feneſtra, quæ dicta eſt à (2) *phaenin*, ideſt lucet vel ſplendet: & in phelegetonte (3) *vro, incendo,* quorum verborum vtrumque idem ſignificat, nempe vſſit, incendit, inflammauit, vel abſolutè arſit. Apud Græcos autem, loco Latinorum nominum ſunt alia duo, nempe *ædios & æſchyne*, quæ prorſus idem ſignificant, eſto Damaſcenus velit (5) *ædon* eſſe metum ob expectationem vituperij, vnde ſignificat verecundiam, ſiue pudorem honeſtum, quia ferè deriuatur à *priuatione videndi*, vt propriè ſonet illum affectum, qui non ſinit aliquem oculos tollere ad intuendum, ſeu videndum, nam vt eſt in Græcorum prouerbio (7) *pudor eſt in oculis*: (8) *eſchyne* autem eſt metus ob aliquid turpiter factum, quum ſit ab eo, quòd eſt (9) *fœditas*, aut turpitudo: vnde *æſchine* eſt metus iuſtæ reprehenſionis. Sed paſſim vtrumque vocabulum tam in bonam, quàm in malam partem accipitur; Vnde pudor definitur hic ab Ariſtotele, *æſchine* eſt dolor, & perturbatio animi, nata ob mala præſentia, vel præterita, aut futura, quæ ad infamiam ducere videntur. Impudentia verò eſt, quâ quis, nullâ iſtiuſmodi rerum curâ tangitur.

Afficiuntur ergo pudore, ac verecundiâ, qui dolent offenſione exiſtimationis, cuiuſmodi ſunt, primò qui apud ſe habent, quos reuerentur, ſiue illi ſint præſentes, ſiue vicini, vel aliter cogniturì ſint, quòd præter decorum, dictum, aut factum ſit. Secundo, qui ad eum ſunt ſtatum deducti, vt honos, aut eorum periclitetur exiſtimatio; Vnde qui calamitate premuntur, ab

ijs

ijs conſpici nolunt, quos quondam æmulabantur: æmuli enim ſunt admiratores eorum, qui ſecundâ vtuntur fortunâ. Tertiò eos pudet, qui talia egerunt, quæ dedecori ſunt futura; nec ſolum ſi nobis ſint probro futura, ſed etiam ſi maioribus, aut alijs quibuſcum nobis intercedit neceſſitudo, vel ijs, qui ad nos referuntur, vt ſunt magiſtri, conſiliarij &c. Quartò, pudore afficimur, ſi præſentes adſint ſimiles, quibus cum de honore contendimus. Eos tandem pudet, qui credunt fore, vt conuerſandum ſit cum conſcijs ſuorum peccatorum.

Pudore autem afficimur apud eos, apud quos honorem, atque noſtram exiſtimationem ſartam tectâ, inuiolatamque eſſe cupimus. Tales autem ſunt, primò, illi, quibus admirationi de facto ſumus: ſecundò apud eos, quos admiramur: tertiò apud eos, quibus admirabiles videri volumus, nempe, penes eos, in quibus eſt aliquod bonũ honoratũ, aut à quibus aliquid vehementer optamus, quòd illi in ſua habent poteſtate. Quartò, coram illos quibuſcũ de honore contendimus, vt ſunt pares, ſiue æquales. quintò denique apud eos, quorum exiſtimationem, ac iudicium magnifacimus, cuiuſmodi ſunt ij, quibus naturâ deuincti ſumus, vel ob ſua in nos merita, vt ſunt proaui, parentes, præceptores &c.

Eorum, quorum curamus iudicia, quinque Ariſtoteles facit genera, primum eorum, qui vel ſunt ętate grandæui, vel pollent eruditione, vel ſeueri ſunt vitiorum cenſores. Secundum eorum, qui ſemper ſunt adfuturi, & qui attentè noſtram obſeruant vitam. Tertium eorum, qui non ſunt ijſdem obnoxij criminibus. Quartum eorum, qui non facilè delinquentibus ignoſcunt. Quintum eorum, qui facilè, ac lubenter effutiunt, quæ ſciunt, eſto alioquin non admodum puderet, nam vulgò parum diſtare creditur, num quid factum non ſit, & num factum ignoretur. Facile autem, commiſſa quæ viderint, enunciant, tum qui iniuriam paſſi fuerint, tum maledici, tum etiam, qui proximorum peccata ſtudioſè obſeruant, ac notant, cuiuſmodi ſunt irriſores, ac ſatyrici. Addimus, eorum nos iudicium magnifacerę, à quibus repulſam non retulimus, nam ab his putamus nos ſuſpici: Hinc eis nihil negamus, qui primò à nobis aliquid petunt, aut qui nobis amici eſſe volunt, aut, qui ab antiquo nobis fuerunt amici, aut qui nos florentes fortunatoſquę viderunt, nam cupimus magnificam, quàm de nobis

nobis habuerunt, non immutari opinionem. Denique apud eos pudet, qui dicta, factaque noſtra, indicatura putantur ijs, quos veremur, cuiuſmodi ſunt famuli, ac famulorum amici.

Res verò, quarum pudet, ſunt omnia opera vitioſa, ac vitiorum ſigna, ſiue ea in nobis ſint, ſiue in noſtris: quum itaque materies latiſſimè pateat, nos paucula enumerabimus. Pudet ergo nos primò ignauiæ, ad quam etiam pertinet non poſſe ſibi opitulari: & tam opera, quàm ſigna imbelliæ, ſeu timiditatis, vt fugere, parmulam iacere &c. Secundo pudet iniuſtitiæ, aut eius rei, quæ ſit iniuſtitiæ ſignum, vt quemquam fraudare depoſito &c. Tertiò intemperantiæ, vt, cum ijs congredi, quibuſcum non oportet, aut quando, & vbi non oportet. Nec ſolum ipſa intemperantia, ſed etiam ipſius ſignum, pudore ſuffundit. Quartò illiberalitatis, vt quæſtum ex paruis; aut turpibus facere, quod de Veſpaſiano legimus vel nullam pecuniam, aut opem præbere, quum poſſis ei, qui flagitet, aut minorem, quàm poſſis, aut mutuum petere tunc, quum putas alium à te petiturum; aut expendere in rebus non neceſſarijs, eo fine, vt petenti negare poſſis. Illiberalitatis etiam eſt, vniuerſa poſcere, cuiuſmodi dicti videntur Ætoli (1) *quòd omnia petant*: & qui impudenter efflagitant omnia, dicti ſunt habere (2) *manus in Aetolis*. Idem vitium eſt, ſi quis metuens ne is, à quo pecuniam mutuò acceperat, eam repoſcat, præoccupando, aliam petat, non quòd ſit ſpes accipiendi, ſed vt ei prorogetur tempus reſtitutionis; aut ſi quis, putans alium aliquid à ſe accomodatum poſtulaturum, illud repoſcat, quòd priùs vtendum dederat, non quia vltra carere non poſſit, ſed ne alius petat. Ad idem vitium pertinet laudare aliquid, quo id tibi donetur, aut petere, poſtquam ſemel repulſam tuleris.

Quintò pudent aiunt opera, ac ſigna adulationis, vt propter dolentem, ſupra modum dolere, aut laudare in os. Sexto pudet molliciei, vt non tolerare labores, quos perferunt ſeniores, ac delicati, aut qui in maiori ſunt authoritate, & vniuerſim, qui minus habent virium. Septimo puſillanimitatis, vt ſæpè beneficium ab altero accipere, vel à ſe in alterum collata beneficia exprobrare. Octauo arrogantiæ, vt multa de ſe prædicare, & ſibi aliorum inuenta attribuere, vel labores. Nono pudet quoque, quòd ijs careamus bonis; quibus vel omnes, vel

ſimiles, aut ſaltem plurimi participes ſunt, vt nullius eſſe eruditionis participem: quòd; eò eſt turpius, quò magis propriâ accidit culpâ. Vt ſi quis, ſtudiorum ergo in exteras miſſus regiones, ſuorum ſpem eluſerit. Decimo pudet etiam quandoque eorum, quæ præſtare in noſtra non fuit manu, vt quòd quis non ſit legitimè natus, aut legitimè, ſed vili de genere, cuius rei, vt eſt apud Capitolinum, Maximinum pudebat. Vndecimo paſſum eſſe, vel pati, aut eſſe paſſurum, quæ putantur probroſa, vt quæ pertinent ad miniſteria corporis, vel operum turpium; & quæ fiunt quopiam inuito: turpia enim ſunt, quia ignaui eſt ac timidi, ea non propulſare, ne fiant, aut facta non vlciſci. Par ratio eorum, quorum pudicitiæ vis fuit illata. Ex quibus patet qua ratione orator hunc poſſit ciere affectum, id enim præſtabit commemorando ea, quæ exiſtimationem offendere poſſint.

Pudor iam abſolutus eſt, tractanda foret (8) *impudentia*: ſed ex dictis de pudore cognoſci poteſt. Addimus tamen, aliquando credi audaciam oppoſitam eſſe pudori, quia impudentia reddit audaces, ac temerarios; naſcitur enim, rebus maximè difficilibus, ac deploratis, & propterea à quibuſdam, exquiſito adulandi genere, conſtantia dicitur, ac fortitudo. Illi enim, qui frontem perfricuere, ſententiam mordicùs tueri, & in ea obſtinati eſſe ſolent. Maximè verò ferreum, vel canis os habent, qui hominum de ſe aſpernantur iudicia, cuiuſmodi homines dicterijs aſperſi, quando alius vultûs demiſiſſet, & factus foret (5) *rubicundior ſquillâ aſſâ*, cautis inſtar, immoti ac immutati permanent: quæ quum impudentia ſit, ac vecordia, à nonnullis audacia nominatur, immò & fortitudinis decoratur vocabulo. Ex qua figlina, & luto ille erat, qui apud Comicum dicebat, *Ego rumorem parui facio, dum ſit rumen, qui impleam*: vel ille qui ſimiliter aiebat

Sordidus, ac diues, populi contemnere voces
Sic ſolitus: populus me ſibilat, at mihi plaudo
Ipſe domi, ſimul ac nummos contemplor in arca:

Impudentiores homines fiunt, poſtquam turpe quid commiſerint, Vnde Chryſoſtomus *Peccatum quamdiu parturitur, confuſionem habet, ac pudorem, vbi verò fuerit commiſſum, impudentiores etiam reddit qui patrarint*. Et præcipue, ſi peccandi accedat conſuetudo; Nam pudor eſt veluti veſtis, quæ quantò obſole-

tior

tior eſt, tantò incurioſius habetur. Cętera ad impudentiam ſpectantia, ex dictis de pudore poſſunt cognoſci, quia contrariorum eſt eadem diſciplina.

(1) μεταφορικῶς (2) παρὰ τὸ φαίνειν (3) παρὰ τὸ φλέγειν καὶ αἴθειν (4) αἰδὼς καὶ αἰσχύνη (5) αἰδὼν (6) στερητικῶ ἰδεῖν (7) αἰδοῦς ἐν ὀφθαλμοῖς (8) αἰσχύνη (9) ἄισχος (10) ἀπὸ τοῦ αἰτεῖν ὅλον (11) τῷ χεῖρες ἐν αἰτολοῖς (12) ἀναισχυντία (13) ἐρυθρώτερος χαρίδος ὀπτῆς.

CAPVT OCTAVVM.

De Gratia.

GRatia (1) multiphariam accipitur, primò pro venuſtate, aut pulchritudine, decore, vel oris dignitate: deinde, pro amore, pace, atque concordia, quomodo eos dicimus in gratiam redire, quibus donata fuere delicta, & qui in amicitiam recepti fuerunt. Tertiò, pro beneficio gratis conceſſo, vnde eſt (2) *conferre beneficium*, ſiue gratiam; & hoc modo de gratia nunc agit Ariſtoteles, dicens, Gratiam eſſe affectum, per quem habentes dicuntur conferre indigenti, non vt item ab hoc referatur, nam hæc foret mercatura, aut permutatio, non verò (1) *gratia*: nec vt ipſi tribuentes vtilitatem aliquam inde conſequantur: ſed tantum vt illi, cui gratificare intendunt, aliquid boni contingat. Illi verò ad gratificandum moueri poſſunt, in quorum manibus ſunt ea bona, quibus alij indigent: & erga indigentes moueri debent: nam ſi quis beneficium conferre velit, in eum, qui illo non indiget, fruſtra conabitur. Indè homines ad gratificandum adducuntur, animaduerſâ indigentiâ illorum, quibus gratiam conferre volunt: & is indigere putatur, qui appetit: immò illa (3) *indigentia* propriè eſt & (3) *appetitio*, quæ coniunctum habet dolorem rei, quâ deſtituimur, vt ſunt cupiditates, & quæ ſunt in cruciatibus corporum, carcere, paupertate,

exilio &c. Ex quibus quilibet habere poteſt, quomodo gratiam cieat.

Amplificatur autem gratia, ſeu beneficium, primò, ratione eorum, in quos confertur, quòd ſint maximè indigentes. Secundò ratione eorum, quæ dantur, vt ſi ſint magna, vel rara, aut difficilia. Tertiò ſi dentur opportuno tempore, nam tempus plurimum valere in dando beneficio, oſtendit Auſonius dicens.

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namque
Quum fieri properat, gratia grata magis. Et alius
Qui citò, vel bella negat, is tribu ſſe videtur
Munera, nam ſemper eſt odioſa mora,

iuxta illud *Qui citò dat, bis dat*. Quarto ratione dantium beneficium, vt quòd id præſtent ſoli, aut primi, aut in primis &c.

Extenuatur verò gratia, primò, dicendo, quòd qui beneficium contulit, ad proprium reſpexerit commodum, nimirum, vel vt, qui accepit, deuinctus maneret ei, à quo accepit: vel vt dans haberet aliquem, erga quem merita ſua iactare poſſet, ac prædicare; cuiuſmodi beneficij acceptor, conferenti obligatus non manet, ſiquidem toties illi refert, quoties alius ſua in illum merita narrat. Secundò, dicendo, quòd caſu benefecerit, ac fortuitò, vt ſi quis, quò patrem exſolueret, carcerem effregit, vnde ſimul & alij erupere, quorum ille gratiâ talia auſus non foret. Tertiò, quòd fecerit coactus, nam beneficium ingratum eſt, niſi ſponte ſit oblatum. Quartò dicendo, quòd quis reddidit potius, quàm contulerit, quia prius acceperat. Quinto diſcurrendo per ſingulas cathegorias, vt dicendo, quòd dederit hoc, & non illud; quòd non tantum, quantum oportebat; quòd non quale requirebatur; quòd non quando opus erat; quòd non vbi eo indigebamus; & ſic de alijs prædicamentis. Hinc inquit Seneca. *Hoc mihi dedit; ſed quam ſerò? ſed poſt quos labores? quantò plura conſequi potuiſſem, ſi illum aut illum, aut me colere voluiſſem? Non hoc ſperaueram, in turbam conieƈtus ſum: tam exiguo me dignum iudicauit? Honeſtius præteriri fuit.* Sexto eleuatur beneficium, à tribus animi parum beneuoli ſignis, primum, vt quòd nec rem minorem quidem tribuerit: ſecundum quòd inimicis tribuerit paria, vel etiam maiora. Tertium, quod tribuerit res viles, abiectaſque, vt olera, vel poma. Sic apud Horatium

Veſcere ſodes.
Iam ſatis eſt. At tu quantum vis tolle benigne,
Non inuiſa feres pueris munuſcula paruis.
Tam teneor donis, quàm ſi dimittar onuſtus.
Vt lubet; hæc hodie porcis comedenda relinques.

(1) χάρις (2) νέμειν χάριν (3) δέησις.

CAPVT NONVM.

De Miſericordia..

IVxta Zenonem, vt vertit Cicero, (1) *Miſericordia eſt dolor, aut ægritudo, ex alterius miſeria, iniuſtè laborantis*: ſed pleniùs definit Ariſtoteles, dicens, miſericordiam eſſe dolorem quemdam, conceptum ob malum, quòd videtur perniciem, aut dolorem allaturum, ei, qui indignus eſt hac fortunâ, dummodo ipſe putet ſe, aut ſuorum quempiam poſſe ſimilia pati; & maximè excitatur quum malum imminere videtur.

Hinc ad miſerendum procliues ſunt, qui ſe, aut ſuorum quempiam putant aliquid tale malorum pati poſſe, quæ in alio conſpiciunt. Nam eſto quis parum doleat ob alienum dolorem, & (2) *in alienis miſerijs proprium metat angorem*, mala tamen domeſtica magis affligunt; Vnde quum propria nos magis premant infortunia, & homines omnia ſoleant proprijs metiri damnis, ac emolumentis, merito dictum eſt, ea miſericordiam ciere, quæ nobis, aut noſtris contingere poſſe putantur. Et eam ob rem, tam fœlices, quàm infœlices immiſericordes ſunt, iſti quidem quia omnia ſe mala emenſos eſſe putant, nec aliud ſupereſſe, quòd ſuſtineant. Illi verò, quia nihil aduerſi ſibi autumant poſſe euenire. Et eadem eſt ratio eorum, quibus nulli ſunt poſteri, qui pati poſſint. Illi etiam miſeram non timent ſortem, qui non didicerunt quid ſit miſerum eſſe, non enim miſeretur aliorum, qui numquam fuit miſer. Vnde hanc reddidit Paulus rationem, quur Deus carnem aſſumere, ac in ea pati voluerit, vt ſcilicet ex his, quæ paſſus fuit, diſceret fratribus compati.

Miſe-

Miſerentur ergo primò, qui mala paſſi ſunt, & ex ijs euaſerunt. Secundo ſenes, quia vſus eos docuit, quot, & quantis malis hominum ſit obnoxia vita. Tertio, debiles, & in primis ſi timidi fuerint, nam ob imbecillitatem, ſibi diffidunt. Quarto eruditi, ac rerum periti, quia omnia rectè expendunt. Quinto qui habent parentes, vxores, aut liberos, quos putant pati poſſe. Sexto qui nec irati, nec fidentes ſunt, nempe qui non ſunt fortes, neque præuident futura. Septimo qui non ſunt contumelioſi, nam qui gaudent alios afficere contumelia, non cogitant ſe poſſe pati. Octauo qui non valde metuunt, nam metu perculſi, non miſerentur, ſiquidem domeſtico laborantes malo, de alieno non ſollicitantur. Denique miſerentur, qui putant alios eſſe pios, ac probos, nam niſi talem putaueris, malo dignum credes, & ita non miſereberis. Vnde Timon ille Athenienſis, qui (3) *oſor hominum* dictus eſt, nullius miſerebatur, quia omnes oderat homines.

Eorum verò miſeremur, qui malo, quòd patiuntur, indigni cenſentur, vt familiarium, qui tamen ſtrictæ neceſſitudinis vinculo coniuncti non ſunt, quomodo Amaſis (niſi (4) *memoria lapſus* ſit in Ariſtotele, & potiùs Pſammenitus, qui Amaſis fuit filius, ſcribere debuerat) vt eſt apud Herodotum, ob filiam, quæ aquatum mittebatur, ſeruili habitu, & filium, qui ducebatur ad mortem, nullas effudit lachrymas; copioſè tamen fleuit, amicum videns mendicantem; cuius rei hanc, apud Cambyſem, reddidit rationem, quòd hoc miſerabile foret, illud atrox; atrocitas autem miſericordiam pellit, vnde nonnumquam vtilis eſt aduerſario: & propterea qui flenda patiuntur, dicuntur leuia pati, & mala leuia, loqui concedere, ingentia ſtupidos reddere.

Secundo miſeremur eorum, quibus malum atrox de proximo imminet. Tertio eorum, qui ſunt ſimiles, ætate, moribus, habitibus, aut dignitate, ſimilitudo enim hæc, facit vt iudicemus nos quoque talia pati poſſe. Quarto eorum, qui calamitoſos homines repræſentant habitu corporis, voce, veſtitu, actione. Quinto eorum, quibus mala nuper acciderunt, vel propediem creduntur euentura. Sexto eorum quorum conſpiciuntur ſigna miſeriæ, vt veſtes eorum, qui mala perpeſſi fuerunt, vt veſtis Ioſeph, commouit Iacob, & Cæſaris item veſtis, populum Romanum; *ſegniùs enim irritant animos demiſſa per au-*

res,

res, quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, ſiquidem illatæ iniuriæ ſigna, vehementiùs accendunt. Vnde etiam locus memoriam refricat,& ſi in eo malè habiti fuimus; excitat iram,oblectat verò, ſi in eo benè nobiſcum actum fuit, aut in eo ſedem habuit is, quem diligimus; quâ ratione Terræ Sanctæ veneramur loca, in quibus noſtræ Redemptionis myſteria, celebrata fuere. Septimo eorum, quorum in miſera conditione auditur oratio, vt eorum, qui animam agunt, vt filiæ Iephtæ. Octauò eorum, qui mala fortiter patiuntur, ſi probi, & virtutis ſtudioſi viri fuerint. Hinc oratores oſtendunt eos, qui acerba occubuerunt morte, forti in ea animo fuiſſe, quia quum ſinguli humanarum miſeriarum caſus, grauiter accipiantur, tum afflicta, & proſtrata virtus, eſt maximè luctuoſa. Vnde minùs miſeremur eorum, qui in calamitates, ſuâ inciderunt culpâ, nempe qui ſemper pulmonis vixere vitam, abdomini, & ventris addicti voluptatibus; & longè minùs ſi ſordidi compareant;quapropter nemo Vitellij Imperatoris miſerebatur,qui, fœdum ducebatur ſpectaculum, victæ pone tergum manus, laniata veſte, multis increpantibus, nullo illachrymante. Omnium verò minimum ſceleratorum miſeremur, quos dignos arbitramur malis, quæ patiuntur, vnde nemo proditoris, aut parricidæ ſupplicio, miſericordiâ mouetur.

Cauſæ, ob quas miſeremur, ſunt mala; quæ vel interitum adferre, vel moleſtiam creare ſolent, vt morbi, vitam tollendi vim habentes, aut alia magna pericula: & mala, quæ eueniunt à fortuna, vt ſpoliari amicis, vel prodi ab illo, de quo ſis optimè meritus. Simile eſt, ſi quis interimatur, aut magnam ſuſtineat perſecutionem, ob paternam virtutem, vel propterea quòd virtutem aut amicitiam colere velit. Mouetur autem miſericordia, ponendo ob oculos auditorum, mala, quæ pati poſſunt in ſe, vel ſuorum quopiam, maximè ſi ſint ingentia, & conſpiciantur in perſonis, quæ illis videntur indignæ.

(1) Ἔλεος ἐςὶ λύπη ὡς ἐπὶ ἀναξίως κακοπαθοῦντι (2) ὑπὸ ἀλλοτρίας συμφορᾶς ἰδίας καρποῦ ταιλήπας (3) μισανθρώπος (4) μνημονικὸν ἁμάρτημα.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

De Indignatione.

INdignatio (1) definitur, quòd ſit (2) *dolor ob alterius felicitatem, qui eâ ſit indignus*. Conuenit cum miſericordia, quòd vtraque ſit virorum bonorum, & ab Ethnicis vtraque Dijs tribuitur, non enim minus iuſtus eſt dolor, ſi immerentes patiantur aduerſa, quàm ſi feliciter agant indigni: differt verò ab ea, quòd (3) *miſericordia* ſit *dolor ob res* (4) *aduerſas eius, qui pati non debuerat*; *indignatio* verò eſt *dolor ob res proſperas* (5) *eius, qui illis eſt indignus* Ab (6) *inuidia* etiam differt, nam indignatio tunc eſt, quum indignus aliquo bono, eo potitur, & inde indignationis nomen factum: at inuidia eſt in æqualem, aut ſimilem, etiamſi bono potito ſit dignus.

Illi indignantur, qui maximos ob virtutes, & merita honores ſunt conſequuti, ſi alios immeritos, & abſque virtute, eadem, vel ſimilia bona videant poſſidere; quia putant iuſtum non eſſe, vt in quibus merita non ſunt paria, æqualia ſint præmia. Et maximè ſtomachantur, ſi nedum ſint boni ex natura, ſed inſuper ex habitu ſtudioſi: nam ſic, rectum habentes iudicium, iniuſtitiam auerſantur, nec pati poſſunt, quòd immeriti meritorum præmia ferant. Illi etiam indignantur, qui honoris appetentes, ea ambiunt, quæ indigni conſequuti fuerunt; nam meritò ægrè ferunt, indignos ijs potiri, ſeſe verò poſt habitos eſſe. Et vniuerſim, qui ſe dignos credunt aliquibus bonis, indignantur erga alios, quos putant indignos, ſi talibus bonis eos potiri conſpexerint Homines verò ſeruilis ingenij, & qui nullis bonis ſeſe dignos exiſtimant minimè indignantur. At inter Chriſtianos, affectus iſte nequaquam perfecti viri eſt, tum quòd hi non alia, quàm Cæleſtia habent, in bonis, quæ numquam dantur immeritis: tum quòd omnia, a Diuina prouidentia diſpoſita ſciant; tum denique, quòd quum in eis relucere debeat humilitas, qua omnem hominem ſe meliorem iudicent, nullo ſeſe bono dignos cenſere debent.

Indignamur verò ijs, qui bonis, quibus potiuntur, indigni videntur; vt ijs, qui nuper aliquod bonum conſequuti fuere, vt nu-

per ditatis, vel nuper potentiam conſequutis Eis namque, qui ab antiquo diuitias, aut dignitates poſſederunt, non indignamur, ſiquidem illorum propriæ, ac naturales videntur; nemo autem indignatur alicui de bonis proprijs, ac naturalibus: ſed nuperæ diuitiæ, ac dignitates, alienæ videntur, ac violentæ, & ideo ſtomachum mouent. Illis etiam indignamur, qui bona poſſident ſibi improportionata, vt ſi timidus in acie egregiè conſpiciatur armatus, fortis verò armis careat; Vel ſi nuper ditato, contingant excellentes nuptiæ, quæ negentur generoſo: vtrumque enim, ob indignitatem, ſtomachum mouet. Præterea indignamur, ſi inferior cum ſuperiori congredi velit, in ea re, in qua eſt inferior, vt ſi foſſor cum philoſopho de cauſis rerum naturalium, aut agricola cum nauta de nauis regimine, quo *clamet Melicerta, periſſe frontem de rebus*, vt ait Perſius.

Indignamur autem, non ob iuſtitiam, fortitudinem, aut aliam virtutem, quæ dignos reddit homines, ſed tantum ob bona, quæ poſſident, quum ijs ſint indigni, vt ſunt diuitiæ, potentia, multitudo clientum, ſiue amicorum, & ſimilia; vt quòd libertus quiſpiam, ingentis tegatur pretij tumulo, vir autem eximiæ virtutis, vili, vel nullo. Vnde fuit ſtomachus illius, qui ait

Marmoreo Licinius tumulo iacet, at Cato paruo,
Pompeius nullo: credimus eſſe Deos.

Mouetur denique indignatio, oſtendendo aliquos indignos aliquibus bonis, quibus digni ſunt auditores ipſi, vel alij, quibus auditores bene volunt.

(1) Νέμεσις (2) λύπη ἐπί τ' ἀναξίαις εὐπραγίαις (3) ἔλεος (4) κακοπραγίας ἀναξίας (5) λύπη εὐπραγίας ἀναξίας (6) φθόνος.

CAPVT VNDECIMVM.

De Inuidia.

INuidia, ſeu (1) *Inuidentia*, ita dicta, vel quòd inuidis doleant oculi ob alienum bonum, quod ægrè, ac inuiti vident, vel

quòd nimis videant, & intueantur: vnde à nimia intuitione (2) *faſcinum* eſſe credebant, quod propterea dictum putabant, quaſi luminibus, ſeu (3) *intuitu necaret*. Eſt igitur inuidia dolor ob alterius res ſecundas, etiamſi hæ nihil obſint inuidenti. Vel, vt Ariſtoteles ait, eſt dolor ob proſperitatem in eis bonis, ob quæ eſt etiam indignatio, erga ſimiles, non vt aliquid commodi contingat ei, qui inuidet, ſed propter illos, quibus inuidetur. Et eſt ingens hoc malum, quod eò magis creſcit, quò plura accumulantur bona, in eo, cui inuidetur, nam

Inuidus alterius macreſcit rebus opimis. &
Videt ingratos, intabeſcitque videndo
Succeſſus hominum, carpitque & carpitur vna
Suppliciumque ſuum eſt.

Ideòque dictum, quod

Liuor ſe telis vlciſcitur (4) proprijs ipſe.

Quapropter dicere poſſis, quòd eſto (1) *inuidia* ſit res longè peſſima, eſt tamen in ea aliquid boni, (5) *liuida enim corda lacerat atque oculos* Vnde locus eleganti factus ſcirpo, quo quidam dicebat inuidus (6) *A ſe belluam ali ſeipſam comedentem*.

Inuident autem illi, qui, etſi proſperâ vtantur fortunâ, maius tamen affectant bonum, quòd, in putatis ſui ſimilibus, conſpiciunt: ſimilibus inquam, vel genere, vel cognatione, vel habitu, vel ætate, vel æſtimatione, vel opibus, ſtudijs &c. Inuident etiam ambitioſi, & maximè ſi parum abſit, quòminùs omnibus potiantur bonis, vel ſi geſſerint res magnas, ac felici vtantur fortuna, quomodo Saul Rex, Dauidi inuidebat. Tertio inuident (7) *puſillanimes*, ſordidi, ac viles, nam iuxta illud

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris
Vicinumque pecus grandius vber habet,

omnia quę in alijs iſti vident bona, preclara, & magna videntur, vt meritò dixerit Iob, *Paruulum occidit inuidia*; homines enim verè magni, inuidiæ non ſubiacent, quæ tantùm paruulis inſidiatur, eoſque perdit, quia iſti tantùm, dant illi locum. Et propterea ferè ſemper pauperes, ac ſeruilis conditionis homines, inuidiæ reperiuntur ob noxij, & inter eos, ij ſunt magis inuidi, qui ſunt deteriores. Ex quo factum eſt, vt quamuis multi odiſſe ſe fateantur, numquam ſe inuidiſſe velint concedere, quia inuidia eſt ſemper malorum, odium autem, & in bonis

nis erga malos eſſe poteſt. Vnde Timo ille (8) *hominum oſor*, non dicebat ſe ſolitudinem incolere ne multos videret felices, ſed ne multos videret præter meritum felices.

Reſpicit (1) *inuidia* ſimiles, ſeu æquales, ſiquidem æqualitas eſt quæ gratiam exulcerat, vnde non inuidemus ijs, qui ſunt longe minores, vt ſol non inuidet, quòd veſpere, aliqua ſtella ſit in Cœlo. Nec illi, atro inuidiæ dente petuntur, qui ſunt longè ſuperiores, & tantò minùs, quantò magis excellunt: rerum enim ſecundarum ſplendor, ac excellentia, inuidiam extinguit; Nam ſicut ſol, quibus ſupra verticem eſt, nullam, vel exiguam facit vmbram, ſic, quum felices ſucceſſus nacti fuerint faſtigium, ac ſupra inuidiæ caput eminentiam conſequuti, liuor, tali victus ſplendore, contrahitur, ac recedit. Vnde Græci (9) *aphtonon* dicunt pro copioſo, & abundanti, talis enim vltra, ſupra, & extra inuidiam eſt.

Genera autem eorum, quibus ob ſimilitudinem inuidemus, hæc ferè ſunt, primò ijs inuidemus, qui ſunt ſimiles propinquitate, ſiue temporis, vt qui ſimul in eadem Rep. viuunt: vel loci, quomodo Romanus Romano, ac Athenienſis inuidet Athenienſi: vel ætatis, vt iuuenis inuidet iuueni, & ſeni ſenex: Vel fortunæ, vt relictus paupertina in ſorte, dolet inde alium euolaſſe: Vel exiſtimationis, vt paſſim eſt inuidia inter Senatores, vel Conſulares, qualis erat inter Achitophel, & Chuſai. Secundo fertur inuidia in eos, cum quibus eſt de honore certamen, vt in riuales, ac competitores, & omnes qui eadem appetunt: & maximè ſi alter ipſorum celeriter ſit bonum concupitum adeptus, nam tunc, Figulus figulo. Exacerbatur etiam inuidia, quum vnius gloria, in alterius dedecus vergit, ſiue huius vtilitas in illius detrimentum. Tertiò erga illos etiam eſt inuidia, qui ea poſſident, quæ inuidentibus potiùs conuenire putabantur, aut certè eorum aliquando fuerunt. Ita Scipioni inuidebat Fabius, quia per illum, ſpoliari ſe videbat ea gloriâ, quâ tot annis, Italiæ defenſor audierat. Sic, & Alexander Macedo, vt nonnullis placet, ſuorum Ducum virtutibus inuidebat, quia eorum ſplendore, minùs illuſtrem fore fulgorem proprium ſibi perſuadebat. Inuidebat ergo Perdiccæ, quòd foret (10) *bellicoſus*, Lyſimacho, quòd eſſet (11) *bonus belli dux*. Seleuco, quòd (12) *virilis*, ſeu (12) *ſtrenuus*: Antigono, quòd (13) *honoris auidus*, & ſic etiam alijs. Quartò denique inuidemus ijs, qui

 ſum-

ſumptus fecere exiguos, in rem, quæ nobis conſtitit multo: vel qui rem fuerunt aſſequuti largitione, ijs qui eam magnis ſunt adepti virtutibus, & etiam è contra.

Cauſa, ob quam excitatur inuidia, eſt proſperitas eorum, qui ſimiles ſunt, nam tunc cietur dolor, quippe qui non adſit tantum ob mala propria, quantùm ob alienam felicitatem. Hinc Bion Boreſthenites, quum quemdam triſti conſpexiſſet incedentem vultu, ait *Neſcio vtrum tibi malum, an alteri obuenerit bonum*: inuidi verò, vt de aliorum triſtantur bono, ita de aliorum malo gaudent. Vnde Ouidius, inuidiæ deſcribens antrum, dixit

Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores.

Et quia inuidia eſt dolor de aliena felicitate, miſericordia verò eſt dolor de alieno infortunio, melius eſt ei, cui inuidetur, quàm cui miſeremur.

Præſtaret denique abſtinere à traditione modi, quo ínuidia concitari poſſit, quia hæc non cadit in virum bonum, Sed vt occurramus alijs, qui, vt præoccupent miſericordiam, inuidiam conflare nituntur, dicimus, ipſam moueri ex quattuor capitibus, primum eſt eorum, qui gloriam amant, ſed de honore, factis contendunt. Secundum eſt in ijs euentibus, qui bonæ adſcribi ſolent fortunæ. Tertium in ijs, quæ ipſi appetunt, aut quibus ſeſe ornatos eſſe debere iudicant. Quartum denique eſt, in quibus non admodum excedunt, nec nimis exceduntur.

(1) φθονος (2) βασκαίνειν (3) φάεσι καίνειν (4) ὁ φθόνος αὐτὸς ἑαυτὸν ἑοῖς βελέεσσι δαμάζει (5) τήχει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην (6) θηρίον τι τρέφει ὅπερ αὐτὸ ἑαυτὸ ἐσθίει (7) οἱ μικροψύχοι (8) μισάνθρωπος (9) ἄφθονον (10) πολεμικὸς (11) στραταγεῖν ἀγαθὸς (12) ἀνδρεῖος (13) φιλότιμος.

CAPVT

CAPVT VLTIMVM.

De æmulatione, & contentione.

Æ*Mulatio* apud Græcos dicta eſt à (2) *feruendo*, quia eſt quidam animi feruor, faces ſubdens, ac ſtimulos ad honeſtum aliquod facinus perpatrandum; & definitur, quòd ſit, dolor ob præſentiam bonorum, in naturâ ſimilibus, non quòd ea alijs adſint, ſed quòd ſibi deſint, vnde adeſt animo citrà inuidiam, ſiquidem inuidus dolet ob aliena bona, ſiue is eadem habeat, ſiue non: æmulator verò non triſtatur ex eo, quòd alius habet, non enim vellet illum carere, ſed quòd ipſe non habeat; vt ſi videam aliquem fortem, & eum æmuler, cupio bonum, quòd ille habet, non inuidens ei, qui poſſidet; fortitudinis paria, vel etiam maiora edere opera contendo, nec tamen impedio, vel diſplicet, quòd ille in eiſdem exerceatur. Differt etiam æmulatio à zelotypia, quòd hæc ſit dolor ex eo proueniens, quòd alteri quoque adſit bonum, quòd nos habemus: æmulatio verò eſt dolor, naſcens ex eo, quòd quis caret bono, quòd alter habet. Differt etiam (1) *æmulatio* ab imitatione, ſiquidem numquam imitatio inuidiam admittit, aut liuorem: *æmulatio* verò nonnumquam ſumitur, vt inuidiam etiam includit. Vnde in Actibus Apoſtolorum, Pontifices, & magiſtratus templi, dicti ſunt repleti zelo, ſeu æmulatione, vt manûs inijcerent in Apoſtolos, vbi tò zelos ideſt (1) *æmulatio*, manifeſtè pro (3) *inuidia* vſurpatur.

Illi autem æmulationem habent, qui dolent bonis ſimilium, propterea quòd ea ipſi non habent. Huiuſmodi ſunt, primò, qui autumant ſeipſos dignos ijs bonis, quæ non habent, & habere conſpiciunt alios ſibi æquales; & tales inuenies iuuenes, ac magnanimos: è contra verò ſenes, ac puſillanimes non æmulantur, quia non ſperant conſequi ſe poſſe bona, quæ alij habent. Secundò qui ea habent bona, quæ honoratis ſunt digna viris, vt ſunt diuitiæ, amicitiæ multorum, ac potentium, ſiue optimorum, dominium, magiſtratus ſiue dignitas; qui enim talia habent, putant ſibi deberi honores, potiùs, quàm alijs, & propterea alios æmulantur. Tertiò qui ab alijs honore digni

cen-

cenſentur, ſiue ijs bonis, ob quæ alios æmulantur, nam quum à multis, talibus bonis digni æxiſtimentur,nollent eamdem hanc opinionem de alijs haberent, & ideo eos æmulantur. Et maximè illi dolent, quòd bona opinio de alijs habeatur, qui eſto bene ab alijs audiant, ſciunt tamen hanc famam ficulneo fulcro nixam, quum in ſe talia non conſpiciant bona, ſed tantum ſibi cõplacent ex aliorũ dictis. Vt de quodam tali eſt apud Perſium.

Egregium quum me vicinia dicat,
Non credam? Viſo ſi palles improbe nummo,
Si facis in panem quicquid tibi venit amarum
Si puteal multùm cautus vibice flagellas
Nequicquam pôpulo bibulas donaueris aures.
Reſpice quod non es, tollat ſua munera cerdo.
Tecum habita, vt noris quàm ſit tibi curta ſupellex.

Quartò quorum maiores, cognati, domeſtici, natio, aut patria, præclara eſt, & honorata, iſti enim honorem, & claritudinem iudicant quaſi propriam, & ideò dolent,alios ſimiliter honorari; & ſibi detrahi putant, quicquid alijs acceſſerit. Nonnumquam etiam æmulari dicitur ille, qui bonum, nedum ſimile, ſed idem prorſus appetit, quemadmodum Aiax, æmulus dicebatur Vlyſſis, in petitione eorumdem Armorum Achillis.

Æmulamur verò ſimiles: vnde Agathocles Syracuſarum Tyrannus, ſeruos, libertate donatos, ingenuis exæquauit, quò eares æmulationem accenderet, dum nec liberti, ſeu noui Ciues, ingenuorum cedere vellent virtuti, poſtquam Imperator eos illis exæquauerat; & ingenui, turpe ducerent, à nouis ſe vinci Quiritibus. Horum tres precipuè loci numerantur. Primus eorum, quibus bona adſunt, vt fortitudo, iuſtitia, ſapientia, vel etiam magiſtratus regimen, eloquentia: talibus enim multa ſuppetit facultas de alijs benemerendi, & propterea digni cenſentur, vt ab alijs æmulentur, nam quilibet appetere debet facultatem benemerendi de alijs. Secundò, æmulatione æſtimantur digni,quibus ſe multi ſimiles eſſe exoptant ob eorum excellentiam, & quibus multi cupiunt eſſe amici, vel familiares,& illi, quos multi ſuſpiciunt, & maximè quos nos ipſi ſuſpicimus, nam in his omnibus excellentiam videmus, ob quam digni ſunt æmulatione. Tertiò illos æmulamur, quorum encomia,ac laudes, ſcriptores celebrarunt, quomodo Alexander, Achillem æmulabatur, quòd Homerum nactus eſſet encomiaſtem.

Cauſæ,

Cauſæ, ob quas æmulatio gignitur, ſunt (4) ***bona honorata***, ſeu quorum præmium eſt honor: Bona autem honorata, alia ſunt (5) *virtutis*, alia (6) *utilium* ſeu ***idoneorum ad benefaciendum***; alia ***quibus fruuntur*** (7) ***propinqui***. Prioris generis ſunt virtutes: ſecundi, potentia, gratia, amicitiæ, diuitiæ, & ſimilia; ſunt enim huiuſmodi bona idonea ad benefaciendum. Tertij, diuitiæ, ac forma, & etiam ſanitas, quamuis hac minùs fruantur alieni, quàm forma, ac diuitijs. Concitatur verò æmulatio, oſtendendo, bona æmulabilia adeſſe ſimilibus, & fieri poſſe, vt ſi nos adnitamur, eadem, vel ſimilia adipiſcamur. Nam ita, qui ijs deſtituuntur, ad illa aſpirabunt.

Affectus autem æmulationi oppoſitus, appellatur (8) contemptio, ſeu (10) deſpectus: eos namque deſpicimus, qui proſperà quidem vtuntur fortunâ, ſed bonis carent honoratis, nempe virtutibus, potentiâ, diuitijs, ac ſimilibus. Qui enim excelſo ſunt animo, non mouentur ob alterius diuitias, aut potentiam, ſiquidem eos tantùm plurimi faciunt, in quibus virtus, vel eruditio, aut ſaltem genus fuerit. Cæterùm paſſim homines, diuitias, etiam, ac potentiam magni æſtimant. Illis autem quos deſpicimus, reſpondere plerùmque dedignamur, quod ſi reſpondere velimus, contumelijs eos vexamus, vt in Vatinium, ac Verrem Cicero fecit.

Vt ***affectuum*** (9) ***ſermonem*** iſtum obſignemus, vtiliſſimum hoc præceptum adiungimus, vt quum affectum aliquem, in quolibet alio mouere vis, priùs, eodem ipſe mouearis. Sic Polus fecit hiſtrio, qui vt luctum ſaltaret Oreſtis, filij, paulò ante defuncti, oſſa, in ſcenam ſecum adduxit, quibus verum ipſe luctum aſſumpſit, adeo vt totum compleuerit luctu theatrum. Orator ergo, rerum imagines, de quibus agit, firmiter concipiat animo, vt veros affectus habeat penes ſe, quo ijs alios poſſit mouere, iuxta illud ***Vt moueas alios, priùs moueare tu.*** Et hæc de affectibus.

(1) Ζῆλος (2) ἀπο τοῦ ζέειν (3) φθόνου (4) ἀγαθὰ ἔντιμα (5) τῆς ἀρετῆς (6) τῶν ὀφελλίμων (7) τῶν ἀπολαυτικῶν τοῖς πλησίοις (8) καταφρόνησις (9) παθολογίαν.

TRA-

TRACTATVS VIII. ET VLT.

De Argumentis Moratis.

HActenus de argumentis (1) *patheticis*, ſeu *affectiuis*, quæ maximè in genere Iuridiciali locum habere videntur, nunc (2) de moratis, quæ in Deliberatino præcipuè attenduntur, ſupereſt agendum. Differunt autem (3) *mos*, *&* *affectus* non ſolùm gradibus, vt (4) *affectus* ſit *mos* vehemens, (5) *mos* autem ſit *affectus* remiſſus: ſed magis quia *mos*, eſt principium agendi, (6) *affectus* autem patiendi eſt origo. Vndè qui perturbatur, *affectum* habet, vt inuidus, qui verò perturbat, habet (7) *morem*, vt iracundus. Et quamquam perturbatio omnibus inſit, nempè tám in ijs, qui alios perturbant, quàm in ijs, qui ab alijs perturbantur, tamen propriè *mos* eſt qui exit in actiones, *affectus* autem reſpicit receptionem; & ita dicimus, quòd (8 *affectus*, *moris* ſit fundamentum; vt quum video miſerum, patior, ea eſt quidem miſericordia, quæ creat munificentiam ad illi ſubueniendum; & hæc eſt mos: ſic, accepta iniuria, patior vlciſcentiam, quæ affectus eſt, illa verò parit fortitudinem ad depulſionem, vnde *mos* eſt fortitudo.

Mores autem ſunt, quibus hominum animi proſpiciuntur, vnde ab Ariſtotele in arte poëtica, definitur mos his verbis. *Mos eſt, qui* (9) *eſt manifeſtatiuus propoſiti, ſiue conſilij.* Et propterea quum in brutis non ſit conſilium, quum non operentur ex præcognitione finis: nec ex mediorum electione, ideo in eis non eſt propriè *mos*, quia mos debet eſſe (10) *manifeſtatiuus conſilij*, ſiuè propoſiti, in ordine ad finem, cum electione mediorum ordinatorum ad ipſum. Vndè, quando brutis, vel etiam inanimatis, attribuuntur (11) *mores*, loquutio eſt impropria, & metaphorica. Conſilium autem manifeſtatur, tum ſermone, tum actione; colligimus ſiquidem hunc, illis, vel illis eſſe præditum moribus, ex eo, quòd hæc, vel illa, ipſum agentem audiuimus, vel conſpeximus. Et de actionibus res eſt manifeſta: de ſermone etiam id docet vetus ſenarius.

Qualis quis (12) *moribus ſiet, ſermo indicat.*

Sub ſermone autem comprehendimus etiam ſcripturam, Immò

mò quum in omni oratione, ingenium, ac mores hominum reluceant, in Epiſtolis tamen in primis reſplendent; quapropter illis maximè hic accomodatur tractatus, in quibus attenditur in primis probitas, ac conuenientia.

Spectari autem debent mores, tàm auditorum, quàm ipſiuſmet oratoris, quem fide dignum reddunt. In oratore iuſtitiam tantum requirunt, ac prudentiam. Alij in eodem requirunt ſcientiam, beneuolentiam, ac loquendi libertatem. Verùm plus quam loquendi libertas, probitas conferre dignoſcitur, adeout magis ſuadeat vir bonus, tacendo, quàm procacibus multis ſermonibus, improbus. Vnde Martyr Ignatius ad Philadelphienſes, de eorum Epiſcopo ſcripſit, quòd *Tacens plus. poteſt, quàm alij plùs loquentes*. Nec iuſtitia, ſiue probitas, ſimul cum prudentia, ſiue ſcientia, ſufficiunt, ſi beneuolentia deſit, ſiquidem, vt non perſuadent, qui ob imprudentiam putantur malè ſentire: & ob improbitatem aliter, ac ſentiunt, loqui creduntur ſcientes: ita nec illi aſſenſum obtinere poterunt, qui, eſto pro prudentibus habeantur, ac probis, alteri tamen parti, quàm nobis, magis fauere putantur. Sanè quantum beneuolentia ponderis habeat, argumento erit, quòd ei fidem nonnulli negant, quem alioqui prudentem, ac incorruptæ fatentur fidei, ſed in vnam, quàm in aliam partem propenſiorem. Et propterea, in Democratijs libentiùs auditores auſcultant vilis alicuius è plebe conſultationem, quàm prudentis, ac Patricij viri, rerumque conſultiſſimi, quia in illo, quàm in hoc maiorem ſupponunt beneuolentiam: Democratia enim maxima ex parte conſtat ex vilibus, ac plebeis hominibus, & ideò tales, Orationem vilis, ac imperiti hominis è plebe, coniunctam cum beneuolentia, quæ ſupponitur, quum eiuſdem res agatur in tali Reip. forma, præferunt Orationibus prudentum, ac ſapientum virorum, in quibus verentur maleuolentiam ob inæqualitatem, & ne Politias faciem inuertere velint. Oſtendet autem prudentiam Orator, ſi non audacter; ſed modeſtè, alios doceat, ſeu moneat: probitatem verò ſi virtutes extollat, vitia deprimat, ex his primas, ac maximas ducens probationes: Beneuolentiam denique, ſi erga auditores, ac Remp. ſingularem præſeferat amorem, ac obſeruantiam, maximè ſi recenſere poſſit aliquod facinus, vnde opere id manifeſtetur, ne ſit tantum amor affectiuus, ſed etiam effectiuus: vel ſi à parentibus dicat, taliter animatis, id hauſiſſe,

(1) παθητικοῖς (2) ἠθικοῖς (3) ἦθος καὶ πάθος (4) πάθος (5) ἦθος (6) ἦθον (7) ἦθος ἐςι τὸ τοιȣ̃τον ὁ δηλοῖ τὴν προαίρεσιν (8) δηλοῖ τὴν προαίρεσιν (9) ἤθοι (10) Ανδρὸς χαρακτὴρ ὐκ λογȣ γνωρίζεδε.

CAPVT PRIMVM.

De morum varietate generatim.

Eſto mores, vt diximus, tàm in oratore, quàm in auditore conſiderari debeant, ſtudioſiùs tamen illi ſcrutandi ſunt, qui ſe tenent ex parte auditorum, ſecundum quos Orationem plerùmque variare debemus, vt monet Magnus Gregorius in ſuo Paſtorali, diffusè de his agens, ac docens, quâ ratione, ſecundum auditorum diuerſitatem, oratio quoque ſit varianda. Nos ne eamdem iterum coquamus crambem, dicimus cognoſci mores, primò, ex natura regionis, vt plurimum, ſiquidem Itali ſunt prudentes, gloriæ appetentes, ac virtutis, magnanimi, liberales, nec bellicæ expertes virtutis. Hiſpani lenti in conſilijs, bellici laboris tolerantes, diſciplinæ tenaces, timidi præterea, ac ſuperbi, & vile miniſterium, (etiam ſi magna ſpes affulgeat, auerſantes,) ac interim pecuniarum auidi, Contra Galli, præcipites in conſilijs, nec longæ ſpei patientes, bellicæ nihilominùs virtutis, ac gloriæ ſtudioſi, magnanimi; ac liberales, & ſplendidi, Religioniſque cultores. Poloni feroces, & quos, aſtu potiùs, quàm vi, ſuperare poſſis, quia ſimplicitate gaudent. Contra Græci leues, ac perfidi, quibus, ne iuratis quidem, teipſum, aut pecuniam credere poſſis. Græcis pares ſunt Afri, ſubdoli, ac deceptores. Aſiani voluptuoſi, ac molles. Angli leues, vrbani, ac in votis, & pactis permutandis, faciles. Germani ſimplices, ac aperti, conſtantes tamen in retinendis ſententijs. Et ſic de alijs, vt pro gentium diuerſitate, mores diuerſi eſſe videantur.

Variant etiam mores iuxta Rerump. formas, alijs enim mo-

ribus prædìti creduntur, qui viuunt ſub Monarchia, alijs qui ſub Plutocratia, aut Dimocratia, vel Ariſtocratia ſunt inſtituti: ſiquidem, qui ſub Ariſtocratia degunt, legum obſeruantiam ſartam tectam eſſe contendunt, cui quicquid aliud poſthabendum decernunt, quia reuera, illa ſtante, ſtat Reip. forma, vbi vero negligitur illa, Remp. cadere eſt neceſſe. Qui verò ſub Dimocratia ſunt, libertatem ſpirant, nec omninò ſeruire didicerunt, vnde quicquid contra libertatem fuerit, æquis ab his auribus non audietur. Degentes ſub Plutocratia augendis inhiant diuitijs, & illas Orationes, patulis excipiunt animis, quæ ſpecialem aliquem, ad hunc finem facientem, modum inuexerint. Et tandem viuentes ſub Monarchia, ſecuram obedientiam colunt, & Orationem libentèr audiunt, ſic moratam.

Immò in hominibus eiuſdem gentis, & viuentibus ſub eadem Reip. forma, variant nonnumquam mores, ratione, ſiue affectuum, ſiue habituum, ſiue ætatis, ſiue fortunæ. Conſtat autem, quòd varient mores ratione affectuum, quum manifeſtè videamus, aliud ab amante ſuaderi, aliud ab odio habente: aliud ab iracundo, aliud à placato, ac leni. Quòd etiam varient ratione habituum, non eſt minùs manifeſtum, quum videamus aliter eſſe diſpoſitum iuſtum, aliter iniuſtum: aliter philoſophum, aliter militem, vel agricolam. De qua morum varietate, nunc nihil dicimus; ſed eam tantùm conſiderandam ſuſcipimus, quæ attenditur ſecundùm ætates, quomodo alij ſunt mores iuuenum, alij ſenum: & ſecundùm fortunam, quomodo alij ſunt mores diuitum, alij pauperum, alij nobilium, alij plebeiorum, alij potentum, alij fortunatorum, alij mulierum, alij virorum. De quibus in conſequentibus.

CAPVT SECVNDVM.

De varietate morum ſecundum ætates.

VAriant mores ſecundùm ætates: experimur enim eumdem ipſum alijs gaudere, ſeu alijs eſſe moribus præditum, in ætate ſtata, ſeu virili, quàm fuerat in pueritia, & iuuentute, & alios etiam ſuccedere in ſenectute. Solet autem diuidi ætas, in

infantiam, pueritiam; adoleſcentiam, ſiue pubertatem, iuuentutem, virilitatem, ſenectutem, ac ætatem decrepitam. Infantia tunc dicitur, quum natus infans, fari adhuc non nouit, quæ communiter abſoluitur triennio, nam etſi aliquas tunc emittat voces, earum tamen plenum habere non videtur intellectum. Pueritia à termino incipit infantiæ, & durat vſque ad annum quartum decimum, ſaltem in virili ſexu. (1) *Pueritiæ* ſuccedit pubertas, quæ eſt adoleſcentia, quum primum pubes lanugine, aut pilis obducitur, & quando cum ſanguine, & corpore, animi quoque perturbationes efferatiùs adoleſcunt, & hæc durat ad vſque ad annum vigeſimumquintum. Inde Iuuentus, ad quintum vſque ſeptenarium, nempe trigeſimum quintum annum. Sequitur poſtea ætas ſtata, ac firma, nempe Virilis, vſque ad quinquageſimum, ſeu ſeptimum ſeptenarium, quæ rebus agendis, & prudentiâ pollet conſilij. Dehinc Senectus, ita dicta, vel à ſenum ſegnitie, quippe qui ſint tardi, & ad res gerendas inutiles: vel à mortis vicinitate, vt ſint ſenes quaſi ſemineces. Demum eſt ætas Decrepita, ita dicta, vel à ſenum illius ætatis clamore, & quærimonijs: vel à decreſcendo, quòd ſenes tunc incurui, minores fieri videantur: vel à crepero id eſt dubio, quia videntur quaſi non viuere. Ex his ætatibus, Oratio non dirigitur ad infantes, nec ad pueros, bene verò ad alias.

Iuuenes ergo, ac adoleſcentes, cupiditatibus flagrant, quibus, excuſſo rationis fræno, impotenter ſeſe mancipant, quòd & Baſilius dixit, quum ait *Iuuentutis effrænes ſunt cupiditates*. Viget enim in adoleſcentibus animi vigor, & impetus, vincendi cupiditas, mentis ardor ad gloriam; quæ ſtudia, in ætate ſtata contractiora; in adoleſcentia, tamquam in herba, prælignificant quantæ virtutum ſint futuræ fruges. Hinc adoleſcens, in quo nullus ſit animi impetus, & quem non incitet adeò gloria, vt etiam victus fleat, numquam ad ſolidam pertinget eruditionis gloriam. Ab hac iuuenum impetus vehementia, factum eſt, vt Græci (2) *Neanicon* accipiant pro magno, quum (3) *neos*, vel (4) *nearos* apud ipſos ſit iuuenis, vt iuuentus eſt (5) *neotas*.

Quamuis autem iuuenum affectus ſint vehementes, citò tamen deficiunt, ſemperque improuiſâ capiuntur nouitate, adeout, ad ægrotorum inſtar, facilè ſatientur, vt meritò de his cecinerit Venuſinus.

Cereus

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſque, & amata relinquere pernix.

Quia ergo iuuentus mobilis eſt, & inconſtans, ſine iudicij pondere amicitias ſuſcipit, quas tamen, ab exoriente faſtidio, nullatenùs defendere nouit. Quia verò in ſenibus deferbuit cupiditas, effætæque ſunt vires, vt corporis, ità & animi, ideò ab eis tam illud acre, quàm hoc deſultorium, abeſt.

Secundò, Iuuenes facilè, & vehementèr excandeſcunt; propterea quòd ſunt (6) *honoris auidi*, &, ob corporis vires, præſumunt ſe præſtare poſſe, quod ira ſuaſerit. At ſanes facilè quidem ſuccenſent, ſed

Lenit albeſcens animos capillus,

Ideòque ferunt, quæ iuuenes non tolerant, quia nimirum nôrunt, non eſſe ſibi adeò procliue alios vlciſci. Accedit, quòd naturæ frigus, calorem ex ira prouenientem celeriùs extinguit. Vnde eorum iræ, ſunt quidem acutæ, ſed citò diſſoluuntur; & propterea Ariſtoteles dixit *Senum iras acres eſſe, ſed imbecilles.*

Tertiò. Iuuenes ſunt magnanimi, & qui famâ magis commoueantur, quàm fame, quia neſciunt quid ſit egeſtas. At ſenes, tam alios, quàm etiam ſeipſos habent illiberaliter; vnde ex perſona vnius ex ipſis dictum eſt, *Rumorem parui facio, dum ſit rumen qui impleam.* Nouerunt enim quàm difficile pecuniæ acquirantur, & maximè in ætate ſenili; Timent ergo inopiam, ad quam ſi redigantur, effætis iam viribus, vitam tueri neutiquam poſſint. Hinc Venuſinus de ſenectute dicebat

Multa ſenectam circumueniunt incommoda, vel quòd
Quærit, & inuentis miſer abſtinet, & timet vti.
Vel quòd res omnes timide gelidèque miniſtrat
Dilator, ſpe longus, iners, auiduſque futuri.
Difficilis, querulus, laudator temporis acti.

Cuius rationem inueſtigantes quidam à quodam ſene *Quur inquam, quum minus ſupereſſet viæ, plus quæreret accumulare viatici?* Audierunt. *Malle ſe defunctum, opes vel inimicis relinquere, quàm viuum amicis indigere.*

Quartò. Iuuenes bonis ſunt moribus præditi, ſiquidem non habentes in ſe exempla earum perturbationum, quæ in improbis inualeſcunt, omnia in bonam interpretantur partem. At ſenes, cuncta in deteriorem partem accipiunt: quum enim multas

as experti fuerint deceptiones, ſuſpicioſi euaſerunt.

Quinto Iuuenes ſunt creduli, quia vulpinis aliorum dolis, non ſunt adhuc redditi cautiores. Senes verò ſunt (7) *verſipelles*, & *ingeniati ad fraudes*: vnde eos etiam, quos publicè vellicare non audent, tacitæ ſaltem cogitationis conuicio, verberare non ceſſant.

Sextò Iuuenes ſunt (8) *bonæ ſpei*, nec in maximis animum deſpondent, tum ob multum natiuum calorem, tum ob experientiæ defectum: nam quum numquam, aut raro ſpe exciderint, non vident, quur haſtam abijcere debeant: tum etiam ob ætatis priuilegium, quia multum temporis reſidui habere, ſibi perſuadent. At ſenes è contrà, facilè deſperant, tum quia naturalis calor eſt in eis refrigeratus, tum etiam quia à ſpe ſæpè exciderunt, tum denique quia exiguum. quid temporis ſibi relictum putant. Gaudent interim ſenes ea referre, quæ in ſua acciderunt iuuentute, & in loquendo modum tenere neſciunt. Vnde à quibuſdam, ſenex dicitur *garrulus, ac nugator*, & de quodam ſene dictum eſt.

Deficit auditor, non deficit ipſe loquendo.

O ſola fortes garrulitate ſenès.

Sed eſto ſit verum, ſenum nonnullos, longis ſuis logis, crucem audientibus figere, hoc tamen crimen eſt eis condonandum, ob virtutes, quibus hoc compenſant vitium, adeout indignus videatur, qui ad ſenilem pertingat ætatem, qui hanc innoxiam ſenum loquacitatem, perferre nequeat.

Septimò. Iuuenes ſunt verecundi, quia quum honeſtum, ac turpe per ſe dignoſcere nequeant, iudicium de eo ferunt ex prima inſtitutione, facta per legem, maximè naturalem, quæ honeſta tantum præcipit. At ſenes ſunt inuerecundi, ac impudentes, iuxta illud (9) *Heu heu ſenectus, vt impudentiâ plena*: nam quum omnia lucro metiantur, pudorem, ac honeſtatem pedibus conculcant.

Octauò. Iuuenes ſunt (10) *ſublimis animi*, ſeu (10) *magnanimi*. At ſenes ſunt timidi, vt ne tentare quidem aliquid audeant: nam frigus condenſando ſanguinem in venis ſenum, ingenium quoque in eis obtundit, & edocti multis malis, norûnt, quot periculis humana omnia ſint obnoxia: quæ in iunioribus minimè ſunt; quippe qui experientiam non habent, & calore abundant; Hinc ſenes etiam tuta omnia, anxiæ circumſpiciunt, & ni-

& nimio ſæpe timore præclara corrumpunt conſilia; Vnde, eſto ob longam rerum experientiam, iuuenum deſpiciant conſilia, aliquando tamen, magnos iuuenum auſus, præferre conuenit, plus ſatis accuratæ ſenum curæ.

Nonò. Iuuenes honeſtum præferunt vtili; in hoc, vt in pleriſque alijs, rectam ſequentes indolem, & ſalutaria multæ documenta ætatis: at ſenes è contra, pluris vtile faciunt, quàm honeſtum, quia nihil in vita charius habent ipſâ, cuius parum ſupereſſe ſibi cognoſcunt.

Decimò. Iuuenes ſunt (11) *amicis amici*, ſiquidem ſocietate gaudent, & amicitias ipſas, honeſtate potiùs, quàm vtilitate metiuntur. Senes verò, ex Biantis regula, ſic amant, vt oſuri, ſic oderunt, vt amaturi.

Vndecimò. Iuuenes ſæpè tranſgrediuntur illud Chilonis, (12) *Ne quid nimis*; ſemper ſiquidem peccant exceſſu, cuius argumentum eſt, quòd omnia vt certiſſima aſſeuerant: At ſenes peccant defectu, & quia ſæpe decepti fuerunt in eo, quòd cogitauerant, vt plurimum in ſermonibus addunt, (13) *Forſan*.

Duodecimò. Iuuenes ſunt (14) *vehementer proni ad iniuriam inferendam*, & potiùs cauſa contumeliæ, quàm malitiæ, infortunijs alios mactāt. Hinc dictum eſt (15) *Vinum nouum, ob iuuenilem ætatem, eſſe contumelioſum*, id verò fit cauſa contumeliæ, quòd fit ob voluptatem, quàm quis ex eo percipit, quòd (16) *videatur alijs præſtantior*: quomodo Alcibiades, non irâ, aut odio, ſed eo tantùm, quòd per luſum id ſtatuiſſet, Hipponico, viro, genere, & opibus præſtanti, in medio Athenarum foro, colaphum impegit. At ſenes ob malitiam potiùs, contumeliam inferunt.

Tertiodecimò. Iuuenes ſunt miſericordes, quia ex ſuo ingenio, de aliorum iudicant innocentia. At ſenes ideo ſunt miſericordes, quia infirmi, metuunt, ne ſibi quid ſimilis eueniat mali.

Quartodecimò. Iuuenes ſunt propenſi ad riſum, & dicacitatem, quia bona ætas, iuuentus, viget animo, ac corpore, ac voluptatibus fruitur. At ſenes facetias aſpernantur, vnde dicuntur eſſe (17) *difficiles, ac queruli*, nam ſemper contemni ſe putant, deſpici, ac illudi; in fragili autem corpore, omnis offenſio eſt odioſa: & ideo nequeunt eſſe (18) *iocorum ſtudioſi, ac faceti*, querulum enim, ac iocoſum contraria ſunt, ſicut & facetum, ac difficile; Mala enim ætas, ſenectus, voluptatum eſt

expers,

expers, effæta viribus, morbis obnoxia, & vt ætas mala, ita & merx eſt mala, cui accedit angor ille ex mortis cogitatione, quę à ſenibus longè abeſſe non poteſt. Adde quod ſunt quæruli, ac moroſi, propterea quod ſunt (19) *vitæ cupidi*; & quò morti ſunt viciniores, eò ſunt vitæ appetentiores, quia vehementiùs ea cupimus, quibus magis deſtituimur: in ſenectute autem, vita quaſi tota effluxit.

Quòd attinet ad (20) *ætatem virilem*, ea tàm ſenectutis, quàm iuuentutis, ſeu adoleſcentiæ mala, quibus interiacet, ac media eſt, moderatur; quapropter non ſunt in ea acres adeò affectuum, ac paſſionum ſtimuli, ſiquidem in ea ætate reſedit iam ſanguinis feruor, & ſenij algor nondum aduenit. Bona verò, quæ inter (21) *iuuentutem*, ac (22) *ſenectutem* diuiſa erant, in ætate virili ſunt coniuncta, & quæ in illis in exceſſu erant, vel defectu, in hac ſunt cum laudabili mediocritate. Vt, iuuentus honeſtum attendit, non verò vtile: ſenectus vtile ſequitur, honeſtum aſpernatur, ſtata ętas vtroque, tam ſcilicet vtili capitur, quàm honeſto. (23) *Iuuentus* fortis eſt, ſed intemperans, (24) *ſenectus* temperans quidem, ſed timida: (25) *virilis ætas* eſt fortis, ac ſobria. Iuuentus eſt nimis credula, ſenectus nimis ſuſpicioſa: ætas virilis pro rerum natura, aut confidit, aut diffidit. Et pariformiter de alijs earumdem ætatum moribus, dicendum eſt.

(1) παιδία (2) νεανικον (3) νεὸς (4) νεαρὸς (5) νεὸτας (6) φιλὸτημοι (7) ςρεψίμαλλοι (8) ἐυὲλπιδες (9) φεῦ φεῦ τὸ γῆρας ὥς ἀνανδείας πλὲον (10) μελαλὸψυχοι (11) φιλὸφιλοι (12) μηδὲν ἄγαν (13) τὰχα (14) μεγαλαδικητικοὶ (15) οῖνος υβριςὴς διὰ νεὸτητα (16) ἄλλων ὑπερὲχειν (17) ὀδυρτικοὶ καὶ φιλαἴτιοι (18) ευτρὰπελοι καὶ φιλογὲλοιοι (19) φιλὸζωοι (20) ἄχμην (21) νεὸτητα (22) γῆρατα (23) νεὸτης (24) γῆρας (25) ἄχμις.

CAPVT TERTIVM.

De moribus Fœminarum.

QVia Ariſtoteles, eis Rhetoricam ſcripſit, qui Remp. adminiſtrare debebant, ſiue iudicando, ſiue conſulendo, aut deliberando, fæminis autem indecens videbatur, Reip. curam gerere, maximè Democraticam, aut Ariſtocraticam, vt plerùmque erat apud Græcos, ideò fœminarum mores recenſere prætermiſit. At quia nos eis ſcribimus, qui, ſiue euangelizando. ſeu alitèr ſuadendo, etiam mulieribus verba facere debent, earum cognoſcere mores, operæ pretium fuerit.

Primò igitur, mulieres in deliberando, ac iudicando inualidæ ſunt, & quodammodo ſtupidæ. Immò, quò conſideratiores eſſe volunt, eò magis inſipientiores euadunt, & peiùs deliberant: quia, vt humidioris, ita obtuſioris ſunt ingenij, & ad excelſa minùs aſſurgentis. Cum hoc tamen ſtat, quòd conſilia, quæ primo quaſi motu ab eis inueniuntur, ſunt frequenter magis opportuna, vt videantur profecta ab authore naturæ Deo, qui non deficit in neceſſarijs, vel ab intelligentia non errante, cui etiam, brutorum opera illa adſcribuntur, quæ à conſilio, ac mente profecta videntur. Quod ſi fœminæ prius illud conſilium, diutiùs cogitatione verſent, nedum melius non inuenient, ſed, ob debilitatem iudicij earumdem, illud idem in peius commutabunt, ac corrumpent.

Secundò, mulieres ſunt iracundiores, & vindictæ appetentiores, quàm viri, iuxta illud, *Non eſt ira ſuper iram mulieris*, quod prouenit ab earum imbecillitate, ob quam etiam ſenes ſunt magis iracundi, quàm viri; ſiquidem quò quis eſt fortior, eò eſt animo magis generoſo, & ideo vt minùs iraſcitur, ita eſt ad clementiam procliuior. Adde quòd ob eandem ſuam imbecillitatem, ſunt iniurijs obnoxiæ, & ita facile excandeſcunt, exaſperantur, & iraſcuntur, quod non eſt in viris.

Tertiò, eſt in mulieribus appetitus vindictæ, qui tendit ad inferendum malum, quocumque poſſint modo, nempè, ſiue doloſè, ac proditoriè & per veneficia, ac incantationes, quibus mirum, quàm multæ ſint deditæ, maximè ob earum credulitatem; ſiue palam, ac manifeſtè etiam cum propriæ vitæ diſcrimine, frequentiùs tamen vindictam exercent verbis, per intentatas calumnias, ac imprecationes, vndè vulgò, malæ linguæ audiunt.

Quartò; mulieres præcipites ſunt in affectibus etiam irratio-

nabilibus, maximè odij, & amoris, iuxta illud, quod de ipſis circumfertur.

Fortem animam præſtant in rebus, quas turpiter audent.

Hos etiam affectus, vt facilè ſuſcipiunt, ita difficilè deponunt, immò tenacitèr ſeruant, quoadusquè fuerint exſaturatæ. Siquidem ob ingenij imbecillitatem, rationibus obluctantur: quapropter opiniones ſemel apprehenſas, obfirmatâ fouent pertinaciâ, nec demonſtrationibus in oppoſitum ſe flecti ſinunt.

Quintò, Mulieres ob formæ inſoleſcunt præſtantiam, ob quam ſe toto putant orbe celſiores, & illius meritò adoratione, cultuque dignas. Et quàmuis nulla propemodum ſit, cui ſua non adlubeat ſpecies, quælibet nihilominus, nouis artibus pulchrior videri laborat. Hinc muliebris mundus, & bina auribus patrimonia dependentia. Hinc veſtium luxus, calamiſtri, & venena, quibus ſeipſas inficientes, conficiunt. Norunt ſiquidem, formam ipſis armorum, & ingenij vice à natura tributam, ideoquè, vt viros robore, ac ſapientia, ita eas forma excellere, fore conueniens, ni contemptui expoſitæ eſſe velint.

Sextò, Mulieres ſunt plerumque viris fortunatiores: ſicut per oppoſitum, ſapientes ſunt minimè fortunati. Hic enim fortunæ mos eſt, vt cœca, cœcis ſeſe prenſandam facilè exhibeat. Quum ergo fœminæ ſint quodammodo cœcæ, ideſt minimè ingenio valentes, non mirum, ſi eis fortuna paſſim obuiam veniat: ſiquidem illud à fortuna venire dicitur, quod minimè fuerat præuiſum, ac intentum; quod illi euenire ſolet,

Qui paſſim ſequitur coruos, teſtaque, lutoque.

Et tales ſunt fæminæ; ideò eis à fortuna plurima dantur: ſecus autem viris, & maximè ſapientibus, qui ſciunt præuidere futura, & omnia diſponunt per conſilium.

CAPVT QVARTVM:

De moribus Nobilium, Diuitum, Potentum, ac fortunatorum.

NObiles nequaquam cenſendi, qui à Principe creantur. Poteſt quidem Princeps, nobilitatis conferre inſignia, nobilitatem conferre non poteſt. Neque enim ſi Rex, vel Imperator, Phalarico ingenio præditus, hominem flocci, ac nihili, cuius in patrandis ſceleribus miniſterio ſit vſus, nobilem cenſeri velit, ille continuò nobilis erit. Vera ſiquidem nobilitas, eſt nominis ſplen-

ſplendor cum laude coniunctus: quandoquidem nobilis à noſcendo dicitur, à noſcendo inquam, non per ſcelera, vel fraudes, ſed per virtutes, quæ laudem pariunt, in nobilibus requiſitam.

Eſt autem duplex nobilitas, aliqui enim fiunt nobiles, alij verò naſcuntur tales: Fit quis nobilis, vel eruditione præcellenti, quá longè latèque ſuum diffundit nomen, vt de Virgilio, Horatio, Liuio, ac alijs eſt in hiſtorijs; vel heroicâ virtute, quâ cæteros in ſui rapit admirationem, vt de Agathocle, Mario, ac Iacobo Attendulo, dicto Sfortia à Cotignola, qui Sfortiorum familiæ nomen dedit, & alijs ſcriptum eſt. Qui verò naſcuntur nobiles, vel ſunt tales antiquis diuitijs, eſto nec ipſi, nec eorum maiores præclari aliquid geſſerint: Vel quia eorum patres, factis, egregium ſibi nomen pepererunt: cuiuſmodi erant, qui ius ponendæ habebant imaginis, nempè qui magiſtratum geſſerant curulem. Et inter hos, aliqui ſunt nobiles tantum, qui videlicet è præclaris maioribus orti, eorum non imitantur virtutes: alij verò ſunt etiam generoſi, qui egregias maiorũ imitantur actiones.

Solent autem nobiles eſſe honoripetæ, ſeu honorum appetitores: cuius ratio eſſe poteſt, quia vnuſquiſque, bonis, quibus ornatus eſt, addere ſtudet: nobilibus autem, ob maiorum virtutes, honor debetur. Conſueuerunt etiam alios nobiles, præcipuè qui minùs antiquæ ſunt nobilitatis, aſpernari, quaſi hinc ipſi maiores habendi ſint, quòd eſt etiam in cauſa, quur erga alios ferociùs ſeſe habeant, quia videlicet exiſtimant, hinc ipſorum opinionem, ac nobilitatem pluris haberi.

Docent phyſiologi, nobiles, qui ſint vigilantis naturæ, filios ferè ſimiles gignere, quorum tamen poſteri, paulatim degenerant, quia naturæ vis deficit, vt nequeat in eodem ſemper tenore, ſumma illa energia conſeruari: quòd etiam alijs in rebus cernimus, vt in equabus, & plantis exoticis, quæ in alio à natali ſolo, paulatim viribus, ac bonitate deſtituuntur, vt ſæpius renouatione indigeant, quę præſtatur per aduectionem, ſiue nouarum equarum è ſolo natiuo, ſiue ſeminum, aut plantarum. Itaque dicunt, ex hominibus præcellentis ingenij, naſci plerumque inſanos, aut furioſos, quòd Ariſtoteles exemplificat in poſteritate Alcibiadis, ac maioris Dionyſij, quibus addere poſſumus Roboamum Salomonis filium, & filium Ciceronis, alioſque paſſim. Ex (1) *conſtantibus* etiam, ſeu *grauibus* viris, dicunt, agreſtes, ac contumaces, vel etiam inertes, ac ſtupidos liberos naſci, cuiuſmodi, vt plurimum ſapientum extiterunt

filij. Cuius rei cauſam aſſignant, quòd natura in generando deficiat, & reddatur veluti effœta: generando, verò pręſtantiſſimos, quaſi laſſatur, ac debilitatur natura, indeque degenerare oportet, & quaſi quieſcere. Quemadmodum, & in corporibus accidere, dicitur in aphoriſmis Hippocratis, quòd illæ periculoſiſſimæ ſunt complexiones, quæ ad ſummè bonum deuenerunt temperamentum: & idem hic accidere videtur.

Diuites ab ijs maximè rebus abhorrent, quę exiſtimationem lædere poſſint, hoc enim ex honeſta nacti ſunt inſtitutione, ex qua etiam, in eis minimum eſt intemperantiæ, vel iniuſtitiæ, immò in eis relucet ſtudium ſatis accuratum rerum honeſtarum. Vt è contra, in pauperibus plurimum eſt inſcitiæ, confuſionis, & improbitatis, quia ob pecuniarum penuriam, non potuerunt liberaliter educari, ac rectè inſtitui.

Non tamen deſunt ſua diuitibus vitia, & quidem talia, vt plures dicant, vt nominum, ita & rerum ſocietatem, ac cognationem eſſe, inter vitia, ac diuitias. Quapropter, & ipſe Pluto, apud Lucianum, recenſet vitia, quæ ipſum conſequuntur, dicens: *Poſtquam autem aliquis me primò eſt adeptus, clam vna mecum ingreditur faſtus, vecordia, iactantia, mollicies, contumelia, dolus, & alia id genus innumera*. Sunt igitur diuites paſſim (2) *contumelioſi*. Vnde refert idem Lucianus, interorum decretum in diuites, qui contumelioſè erga pauperes, ſe habuiſſent, quòd videlicet eorum animæ in terram remiſſæ, quinque, & viginti an orum millibus, in aſinis ſint, itaut vno mortuo in alium commigrent, & à pauperibus agaſonibus agitati, onera ferant: ſed leuia ſunt iſta; alia, & multò atrocior pæna, ſecundum Catholicam fidem, eos manet, quæ numquam finem nanciſcetur.

Sunt præterea diuites ſuperbi, nam ſibi videtur, quòd omnia poſſideant bona, ex eo quòd diuitias poſſident, quæ ſunt omnium rerum, & dignitatum precia, & ideo ſibi vendicant felicitatem, quâ cæteros deſpiciunt, & inſoleſcunt. Vlteriùs ſunt (3) *Salacones* (ſic dicti ex illo Salacone, qui quum pauper eſſet, diues videri affectabat, vt idem ſit eſſe Salaconem, ac iactatorem, ac glorioſulum) arrogantes, &, propter opes, cornua tollentes; ſiquidem *diuitijs parent omnia*. Nec non ſunt delicati, mollitèr, ac luxurioſè viuentes, quia

Humanas oblimat copia mentes.

Vnde, vt ſuam oſtentent felicitatem, deliciantur. Sunt etiam ad Salaconis inſtar, iactabundi, quia etſi anguſti, abiectique

ſit

ſit animi, diuitias mirari, diuitiarum tamen amatores, volunt inter homines nihil melius credi, quàm quòd ipſi credunt. Hinc Simonides, rogatus ab Hieronis coniuge, ſapientesne præſtarent, an diuites, reſpondit: *Diuites; ſiquidem ſemper in diuitum atrijs videas ſapientes, non etiam diuites præ foribus ſapientum*. Ariſtippus tamen, rogatus à Dionyſio de hac eadem quæſtione, quur ſcilicèt ſapientes præ diuitum foribus conſpicerentur; reſpondit, *quia ſciunt, quibus indigeant, quòd Diuites neſciunt*.

Quia verò in publicis muneribus, diuites pauperibus præponi ſolent, hinc diuites imperio ſeſe dignos putant, quia ſcilicet habent diuitias, ratione quarum autumant ſe dignos alijs dominari. Et ratio eſt, quia ſiniſtram, parere poteſt paupertas opinionem in magiſtratu; nec tamen minorem auaritia; & ideo, ſi diues ſit auarus, eſt maximè repellendus, & potiùs ille pauper eligendus, quia ſuâ contentus gaudeat paupertate, vt Phocio, Cato, Camillus, Quintus Cincinnatus, & alij. In ſumma ſubdit Ariſtoteles, mores diuitum eſſe, ſicut mores amentis ſimul ac felicis, ſed ait, eos eſſe maximè inſubidos, inſolentes, ac vitioſos, quibus (2) *recentes diuitiæ* acceſſerunt: fortunæ enim ſubitæ, ità homines inebriant, vt non ſint, qui priùs fuerant, maximè, quum (2) *recenter* diuites ſint (3) *ineruditi*, ac inſtitutione deſtituti, & propterea, nedum gaudent affluentiâ, ac laſciuiâ, ſed etiam tractandi modum ignorant. E contra verò, (4) *quibus diuitiæ antiquæ* ſunt, maiorum exemplo, ac inſtitutione, norunt modum eas tractandi, & ſunt affabiles, ac liberales, vbi (2) *nouiter ditati*, ſunt (5) *veloces, & auidi deuoratores*, nec vllis opibus expleri poſſunt, quinimmo ſemper in eis

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Potentes illi dicuntur, qui amicorum, clientum, ſociorum, affinium, vel ſeruorum multitudine, aut diuitiarum copiâ pollent, ſed magis propriè, qui magiſtratu fruuntur. Horum quidam, qui ſua enormia, turpiaque facta, (6) *bis tinctâ* purpurâ putant occultari, diuitibus ſunt peiores; exiſtimant enim omnia ſibi licere, quæ libuerint: credunt etiam, nullam, aut inopem eſſe potentiam, quæ iniuriam non irroget, ideoque in tenuioris ſortis hominibus ſunt contumelioſi: nec intra contumeliæ tantum ſeſe continent cancellos, mactant etiam infortunio, ac damno, vt meritò ille monuerit (7) *Ne ex aduerſo cum leone, hinnulus, carnium ſortiare portionem*. Eos etiam, quos præcedunt, bonis exuunt: ex quo homines, piſcium vitam viuere

dicti,

dicti, in quibus maiores minores deuorant, vt eſt apud Nonium, dicentem

Qui poti' plus vrget, piſceis vt ſæpe minutos
Magnu' comeſt', vt aues enecat accipiter.

Vnde in ſolis legibus eſt inferioribus præſidium aduerſùs illos. Et tamen Anacharſis, leges, aranearum telis comparabat, quę muſcas retinent, maiores autem aues, eas perrumpunt, & euadunt.

Habent nihilominùs ipſi etiam potentes, pleraque laudabilia: in primis, quòd non tam pecuniam appetant, quàm honores, ideoque conantur ſibi demereri alios, à quibus (8) *honorati*, Domini, ſalutentur. Præterea fortiores ſunt animo, & magis induſtrij. Tertiò, quòd in grauitate, ità virtutem colant, vt magis ad dignitatem reſpiciant; quamuis hoc non laudabile, ſed vituperabile ſit, & proprium atheorum. Sunt inſuper proclíues ad iniuriam inferendam, & potiùs in maximis, quàm in rebus leuioribus, ſiquidem (9) *Si iniuſtè agere oporteat, ob Regnum iniuſtè agatur, alijs in rebus colatur iuſtitia*. Vel, vt transfert Tullius (9) *Si violandum eſt ius, regnandi cauſa violandum eſt, alijs in rebus pietatem colas.*

Fortunati denique, vndecumque ſint tales, partim nobilibus ſunt meliores, partim deteriores. Sunt enim meliores, quia ſunt magis religioſi, credentes, fortunam, quâ aucti, ac ditati ſunt, à Deo ſibi obtigiſſe: niſi quòd illi, quibus eſt (10) *fortuna Domina*, quine dicunt

Te facimus fortuna Deam, Cæloque locamus,

athei, ac impij ſunt. Sunt verò deteriores, quia dulci fortunâ ebrij, ſunt magis inflati, impotentes, ac temerarij, & minùs rationabiles. Et hæc de moribus, ac tota inuentione, & primo Oratoriarum inſtitutionum libro, dicta ſufficiant.

(1) ςάσιμοις (2) ὑβρισαὶ (3) σαλάκωνες (4) ἐρύφεροι (5) νεόπλουτοι (6) απαίδευτοι (7) ἀρχαιόπλουτοι (8) γοργόνες ὀψοφάγος (9) δίβαφω (10) μὴ κατέναντι λεόντος νεβρὸς ἐὼν μοῖραν αἴρεο χρεών (11) τὴμοι (12) ἤπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ τυραννίδος πέρι κάλλιςον ἀδικεῖν τ᾽ἄλλα δ᾽ εὐσεβεῖν χρεών (13) τύχη τύραννος.

ORA-

ORATORIARVM INSTITVTIONVM

LIBER SECVNDVS.

De Diſpoſitione.

PRiori libro, de Inuentione actum, in qua Oratoris precipuè relucet ingenium, omnia perſcrutantis loca, indeque apta eruentis argumenta, ad ſubiectæ, propoſitæque rei fidem, ſeu confirmationem facientia: nunc de diſpoſitione videndum, vt *ſingula quæque locum teneant ſortita decenter*. Siquidem hæc vbi adeſt, res audiuntur lubentiùs, audita magis intelliguntur, intellecta diutiùs inhærent. Vbi verò abſit, fit monſtrum illud, quod in poëticæ artis initio, Horatius deſcribit.

Humano capiti, ceruicem pictor equinam;
Iungere ſi velit, &c.

Vel illud Chaos, de quo Naſo

Quaque erat & tellus, illic & pontus, & aër:

Aut illud Empedoclis. *Quoduis cuiuis* (1) *commixtum*. Hinc maximum inſcitiæ argumentum erit, res conturbare, ac confundere, ſeu eas in ordinem non digerere. Huiuſmodi autem diſpoſitio, duplex eſt, iuxta duplicem partium rationem, quæ ordinandæ

dæ veniunt; alia enim eſt verborum, quam propterea (2) *verborum diſpoſitionem* appellant, de qua in ſequenti agemus tractatu: alia rerum quam vocant *rerum*(3)*œconomiam* de qua nunc agemus.

(1) πᾶν ὂν πανὴ μεμίκτε (2) σύντεσιν τῶν ονοματῶν (3) τάξιν καὶ οἰκονομίαν.

TRACTATVS PRIMVS.

De Diſpoſitione Rerum.

PArtes orationis, quæ ordinandæ veniunt, quatuor eſſe dicuntur, videlicet Exordium, quod ponitur ante cauſam, ad auditorem præparandum, eumque reddendum beneuolum, docilem, & attentum; in quo præcipua debent eſſe argumenta morata, ducta, tàm à noſtris, quàm ab auditorum moribus. Secunda debet adeſſe Propoſitio, quæ explicet primariam orationis concluſionem, ſeu ſtatum cauſæ, ad quam firmandam argumenta, rationeſque adduci debent, quamuis non ſemper oporteat, quòd hæc propoſitio ſit pars diſtincta; Sufficit enim ſi proponatur in ipſo exordio, vel loco quocumque, dummodò omnino non deſit: alioquin nulla forent argumenta, quæ ad illam confirmandam, tantummodo ſunt ordinata. Tertia eſt Fides, ſeu Confirmatio, continens argumenta, quæ propoſitionem perſuadeant, nempè (4) *probantia*, ſiue illa (5) *artificialia* ſint, ſiue (6) *inartificialia*. Quodſi aliqua ab aduerſario dicta ſint, aut dici poſſe putentur, illa per Refutationem, aut Contentionem dilui debent. Quarta demum eſt Peroratio, ſeu Epilogus, continens argumenta (7) *affectiua*, ad mouendos, ac impellendos auditores, ad ea, quæ volumus perſuadere. Narratio verò, non ſemper eſt neceſſaria, maximè in genere Deliberatiuo, in quo agitur de re futura. Quòd autem alij addant etiam Diuiſionem, Digreſſionem, Conſtitutionem generalem, (8) *Expoſitionem prauiam, & Præparationem*, aut Præſtructionem, non vrget, nam nos quattuor illas dicimus neceſſarias omni orationi, niſi quandoque aliud prudentia diſtaperit Oratoris; hæ autem per accidens tantum aliquando adiunguntur.

Ordo

Ordo naturalis harum partium eſt, quum primò auditorem per exordium præparamus, deinde proponimus, aut narramus, hinc noſtris occupamur præſidijs confirmandis, confutandiſque contrarijs, denique concludimus, ac peroramus, quòd ille expreſſit qui ait.

Orſus, narro, ſeco, confirmo, refuto, peroro.

Voluntarius verò ordo, à iudicio, ac oratoris dependet prudentia, qui, attentis rei circumſtantijs, hunc naturalem inuertere ordinem poteſt. Quòd Cicero præſtitit pro Milone, qui videns, ſe operam luſurum in Milonis defenſione, qui fatebatur à ſe Clodium occiſum; prius quàm narret, aut confirmet, eorum confutat opinionem, qui credebant, eum defendi non poſſe, qui hominem à ſe occiſum fatebatur. Hinc Fabiùs Quintilianus dicebat *Amentis eſſe ſuperſtitionis, præcepta, contra quam cauſæ ratio velit, ſeruare*. Hinc ſigillatim de his partibus agemus.

(1) ἀποδεικτικα (2) ἐντεχνα (3) ἀτεχνα (4) παθητικαι (5) προεκθεσιν καὶ προκατασκευὴ.

CAPVT PRIMVM.

De exordio, ſeu Proëmio.

EXordij vox, à textoribus ſumpta videtur, qui propriè telas ordire dicuntur, quum eas texere velle incipiunt, vel ſuæ texturæ diſpoſitionem inchoant. Græcis dicitur (1) *proemium* ab (2) *amos* ſiue (3) *ami*, nempe via, ac ſemita, quia viam ad cæteram dictionem munit. Fabularum verò exordia, quibus tragici vtuntur, ac Comici, ſiue quicumque Dragmatici, (4) *Prologi* dici conſueuerunt, (5) *ab ante, & ſermo*, quaſi ſit ſermo ante ſermonem. Definitur autem exordium, quòd ſit (6) *Oratio præparans auditorem*, ſiue, quòd ſit, orationis initium, indicans orationis ſcopum, & auditoris animum ad reliquam præparans dictionem. Duo ſiquidem ſunt proëmiorum, ſiue exordiorum genera; vnum, quòd ab initio auditorem præparat ad totam orationem: alterum quòd, in media oratione, viam ad

ſequentia munit: quòd etiam eſt in epilogis, nam præter illam vniuerſæ orationis perorationem, ſingulæ quæque partes, ſuas habere debent concluſiones, ſuaque principia; Quòd ideo fit, quia, quemadmodum viatorem recreant, ac reficiunt, ſpatia, certis lapidibus, ac interuallis diſtincta, ita auditoris animus recreatur, admonitione ſingularum partium emenſarum.

Exordij munus eſt, reddere auditorem docilem, attentum, atque beneuolum. Quòd ſi ad hæc apertè quis connitatur, appellabitur Principium (7) *per excellentiam*, ſin verò ſubdolè, & circuitione quadam id tentet, dicetur Inſinuatio. Vt autem ſciamus, quando apertè Principio, quando verò ſit vtendum Inſinuatione, obſeruandum eſt, cauſam, de qua ſermo fieri poteſt, eſſe quadruplicem, nempe (8) *Honeſtam*, *Admirabilem*, *Dubiam, & Humilem*. Addunt nonnulli etiam (9) *obſcuram*. Verum cauſa non dicitur obſcura ab opinione hominum, ſed tantum propterea, quòd difficilitèr percipiatur: vnde obſcuritas, ad aliud diuiſionis genus pertinere videtur, de quo infra.

(10) *Honeſta*, ſeu, vt loquitur Auguſtinus, (11) *beneglorioſa* cauſa, tunc eſt, quando auditoris animus illico ei fauet, nam de ſe optimam præfert opinionem, vt ſi quis optimè meritorum celebret laudes, (12) *Admirabilis*, cui, ſicut & (13) *honeſtæ*, ſubijciunt accuſationem, ac defenſionem, laudationem, & vituperationem, ſuaſionem, & diſſuaſionem) vel circa perſonam verſatur, vel circa rem: perſona, obiectum orationis admirabilis erit, ſi quis (14) *Buſirim hoſpitum occiſorem*, laudare velit: res verò obijcitur, quum quis moriam, aut febrim, vel podagram laudet: iuſtitiam verò, aut aliam vituperet virtutem. Vnde fit, vt cauſæ admirabili ſubijcienda ſit etiam cauſa (12) *turpis*.

Cauſa verò tunc erit (17) *anceps*, ſeu (18) *dubia*, quando partim honeſtatem, partim habebit turpitudinem ſine iniuſtitiam, vt videtur in facto Oreſtis, quem aliqui (18) *matricidam*, alij verò (19) *patris vltorem* dicebant: idem de Iephte, propriam ſacrificãte filiam, dici poteſt: magis tamen dubia eſt cauſa illius qui iniuriam irrogat, vt multa iuſtè efficere poſſit, vt refert Ariſtoteles, feciſſe Iaſonem Theſſalum, qui vi pecunias extorquebat, quòd excuſabat ex eo, quòd oporteret, ſe ius in aliquibus violare, vt multa deinceps iuſtè agere valeret, Contra quòd in Euangelica lege habemus, *Non ſunt facienda mala, vt veniant bona*.

Igitur

Igitur exordiorum munus eſt, captare beneuolentiam, docilitatem, atque attentionem; ſed quando cauſa ipſa eſt honeſta, dedecet eſſe ſollicitum, vel multa expendere verba pro captanda beneuolentia, ſiquidem ipſa cauſæ honeſtas, per ſe auditoris beneuolentiam conciliat. Vnde in hoc genere cauſæ, tunc tantum beneuolentiam aucupare conuenit, quum, vel auditor fuerit iam ab aduerſario perſuaſus, qui ante nos dixit, vel audiendo fuerit defeſſus. Sed, quum cauſa eſt minùs fauorabilis, nimirum turpis, vel humilis, aut etiam anceps, tunc omnino præparandus eſt auditor, & captanda eius beneuolentia, vt aures orationi accommodet.

Paratur autem beneuolentia, tam à perſona, quàm à re. A perſona inquam, ſiue (18) *Oratoris dicentis*, ſiue iudicis, ſiue aduerſarij. Dicens enim eſt ipſe Orator, vel eius cliens, ſiquidem Orator, clientis perſonam ſuſtinet, & eius nomine loquitur; A dicentis ergo perſona beneuolentiam comparamus, extenuatione virium, ingenij, ac eloquentiæ, quo auditores minùs ſibi caueant, nec putent nos ſibi fucos facere poſſe, apparatu, ac facundiâ orationis: vel commendatione virtutis, ac meritorum ſiue noſtrorum, ſiue noſtri Clientis, in Remp., vel in accuſatorem, aut etiam (hoc tamen parcè) in auditores, ſeu Iudicem, Vel poſſumus eam comparare, noſtra recenſendo infortunia, quò auditores ad miſericordiam, & inde ad beneuolentiam moueantur.

A perſona auditoris beneuolentiam captabimus, commemorando fidem, exiſtimationem, ſinceritatem, ac dignitatem ipſius; ſed maximè ſapientiam, ac iuſtitiam: quarum illa eſt in intellectu, & præſtat, vt ſciat quis, quid æquum ſit, aut iniquum: hæc verò in voluntate, & efficit, vt agamus quòd æquum eſſe cognouimus, iniquum verò auerſemur.

A perſona etiam aduerſarij, expedit nonnumquam beneuolentiam aucupari, vel fingendo nos timere eloquentiam patroni aduerſarij, ſiue eiuſdem gratiam, aut potentiam: hoc enim reddit eamdem patroni gratiam, vel potentiam, aut eloquentiam ſuſpectam iudicibus, qui propterea ab illa ſibi cauere debeant, Vel in odium adducendo ipſam aduerſarij perſonam, commemoratione vitiorum, quibus laborat, aut potentiæ quâ turget: quum è contra, Reo nullæ ſint opes, aut vires: Vel etiam adducendo ipſum in contemptum, ceu humilem, abiectumque,

cumque, & qui nihilominùs, cum dignioribus contendere velit.

A re denique captabitur beneuolentia, ſi noſtram extollamus cauſam, eius prædicando honeſtatem, ac iuſtitiam, vel etiam vtilitatem: aduerſarij verò deprimamus, oſtendendo eam fœdam, aut iniquam, aut pernicioſam: Vel ſi noſtram cauſam, auditoribus emolumento futuram, aſſeramus. Et eſt hîc (19) *vniuerſale* præceptum, vt ſi cauſa laboret, ei opituletur perſonæ: ſin perſona, ei cauſa ſubueniat. Quòd ſi perſona malè audiat, & cauſa ſit turpis, quærimus id, quòd lędat aduerſarium: Quòd ſi etiam aduerſarius ſit vir bonus, nec in eius vita ſit quòd culpemus, in eius ſaltem ſtudijs, inuenire conabimur, quòd reprehendamus, vt inde ad captandam beneuolentiam exordiri valeamus, vt Cicero pro Murena fecit, inſectando Stoicos, quibus addictus erat Cato aduerſarius.

Incumbit etiam Oratori, auditorem attentum reddere, quòd Herennianus magiſter fieri docet, tum promiſſione, ſi recipiamus nos dicturos de rebus grauibus, & neceſſarijs, aut ſaltem vtilibus auditoribus: vel admirabilibus, aut iucundis: Tum rogatione, ſi petamus, vt exiguo temporis ſpatio, attento, intentoque animo, ac perpurgatis auribus, opera nobis detur. Nec huiuſmodi attentio, in exordijs tantum eſt captanda, verum etiam in qualibet orationis parte, quum oſcitantem aduertimus auditorem: ad quam maximè iuuat promiſſio breuitatis, & ſpecialiter quum cauſæ genus eſt turpe, humile, aut etiam anceps, vel quum iudex eſt audiendo defatigatus, ac laſſus, quando expedit à lepida aliqua exordiri fabella, quòd Demoſthenes fecit, qui cernens auditores iam ad aduerſarijs penè perſuaſos, ſilentium ſibi fore imperaturos, eos rogauit, vt liceret ſibi aliquid extra cauſam dicere: quo impetrato, inquit *Adoleſcens quidam, æſtiuo tempore, Delphos, aut Megaram profecturus, aſinum conduxit. Circa maridiem autem, quum nulla præberetur alia vmbra, quâ ſolis leuarent ardorem, adoleſcens ille, & agaſo, ſub aſini vmbra recumbere voluerunt: At agaſo, aſinum ſe locaſſe, non aſini vmbram dicebat: adoleſcens verò, vmbram quoque inter aſini opera conductam eſſe affirmabat.* Hac narratione, cernens iudices lætos, & riſu pæne enectos, profectionem parabat. Illi verò eum detinebant, rogantes, vt reliquam fabulæ narraret partem. Quibus ille: *Itane, de aſini vmbra audire vultis, de rebus graui-*

grauibus, ac ſerijs, audire non vultis Et hinc factum prouerbium: (1) *Aſini vmbra.* Quòd ſi cauſæ genus moleſtum non ſit, nec auditores defatigati, non admodum oportet à principio eſſe ſollicitos de attentione paranda, ſiquidem tunc auditor eſt de ſe alacer, & attentus: Paranda tamen erit in Orationis progreſſu, ne tunc perforato audiat animo, & omnia, quæ acceperit tranſmittente.

Accidit tamen nonnumquam, vt expediat auditorem reddere non attentum, eiuſque, animum auocare ab ijs, quæ dicimus, quum videlicet aduerſarius dixerit aliquid in oppoſitum, cuius efficacem, refutationem promptam, non habeamus: ad hanc Orationis partem, præſtat auditores minùs attentos habere, vt putent hanc nos quoque partem, non minùs ac reliquas, efficaciter confutaſſe, quàmuis reuerà non ita fuerit.

Quòd ad parandam docilitatem attinet, in primis dicimus, hanc naturaliter conſequi attentionem, ac beneuolentiam, quò enim maiori beneuolentiâ, ac attentione audimus, eò faciliùs intelligimus. Vnde ſi attentionem parauerimus, ac beneuolentiam, de docilitate parum ſupererit curæ. Specialiter tamen ad docilitatem promouebimus, afferendo ſcopum orationis, nempe proponendo primariam orationis quæſtionem, ſeu controuerſiæ ſtatum, ad quam argumenta collimare debent. Iuuat etiam intelligentiam, ſi clarè afferantur (21) *rami* propoſiti thematis, quod dicitur (22) *exordium ramoſum;* & fit diuiſione propoſitionis; qui rami, ſeu partes thematis, non debent eſſe plures quàm quatuor, alioquin multitudine confuſionem gignerent, docilitati oppoſitam: nec pauciores quàm tres, quæ eſt optima diuiſio, vel ſaltem duo.

Partes etiam exordij, quattuor eſſe feruntur, nempe (23) *propoſitio, ratio propoſitionis, redditio*, quæ eſt quaſi noua propoſitio, tangens rem, & omnem exordij (24) *dignitatem* continens, & ratio ipſius redditionis. Vt (25) propoſitio ſit. *Non te latet, quantis ab hoſtibus calamitatibus affligamur.* Ratio (26) propoſitionis erit: *Sunt enim tantæ, vt perſpicuum ſit, earum rumorem in omnes iam diffuſum eſſe regiones.* (27) *Redditio* verò erit, *Iuſtitiæ autem, ac ſapientiæ tuæ erit, eorum gerere curam, quibuſcum fœdus iniſti.* Baſis tandem, ſeu fundamentum ipſius, erit: *Si enim nos ſubegerint, difficile tibi fuerit, ſoli, eorum poſtea impetum ſuſtinere.*

Sumuntur autem exordia, maximè (28) *ab opinione,* (29) *à ſubdi-*

ſubdiuiſione, (30) *ex abundanti*, (31) *& ab occaſione*. *Ab opinione* inquam, ſiue auditoris, ſiue oratoris, ſiue rei, aut aduerſarij, ſiue aliarum perſonarum, ſiue ſociorum, ſiue amicorum, ſiue hoſtium: vbi ſpectandum, quid huiuſmodi perſonæ expetant: vt ſi dicamus, dolere ſocios ob diſſidium, inimicos gaudere. A ſubdiuiſione, vt ſi dicam, Quum iſte vniuerſam ob vitam laudem meruerit, maximam tamen ob res hodierno die geſtas. Ex abundanti erit, tum ſi affirmemus, poſſe nos dicere de re maiori, contentos tamen eſſe de minori, ne inuidiâ, aut propinquitate adducti, ad dicendum acceſſiſſe videamur. Tum ſi dicamus, nobis aliquid nec opinantibus obtigiſſe, vt Quum ſperarim ſemper fore vt hic præmio à vobis ornaretur, nunc miſeriæ eius teſtis, & defenſor apud vos eſſe cogor. Ab occaſione eſt, quum id, quod in redditione petere volebamus, perſuaſum videmus, vt, Quum animis veſtris præclara inſita ſit opinio de huius viri meritis, ac virtutibus, haud longo mihi ſermone opus fore arbitror: Quæ exordia, ob ſimplicitatem, quia non videntur affectata, conſueuerunt eſſe gratiora; Huiuſmodi enim ſermo, videtur non præmeditatus, ſed è re natus.

Monet Ariſtoteles, exordia generis Demonſtratiui, *ſumi poſſe* à laudatione, vel vituperatione, à ſuaſione, vel diſſuaſione, & etiam ab ijs, quæ pertinent ad oratorem, ad quem pertinere poteſt imbecillitas ingenij, cauſæ humilitas, vel cultus neglectus. Sic etiam, ſi rogemus, ne aures nobis denegare velint, etiamſi admirabile, (32) aut incredibile videatur, quod dicere pollicemur.

In genere verò iuridiciali, loci exordiorum ſunt illi, quibus quaſi (33) *medicamentis*, auditorum animus præparatur; Huiuſmodi verò *medicamenta*, ſumi poſſunt à perſona, ſiue Rei, ſiue Actoris, ſiue Iudicis, & à reipſa. Reus, & Actor obijciunt, aut diluunt crimen. Qui diluit, inſinuare, ſe debet auditorum animis: idcoque priùs diluit obiecta in ipſo exordio. Qui verò accuſat, in peroratione maximè recenſet crimina, quò illa, recenti adhuc memoriâ, animis impreſſa obuerſentur. Reus igitur in exordio, calumnias, in peroratione ab accuſatore impoſitas, depellere debet, vt ita Iudicem ad audiendum fauorabilem reddat. Id autem faciet, aut negando factum, aut nomen mutando, aut extenuando, aut iuſtè factum defendendo. Vt ſi factum negari non poſſit, dicatur ex eo nullum præiudicium, aut damnum ſequutum, vel ſaltem non illi, qui accuſat, vel quòd non

adeo

adeo nocuerit: Vel, quòd iuſtè damnum intulerit, in recompenſationem alterius prius accepti: Vel denique quòd non fuerit turpe factum.

Diluitur etiam, ſiue extenuatur crimen, quum aſſeritur factum ignoranter, aut per errorem, ſiue fortuitò, aut per neceſſitatem: Vel ſi dicas te feciſſe, ſed non animo nocendi, ſiue iniuriam irrogandi: vt ſi dicas, Verberaui, emendandi cauſa, non contumeliandi animo. Vlteriùs diluitur crimen, ſi dicatur illud idem eſſe, aut fuiſſe in accuſatore, aut ſuorum aliquo; ſiquidem ſi in eo eſt, iniuſtum cenſeri non debet, alioquin quomodo iniuſtitiam ipſe commiſit, quam, accuſando, odio ſe habere profitetur? Et ſi alios, quos aduerſarius reos eſſe non vult, in eodem fuerint crimine, nec ipſe reus culpabilis, aut criminoſus erit.

Diluitur etiam opponendo caſumniam, quòd ſcilicet accuſans falsò crimen impingat: quod probabit, oſtendendo, quòd ab alio, falſi fuerit aliquando delatus, aut, quòd alium falsò criminauerit: aut quòd aduerſarius complex delicti fuerit; vel, quòd ipſe Reus, de eodem delicto apud competentem Iudicem cauſam aliàs dixerit: aut quòd accuſator aliàs alios accuſauerit, & demum ipſemet cognouerit falſam fuiſſe accuſationem.

Locus communis tam accuſanti quam diluenti, eſt, adferre ſigna; vt, Vlyſſes Teucrum accuſabat, quòd Priamo coniunctus eſſet, quum Heſione Teucri diceretur ſoror, quæ Priami foret filia, & ita Teucer Priami foret ſaltem priuignus. At Teucer inimicitiæ cum Priamo ſigna adfert, quòd filius foret Telamonis, Priami inimici, vnde Græcorum exploratores defendit, quod amicus non feciſſet. Commune etiam eſt, vt quoniam contingit idem multorum gratia fieri, accuſans accipiat finem prauum, defendens interpretetur optimum. Vt, quòd Ionathas cum ſolo armigero in caſtra proceſſerit inimicorum, quòd fecerit, vel, quia eum fortem ſciret eſſe virum, & ita defendit: vel, vt ne gloriæ participem haberet, ſi concertatorem ſecum habuiſſet, & ita eum aſſerens imbellem, Ionatham temeritatis accuſabit.

Locus pro accuſatore erit, ſi parum laudet, vt enormia impingat crimina, vt ſi luculentas amplaſque dotes, ſtrictim; minutas verò ampliter extollat: ſiquidem grandia, paucis commemorata, haud admodum hærent animo: exigua verò, fusè tractata, deridicula videntur, aut affectata. Sic præſtitit ille, qui interro-

interrogatus de amici furtis, non iuit inficias, nec aliquo purgauit colore, ſed, vt certiùs venenatum figeret aculeum, primò amici extulit comitatem, quæ nihil ad furtum, tunc virulentum exerit ſpiculum, aſſerens mirari ſe, quòd tale commiſerit crimen.

Ab auditore locus eſt, quòd is debet reddi beneuolus, vel attentus, aut iratus, quod, quomodo fiat, iam dictum eſt: docilis etiam, exprimendo bonos mores; probi ſiquidem, & audiuntur libentiùs, & clariùs intelliguntur.

In genere tandem Deliberatiuo, exordium ſumitur ex parte Rei, vel etiam oratoris, aut patroni, à criminis depulſione: ex parte verò accuſatoris à criminatione, & amplificatione rei, ſi eam magnam haberi velimus, aut ſi eam paruipendendam ſuadeamus, ab eius diminutione: Vel ab ornatu, &c.

Eccleſiaſtæ verò ſpecialiores quoſdam habent exordiorum locos; Hi namque exordiri nonnumquam poſſunt ab aliquo themate, dummodo tale ſit, quod argumenti, de quo dicturi ſumus, ſummam breuiter complectatur. Vt, ſi à temeritate iurandi dehortari velimus, commodum erit thema illud Euangelij. *Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non:* ad hoc enim tota collimat diſputatio, vt inter Chriſtianos tanta ſit fides, ac ſimplicitas, vt nuſquam iureiurando ſit opus.

Cauendum tamen, ne huiuſmodi ſententiæ ſint alienæ ab inſtituto, & contrà ſenſum detortæ, vt faceret, qui hortaturus ad cautionem, illud vſurparet. *Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus:* hic enim locus, non prudentiam commendat, ſed ſobrietatem, luxumque damnat, ac crapulam, cui comes eſt ſomnolentia, auocans ab oratione. Sic, ſi Bartholomæi laudes dicturus, præmittat illud pſalmi. *Turbabuntur pelles terræ Madian,* nam ibi non eſt ſermo de humana cute, ſed de mapalibus, tentorijs, aut papilionibus.

Huiuſmodi verò themata, optimè proponentur cum laude vt. Summus illæ Eccleſiæ doctor, ac Magiſter Paulus, immò non Paulus, ſed per eius os Spiritus Sanctus, facilem, & compendiariam viam nobis, ad æternam oſtendit felicitatem pergendi, &c. Vel: Quicumque peccatis grauati, vel afflictionibus attriti, mœrentis, non hominem, ſed Deum audite conſolatorem, amabili voce clamantem. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.*

Ab hiſtoria exordiri non erit incongruum, vt ſi quis hypocriſim

criſim damnaturus, præloquatur; quòd Magi Pharaonis, præſtigijs imitabantur, quæ Dominus per Moyſem, & Aaronem verè faciebat. Verùm, poterant quidem virgarum præſtigijs terrorem incutere, at eumdem adimere nullatenùs valebant. Quæ rerum olim geſtarum imago, depingit nobis naturam (34) *hypocriſis*, quæ externâ ſpecie, veluti præſtigio, veram imitatur pietatem, orat prolixè, veſtit ſordidè, ieiunijs pallet: ſed animorum vitia non depellit, nec Deum placat iratum, quòd ſola vera pietas præſtat. Simile fuerit, ſi quis admoniturus, vt illicò tentationem illicientem ad peccatum, excutiamus, ante dicat, quomodo Paulus viperam, quæ ſarmentis prorepens, ipſius manum mordicùs corripuerat, protinùs in ignem excuſſerit; & ita, eâ extinctâ, incolumis ipſe remanſerit; viperam autem ſtatim in ignem excutere, eſt, lethalem cogitationem, vt animæ peſtem, ſtatim execrari, ac gehennâ ducere dignam, &c.

A parabolis etiam, & animantium, ſiue inanimatorum naturis exordium duci poteſt, vt ſi in hominum ingratitudinem dicturus, præmoneat quis, quòd Plinius narrat: Quidam, draconem habuit in delicijs, verum vbi iam in immanem excreuiſſet magnitudinem, exhorruit alumnum, ac in ſyluam depoſuit. Euenit multò poſt, vt per eam ſyluam iter facturus, cinctus ſit à latronibus: expectabat mortem, &, quod vnum potuit, exclamauit: ad agnitam nutricij vocem, accurrit draco, latrones, metu territi, diffugere. Sic belluæ beneficio ſeruatus eſt homo. Vel illud de leone, è cuius pede ſpinam quis exemerat, qui remunerationis gratiâ, in deſerto paſtus eſt ab illo, quem medicauerat, & ad beſtias damnatus, ſeruatus eſt ab eodem, ex quo etiam, libertatem adeptus, quia delectabat gratitudinis in bellua exemplum. Quo turpior eſt hominis, in hominem benemeritum ingratitudo. In fera, naturam tantillum vicit beneficium, homo præter naturam ingratus eſt homini, multis, magniſque nominibus benemerito. Parum eſt pro benefactis nullam referre gratiam, pro ſumma beneuolentia reponit odium, pro meritis, iniuriam. Quod exemplorum genus ab animantibus brutis, mitigari poteſt, ſi dicamus, non eſſe alienum à ſcripturis, ab iſtis exemplum ducere, quum Salomon ad formicam nos mittat, vt ab ea diſcamus prudentiam, & ipſe in Euangelio Dominus, reuocet diſcipulos ad exemplum paſſerum, liliorum, & grani ſinapis. Et hic obſerua, exempla ab imparibus ſumpta, ſ

maiorem habere energiam, vt exemplum pudicitiæ, à iuuene translatum ad ſenem, fortitudinis à muliere ad virum, fidei coniugalis, ab Ethnicis ad Chriſtianos, & magis translata à brutis ad homines.

A ſimilitudine etiam exordiuntur Eccleſiaſtæ: vt, admonituri, ne in aduerſis deſpondeamus animum, neue inſoleſcamus in proſperis, dicere licebit. Periti naucleri, quum ventis, ac æſtu deſtituuntur, quicquid habent velorum, ad paululum captandum auræ, deflectunt, ac explicant, remos adhibent, & obliquo curſu, quantum licet, promouere tentant. At, quum vento feruntur nimium ſecundo, vela contrahunt, ne, ſi nauem in ſua deſierint habere poteſtate, ea vel demergatur, vel in ſyrtes, rupes, aut voragines abripiatur: intelligunt ſiquidem, plus eſſe periculi à tempeſtate vehementer ſecunda, quàm ab aduerſa; Multò magis decet nos hanc adhibere prudentiam, qui in hoc procelloſo ſeculo nauigamus, longè maiori cum periculo quàm qui Hadriæ, aut Ægæi fluctus ſulcant. Vbi campus ſeſe aperit comparandi vtriuſque nauigationis diſcrimina. Vel ſi adhortaturi ad pœnitentiam, dicant. Quoties corpus grauiter vulneratum, aut periculoſo morbo tenetur, quantâ ſollicitudine, etiam è longinquo, ſi propè non adſint, peritos chirurgos, ac medicos accerſimus, nihil deterriti ſumptu, quando de vita periculum eſt. At ſi reputemus, quantò formidabiliores ſint morbi, vulneraque animorum, quam corporum, quantòque mors æterna horribilior ſit morte carnis, nonnè magnæ dementiæ ſit ibi medicum accerſere precio precibuſque, corpus ad vſturam ſectionemque præbere, amara deuorare pharmaca ſpe ſanitatis, quæ an contingat, incertum eſt (neque enim rarò accidit vt medicorum pharmaca, pro ſperata ſanitate, mortem adferant, aut certè morbum exaſperent: & animæ tot læthalibus vulneribus ſauciæ tot capitalibus morbis ægrotæ, nullam querere medicinam, ſed, quòd eſt infeliciùs, vltrò, & gratis oblatam reſpuere. An medici potio, febrim depulſura ſit, incertum eſt, at eſt certo certiùs, per veram pœnitentiam tolli peccata, quæ ſunt animarum vulnera, morbique, ne dicam mortes. Homini ſanitatem temporariam pollicenti, nos totos committimus, Deo medicinam offerenti, quæ æternam pollicetur ſalutem, diffidimus: quiſquis enim criminum ſibi conſcius, non amplectitur pœnitentiam, aut Deo diffidit, aut propriæ ſalutis hoſtis, ac proditor eſſe conuincitur.

Deus

Deus clamat. *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat.* Auſcultamus homini vel ignoto, & ad Dei vocem ſurdi ſumus.

Par ferè ratio exordiendi à ſententia. Vt ſi exhortaturus ad ſtudium benemerendi de omnibus etiam inimicis, dicas. Deus naturâ candidus, ac benignus eſt, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*. Contra, diabolus ſuapte voluntate inuidus, ac maleficus, qui & pios ſollicitat ad impietatem, & impios pertrahit in gehennam. Chriſtiani autem omnes filij Dei ſunt, iuxta illud: *Ego dixi Dij eſtis, & filij Excelſi omnes*, maxime quum quotidie dicant, *Pater noſter, qui es in Cœlis*. Quòd ſi verè filij Dei ſumus, imitemur patrem noſtrum, beneficium in dignos pariter, & indignos, potiùs, quàm illum impiorum parentem, quem in baptiſmo fuimus execrati, quique nedum gratis, ſed ſuo etiam malo, ſtudet omnibus mala accerſire.

Quòd ſi materia ſit læta, vt in ſolemnijs de Chriſti Reſurrectione, aut Aſſumptione Virginis, vel ſimilibus feſtis, dicemus. Quemadmodum Imperatores, militibus ſuis, quò faciliùs caſtrenſes ferant labores, ferias interdum quaſdam ac ludos concedunt, ad relaxandos animos, præſertim re bene geſtâ. Ità Deus, ſuos milites frequenter exhilarare dignatur feſtis diebus, triſtia lætis temperans, vt poſſint ſuſtinere. Sed oportet plurimum intereſſe inter lætitiam, mundo, & Chriſto militantium; illorum lætitia, quoniam luxu conſtat, ac temulantiâ, frequenter exit in rixas, ac pugnas, &, vt horum nihil accidat, non rarò fit, vt vnius diei hilaritas, multorum adferat dierum cruciatum, morbo è crapula contracto. Chriſtianorum feſta ſobriam, ac pudicam habent lætitiam: tripudiatur enim in eis ſpiritualibus gaudijs, ducunturque choreæ, non ad aulædi tibias, ſed ad Sancti Spiritus afflatum: pſallitur Domino in cordibus, pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus. Hæc demum vera hilaritas, ac Chriſtianis digna, quæ in multos etiam dies exhilarat conſcientias, nec ad medicos, ſed ad obeunda pietatis opera remittit alacriores. Conuenit enim, vt in die quam fecit Dominus, exultemus, & epulemur, ſed in Domino; Nec decet, vt ex die, quàm fecit Dominus, faciamus diem Sathanæ.

Quòd ſi materia fuerit triſtis, dicemus; Optandum eſſe, atque ſtudendum, vt nullus medicorum egeat pharmacis, verum vbi morbus vrgeat, grata debent eſſe remedia, quæ, tametſi

dulcia non ſunt, ſiut tamen ſalutaria. Beati qui nil commiſere pœnitendum, ſed qui gerunt conſcientiam capitalibus morbis æſtuantem, multa cum alacritate debent amplecti pœnitentiæ remedium: tam leue eſt, tam efficax illud, quòd etiam ſi ad tempus contriſtet hominem, triſtitia hæc mortem non adferat, vt ſeculi triſtitia, ſed ſalutem ſtabilem operetur &c.

Obſeruandum tamen, exordium non eſſe ſemper neceſſarium; nam quando cauſa eſt honeſta, cui auditor de ſe fauet, & eſt etiam clara, & perſpicua, ſuperuacaneum videtur de exordio admodum eſſe ſollicitum. Vnde tunc ſatis erit, breui commendatiuncula proponere id quòd dicere intendimus, vt, expoſiturus, Exempli cauſa, aliquem pſalmum, dicam; Adfero ad vos theſaurum, ſpecie exiguum, precio magnum: pſalmum inquam adfero; breuem, ſi verba numerentur, at Cœleſtis doctrinæ copiâ fœcundum; quam, vt digné vobis exponere poſſim, veſtris me precibus adiuuate, & implorate mihi illius adiutorium Spiritus, qui ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei. Ille loquutus eſt hæc myſteria per os Dauid prophetæ, ille me et ad veſtram vtilitatem, ſua per me arcana reſerare dignetur.

At ſi argumentum, & cauſa prohemium exigat, vtemur regulis ſupra poſitis. Tunc autem neceſſariò exigitur exordium, quum vel aliquod abſurdum continere videtur, vt quòd Abraham filium voluerit immolare, quòd Iacob ſocerum, variatis deceperit virgis &c. Vel moleſtam obſcuritatem, vt ſunt multæ prophetiæ Danielis, Ezechielis, Apocalypſis &c. Vel tædioſam narrationem, vt ſunt altiùs repetitæ genealogiæ. Tunc enim oportet vti exordio, vt dicendo. Hanc eſſe conſuetudinem ſcripturarum, vt ſæpe ſub vili operimento, adoranda claudant myſteria: Diuerſam eſſe humanorum, ac Diuinorum naturam voluminum: illa prima fronte præclarum quiddam præſeferunt: at ſi introſpicias, fit ſæpe vt, cordatus lector clamitet, carbones pro theſauro ſe inueniſſe: hæc contra, contemptibili ſub ſpecie, Diuinam celant ſapientiam, vt quò altiùs penetres, hoc magis, ac magis obſtupeſcas, modo quis ad ſpiritualem ſcripturam, ſpirituales adferat oculos, Nec hoc temeré factum, decuit hoc Diuinam ſapientiam, vt á prophanis oculis cælaret myſteria, tantum irridenda, & pijs daretur aditus ad recondita. Sic ipſe Dei filius venit in mundum, córporis inuolucro diuina diſſimulans impijs naturam: & populo loquutus eſt in parabolis, quarum

tum myſticum ſenſum, non grauabatur Apoſtolis ſeorſum exponere. Interdum, ſpiritus ille Diuinus, quædam admiſcet abſurda, minimèque iuxtà litteram coherentia, quò noſtrum, ab hiſtorico ſenſu, depellat ingenium, cogatque in illis verbis aliquid abſconditum quærere. Quòd ſi non piget nos montes perfodere, vt in putri terra aurum reperiamus, vel argentum: multò minùs pigere nos debet, tædij aliquid deuorare in litteræ ſuperficie, vt ad theſauros veniamus, auro, & argento multò prætioſiores. Nec oportet Hebraica nomina, quamuis non intellecta, cum tædio audire, quum in Canonicis ſcripturis, ne apex quidem vnus ſit temerè poſitus: ſed quemadmodum rerum ſacrarum thecas veneramur, eſto ignoremus, quid intùs contineatur, modò perſuaſum habeamus ſacrum eſſe quod occultatur: ita decet ea nomina, quorum ad liquidum myſteria omnia explicare non poſſumus, cum reuerentia audire, vel recitare: nec ea religio ſuo carebit fructu. Nam ſi ad magorum voces, ab ipſis, non intellectas, adſunt impij ſpiritûs, ac prodigioſa quædam efficiunt; quantò magis credendum eſt, bonos ſpiritùs ad huiuſmodi voces, cum fide pronunciatas, adfuturos, ac per eas boni quidpiam à Deo impetraturos? Danda quidem eſt opera, vt, quantum humana fert infirmitas, ſcripturarum myſteria percipiamus, non caret tamen ſuo præmio, qui ſcripturæ verba, nondum ad plenum intellecta, religioſa pronunciat veneratione.

Sed iam tempus eſt, vt exordiorum laudes proſequamur, ac vitia. Peſſimus enim gubernator habetur, qui nauem, dum è portu ſoluit, impegit. Laudes ergo exordiorum, ac vituperia, ratione tum qualitatis, attenduntur, tum quantitatis. In quantitate obſeruandum, vt ſint mediocria; medium verò pendet ex natura cauſæ, nam vt in ædibus, ac templis, veſtibula, ſic in cauſis, exordia, proportione reſpondere debent, ne forte illud eueniat *Inſcriptio ſacci, maior eſt ſacco*, Sufficit ergo ſi exordium ſit octaua pars totius orationis, vt minor eſſe poſſit, ſed numquam maior. In qualitate verò, vt ſint vtilia cauſæ, & propria, nec vulgaria, ſeu communia, quæ omnibus, aut multis cauſis poſſint accommodari, cuiuſmodi ſunt, quæ ducuntur ab inuocatione Numinis, vel à reprehenſione temporum, aut morum Idem de illis, qui ad rem, quàm dicunt, maximâ, magna ſibi optant naturæ præſidia, nam hoc iam omnibus vulgare eſt;

pote-

poterit tamen quis huiuſmodi facere proprium, confitendo eſſe commune, vt, Quicumque ad dicendum huc veniunt, dicere ſolent, ea, de quibus conſilium daturi ſunt, maximi eſſe momenti, & digna in quibus ſtudium Reſp. ponat: Verum ſi vllis in alijs negocijs hoc dicere conuenit, arbitror nunc ab eo initium eſſe capiendum. Nec tale eſſe debet exordium, quòd eodem aduerſarius vti poſſit: quòd ſi accidat aliquando, vt tali vſi fuerimus, imitemur Auguſtinum, qui videns Iulianum incipere ſimiliter poſſe à querimonia, à qua ipſe orſus fuerat, continuò ſubiungit, ſed hæc pro tuo dogmate, quòd veritatem eſſe putas, tu etiam dicere potes, auferemus itaque de medio, ſi placet, iſta communia &c.

Nec modò communia, ſed etiam commutabilia, quæ aduerſarius facile ad ſuæ cauſæ vtilitatem deflectere poteſt, improbantur. Sumi ergo debent ex ipſis cauſæ viſceribus, & (niſi in genere Demonſtratiuo, in cuius exordijs à longinquo initia petere non dedecet) non ſeparatis, aut longè accerſitis. Nec debent eſſe nimis pathetica, nam affectus concitati in exodio locum habent. In exordio verò, mores exprimi debent, affectus moderari. De illius charactere, ſequenti libro dicemus, debere in eo ſeruari modum in vſurpandis luminibus verborum, & ſententiarum, ne ſuſpicionem adferat nimię meditationis.

Eſto exordium primum in oratione dicendâ locum obtineat, ad ipſum tamen non primò, ſed vltimò mens, manuſque admouenda. Sic Cicero: *His omnibus conſideratis, tum denique id, quòd primum eſt dicendum, poſtremò ſoleo cogitare, quo vtar exordio: nam ſi quando id primum inuenire volui, nullum mihi occurrit, niſi aut exile, aut nugatorium, aut vulgare atque commune &c.* Quia ergo principia iſta non extrinſecùs aliunde quærenda, ſed ex ipſis cauſæ viſceribus ſumenda ſunt, ideo totâ causâ pertractatâ, atque perſpectâ, conſiderandum eſt, quo principio ſit vtendum, & tunc facile inuenietur. In gratulatoria tamen, & funebri oratione, poſſumus à principio ſcribere exordium, quia in ea materia, affectus dictat exordium. Sæpe etiam in alijs materijs ſponte ſeſe offert, immò, vt diximus, non ſemper exordio indigemus, maximè in orationibus patheticis, quæ incipiunt ex abrupto, præcipuè, vbi negotium feruet, & auditores Laconicæ breuitatis ſunt amatores, vt in concionibus Ducum, ſeu Imperatorum. Et hæc de exordio, alioquin quando ad finem.

CAPVT

(1) προοίμιον (2) οἶμος (3) οἴμη (4) πρόλογος (5) ὄνος καὶ λόγος (6) λόγος παρασκευάζον τὸν ἀκροατὶν (7) κατ' ἐξοχὶν (8) ἔνδοξαν, παράδοξαν ἀμφίδοξαν καὶ ἄδοξαν (9) δυσπαρακολούθηταν (10) ἐνδοξα (11) ἔυδοξα (12) παράδοξα (13) ἔνδοξη (14) τὸν ξενακτόνον βούσιριν (15) ἀμφίδοξα (16) μητροφόντιν (17) πατρὸς ἀμύντωρα. (18) λέγοντος (19) καθολικὸν (20) ὄνου σκιὰ (21) ὄζοι (22) προοίμιος ὀζώδης (23) πρότασις κατασκευὴ ἀπόδοσις καὶ βάσις (24) ἀξίωσιν (25) πράτασις (26) κατασκευὴ (27) ἀπόδοσις (28) ἐξ ὑπολήψεως (29) ἐξ ὑποδιαιρέσεως (30) ἐξ περιουσίας (31) καὶ ἀπὸ καιροῦ (32) παράδοξος (33) ἰατρεύματα (34) ὑποκρίσος (35) ἐξούδιον.

CAPVT SECVNDVM.

De Narratione.

NArrare, eſt gnarum, ſeu prudentem, ac ſcientem facere; vnde per narrationem cognoſcimus, quid geſtum, vel quaſi geſtum ſit, & quomodo illud euenerit; Eſt autem duplex narratio, vna (1) *hiſtorica*, altera (2) *morata*, ſeu *dragmatica*: & vtraque, vt ad Rhetorem ſpectat, definiri poteſt, quòd ſit Rerum geſtarum, vel quaſi, geſtarum, vtilis ad ſuadendum commemoratio. Quòd ſi narrationem velis deſcriptam (4) *ſimpliciter*, non vt Rhetoricæ tantum fini deſeruit, dicere poteris ſimpliciter Narrationem eſſe expoſitionem rei geſtæ, vel quaſi geſtæ, comprehendentem, quæ ſunt à principio ad finem. In omni namque narratione, principium, medium, & finis eſſe debent, & quæ principium antecedunt, vt cauſæ, & quæ conſequuntur, vt effectus. Vt ſi dicas, Hieroſolymam à Tito fuiſſe deſtructam, omnia quidem complexus fueris, ſed tamen non

narraſti. Narratio verò erit ſi dixeris,quomodo ob Deicidium, & obſtinationem in reſiſtendo Apoſtolicæ prædicationi, Deus Hieroſolymitis, & toti Iudaicæ genti erat infenſus: quamobrem illi, à Deo derelicti, contra Romanos rebellarunt; quomodo aduersùs eos venerit Flauius Veſpeſianus, & Titus eius filius, qui vario marte, pluries contra eos pugnarunt: quomodo cincti fuerint obſidione in ipſa Metropoli Hieroſolyma, quomodo fame cogente, (5) *hominum voratores*, immò (6) *immunditiarum voratores* deuenerint, quomodo mutuis cædibus ſæuierint: & quomodo deniquè capti, interfecti, aut in ſeruitutem redacti, diſtractique per exteras nationes, tamquam viliſſima fuerint mancipia, & ipſa Vrbs, eiuſque Templum direpta ac diruta, in ſummi ſceleris vltionem.

Sciendum tamen, non ſemper, nec in omnibus cauſis, eſſe narrationi locum: nec, quum ea vti conuenit, eodem ſemper modo ea vtendum eſſe, Siquidem in genere Deliberatiuo,nulla poteſt eſſe narratio: quum enim hoc genus reſpiciat tempus futurum, impoſſibile eſt, eſſe in eo expoſitionem rerum geſtarum, quæ eſt narratio, quum nullæ ſint res geſtæ. Immò in Iuridiciali genere, quum res cum omnibus ſuis circumſtantijs eſt manifeſta, itaut aduerſarius obeſſe non poſſit aliter narrando, à narratione ſuperſedere debemus, ne tempus fruſtra teratur: Vlteriùs poteſt omitti,quum aduerſarius rem narrauit eodem modo, & cum eiſdem circumſtantijs, ſicut nos eramus expoſituri. Quum verò narratione eſt vtendum, pro varietate cauſarum, varia adhiberi debet, nimirum Conciſâ,vel Continua, aut Mixtâ. Conciſâ vtimur, quando res geſtæ nobis obſunt: nam tunc, cuilibet parti, cauſam adhibere debemus, vt vulneri præſto ſit medicina,& odium ſtatim defenſione mitigetur: Eadem etiam vtimur,quum ſingulæ partes inuidiam in aduerſarium conflant: nam tunc, partes ſigillatim exagitantur, quò Iudex crebro in illum indignetur, Eadem vtimur in genere Demonſtratiuo,vbi tota cauſa ſtabilienda eſt argumentis petitis è rebus geſtis, vel quandocumque ſeries narrationis non eſt aliud, quàm confirmatio, nec confirmatio eſt aliud, quàm narratio ſuis probationibus, & amplificationibus permixta. Continuâ verò vtemur, quum rerum geſtarum expoſitio nobis proderit, nec tamen aduerſario inuidiam conflare poterit, neque totius cauſæ prora fuerit, & puppis. Mixtam denique vſurpabimus, quum res geſ-

tæ partim nobis obſunt, partim proſunt, nam tunc, quæ proſunt, continuâ, quæ obſunt, concisâ exponenda ſunt narratione.

Diuidunt alij narrationem, (7) *in ſimplicem, confirmatam, & illuſtratam*: (8) *Simplex* eſt, in qua nec cauſę ponuntur, nec deſcriptiones: quia res de ſe certa eſt, ac perſpicua: (9) *Confirmata* verò eſt, quum rei geſtæ adferuntur cauſæ, ex circumſtantijs petitæ. (10) *Illuſtrata* denique dicitur illa, cui interſeruntur deſcriptiones. Cui diuiſioni ſatis perſpicuæ, nihil eſt, quòd addamus.

Narrationis quattuor eſſe partes Rhetores docent, nempe *procaſtaſim*, *narrationem* propriè dictam, *petitionem*, & ipſius *rationem*, ſiue cauſam. Procaſtaſis dicitur ea narrationis pars, quæ exponit quæcumque præcipuum factum anteceſſerunt. Vt, Amnonis necem anteceſſerunt, adamatio Tamaris, infirmitatis ſimulatio, illius famulatus, tum violentia adhibita, Abſalonis ſimulatio per aliquot annos, inuitatio eiuſdem ad prandium, in quo nex erat committenda. Omnia ergo iſta ad procaſtaſim ſeu præparationem pertinent. Narratio verò propriè dicta eſt, quæ factum præcipuum, & maximè proprium cauſæ, exponit, vt, ſolius Amnonis necem, factam per ſeruos Abſalonis in medio prandio, quum ille iam mero incaluiſſet. (11) *Petitio* erit ex parte accuſatoris, ſi is poſcat, vt Rex miſericordiâ motus ſuper mortem ſui primogeniti, Abſalonem punire velit: ex parte verò Rei, ſi illius patronus dicat, debere Regem flecti ad miſericordiam: (12) *Ratio petitionis* ex parte Amnonis erit, quòd deceret Regem ſuccenſere illi homini nefario, qui proditoriè Regis primogenitum, in propria domo, conuiuio exceptum, inter pocula trucidarit. Sed ratio petitionis ex parte Abſalonis fuerit, debuiſſe eum ſartam tectam propriam cuſtodire exiſtimationem, quæ per imminutionem Thamaris, grauiter fuerat imminuta, nec aliter quàm per ſtupratoris mortem potuiſſe eam in priſtinum decus reuocare.

Cuiuſmodi autem debeat eſse narratio, docet Ariſtoteles, aſſerens, conuenire, vt ſit illa dilucida, ſeu clara, & perſpicua; Nam tametſi perſpicuitas, virtus eſt in omni oratione cuſtodienda (niſi fortè quid aliquando de induſtria ſit occultandum) alioquin præſtat, non dicere, quàm ita dicere, vt dictionem auditoris non aſſequatur intelligentia: nihilominùs eſt ſpecialis

narrationis virtus; Siquidem ſi quæ alia pars ſit obſcura, illa ſola perit: ſi verò narratio fuerit obſcura, tota oratio erit cæca, quandoquidem tota ſuper narratione fundatur. Perſpicuitatem autem conſequemur, ſi verbis vtamur vſitatis, non priſcis, obſoletis, peregrinis, aut barbaris. Secundò ſi in narratione hiſtorica, ordinem ſeruemus temporis, vt prius explicemus, quòd ante fuit factum, quàm quod vltimò. Tertio ſi eam non interrumpamus, niſi forte factum nobis noceat, quando, vt diximus, conciſè narrare conuenit, vt cuilibet narrationis parti, quæ eſt quaſi noſtræ cauſæ venenum, præſens adhibeatur antidotum. Ad perſpicuitatem facit Euidentia, quâ rem ante oculos ponimus, vt etiam hypothypoſis, de quibus libro ſequenti.

Debet etiam narratio eſſe morata, vt ſcilicet honeſtos noſtros, aut eius, quem laudamus, aut quem defendimus, exprimat mores, contra verò, aduerſarij, quem vituperamus, aut accuſamus, mores oſtendat prauos. Id verò præſtabimus, ſi nos, aut noſtros, profitebimur honeſtatem ſequutos: contra, aduerſarios præter vtilitatem, aut commodum, penſi nihil habere. Nec in noſtra tantum, aut aduerſarij perſona mores obſeruandi erunt, ſed in quocumque, de quo ſermo inciderit: vt ſi audacem aliquem, agreſtemque oſtendere voluerimus, loquentem incedere affirmabimus: iratum, qui pedibus conſiſtere nequeat: inconſtantem, qui circumquaque oculos vertat, etiam quum res ſeria agitur.

Obſeruanda ſunt etiam, quę de moribus ſupra in vltimo tractatu primi libri dicebamus, quia oratio, quæ proprijs perſonæ deſcriptæ moribus, vt characteribus eſt inſignita, maximè veroſimilis redditur; contra verò ſi alienis moribus deſcribatur, falſitatis fit ſuſpecta. Nec tantum in generibus perſonarum mores attendi debent, ſed etiam in ſingularibus, vt, Commune Apoſtolis erat omnibus, Dominum diligere, Petrus tamen omnibus liberior, & ardentior erat, Ioannes magis familiaris, intimus, ac ſedatus: Thomas ad credendum difficilis, ac durus: Paulus facundiâ mirabilis: Barnabas, maieſtate reuerendus: & ſic de alijs. Immò nec idem ſermo affingi conueniret Apoſtolis ante acceptum Spiritum Sanctum, quando timor eos occupabat, qui poſtea, quum mundo, & omni creatæ naturæ ſuperiores euaſerant, quando in conſpectu Concilij, non ſunt veriti

dicere

dicere: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.*

Habendus eſt ergo ſemper præ oculis decor in omni oratione, & maximè in narratione, vt ſciamus quis ſermo hic, & nunc, huic conueniat, quòd etiam exteri monent, qui aliter de eadem re loquentem inducunt Phocionem, nempe breuiter, ſententiosè, ſanctè, ſeriò, liberè, & minimè adulatoriè: aliter Demoſthenem, aut Alcibiadem. Similiter Catoni ſermonem affingunt liberum, ſubmoroſum, ac iurgabundum; Sed non talem Cæſari, aut Ciceroni. Vlteriùs narratio breuior debet eſſe in defenſore, qui vltimò dicit, & multa omittere poteſt, quæ ab accuſatore rectè narrata fuerunt, quàm in accuſatore, qui primò rem exponens, omnia explicare tenetur. Nec oportet, vt narratio ſemper in orationis collocetur principio, poteſt enim differri, ſecundum quòd oratoris videbitur prudentiæ, ad cauſæ victoriam magis conuenire.

Quòd autem aliqui inter narrationis virtutes ponant breuitatem, non videtur verum, quia, vt longitudo, tædium, ita, affectata breuitas, obſcuritatem adferre ſolet, iuxta illud *Dum breuis eſſe volo, obſcurus fio*. Debet ergo eſſe mediocris, vt dicantur neceſſaria, reſecentur ſuperflua.

Poſſumus etiam in narrando vti vel (13) *relatione* aliorum, vt in genere Demonſtratiuo, quia hoc eſt ſecuriùs, nam quum dicimus ita nos legiſſe, aut audiuiſſe, etiam ſi id falſum ſit, non tamen falſi nos arguemur, ſed fides erit penès authorem: vel (14) *ſecuritate*, ob (15) *fidem* faciendam in Iuridiciali, nam Iudices fidem nobis non adhibebunt, ſi ipſi de veritate dubitare videamur. Interdum vtrâque vtimur, dicendo, ita nos audiuiſſe, & comperiſſe, nam priùs facit (16) *ſecuritatem*, alterum, (16) *fidem*.

Ad narrationem pertinere videtur (17) *excurſio*, quæ eſt alienæ rei, ad cauſæ tamen vtilitatem pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio: quæ tunc locum habet, quum factum aliquod atrox expoſitum fuit, nam tunc, veluti erumpente indignatione, ipſum proſequimur, & amplificamus. Non tamen eſt adhibenda ante confirmationem, niſi factum ſit ita clarum, quòd dubitationem non habeat, alioquin ridiculum foret, illud in immenſum extollere, quòd eſt adhuc incertum. Hinc aliqui excurſionem duplicem faciunt, quarum vnâ vtuntur ante confirmationem, & hanc vocant (18) *cataphoram*; aliâ poſt confirmationem, & hanc (19) *epiphoram* dicunt. Ad eamdem etiam

pertinet *renouatio*, ſeu (20) *reſtauratio*, qua orator iudicem præparat ad rem audiendam: eſt enim veluti nouum exordium, quo vel incitatur contra aduerſarium, vel flectitur ad nobis fauendum, ideoque eâ ſæpius vtendum in narratione, confirmatione, & alijs partibus. Et idem eſt de (21) *præſtructione*, quæ ea commodè exponit, quæ deinde firmanda ſunt argumentis.

(1) ἱςορικὴ (2) μυθικὴ (3) δραμματικὴ (4) ἁπλῶς (5) ἀνδροποφάγοι (6) ἀλληλοφάγοι (7) ἐν ἀπλὴν εγκατάσκευον, καὶ ενδιάσκευον (8) ἁπλῆ (9) ἐγκατάσκευος (10) ἐνδιάσκευος (11) αἴτημα (12) αἰτία τῆς αἰτήμης (13) ἀναφορᾶ (14) βεβαιωσȣ̃ (15) πίςιν (16) ασφάλȣαν (17) παρέκβασις (18) καταφοραν (19) ἐπίφοραν (20) ἀνανέωσις [21] προκατασκευῆ.

CAPVT TERTIVM.

De Propoſitione, & Partitione.

HAs ambas (1) *præſtructionis*, ſeu (2) *præconfirmationis* nomine comprehendunt. Propoſitionis enim munus eſt, ante oculos ponere id, quòd in controuerſiam venit: Hinc Græci eam (3) *expoſitionem* dicunt, quia ſtatim ab initio (4) *capita* exponit, vel (5) *promiſſionem*, quia eâ promittimus nos de cauſæ noſtræ capitibus acturos. Fit autem propoſitio, vel (6) *ſimpliciter*, quando cauſa eſt fauorabilis, aut ſaltem non odioſa: vel per (7) *remotionem*, & poſitionem; Vt, nihil eorum, quæ à cæteris dicta ſunt, mihi adlubeſcit, qui potiùs in ea ſum ſententia &c. & ita tractari poteſt cauſa minus fauorabilis, vt, improbatis priùs aliorum dictis, ac ſenſibus, ſenſim, & quaſi aliud agendo, interſeratur noſtra propoſitio, ita tamen, vt ferè naſcatur ex rationibus, & diſcurſu, potiùs, quàm data opera inducta videatur, nam ſi ante proponatur, quàm efficaciter probetur, præiudicium inueniet in animis auditorum ſibi obſtans;

ſed

ſed ſi priùs fuerit demonſtrata, quàm publicata, ſuaſibilis reddi poterit.

Partitio non eſt aliud, quàm multiplex propoſitio, quæ tunc neceſſariò in oratione eſt adhibenda, quando cauſa eſt vel longa, vel obſcura, vel ex pluribus coniuncta. Quapropter partitio fieri ſolet, vel per ſeiunctionem, quâ oſtendimus, tum id, in quo cum aduerſario conuenimus, tum id, in quo ab eodem diſcrepamus. Sed tamen reuera hæc non videtur dicenda partitio, Vt ſi dicam: Pecuniam quidem priuatam, de templo ſe ſuſtuliſſe cognoſcit, ſacrilegium in hoc non agnoſcit: hic enim partitio nulla eſſe videtur, ſed tantùm controuerſia ſtatus Finitiui. Quòd autem quidam dicunt, eſſe partitionem, non quidem orationis, ſed cauſę, minùs conuenientèr eſt dictum, quum, quòd non eſt pars controuerſię, nec cauſæ pars eſſe poſſit.

Remanet ergo tantum partitio, quæ fit per partium enumerationem, quâ breuiter oſtendimus, quot, & quæ ſint, de quibus ſumus dicturi. Eius verò virtutes ſunt, breuitas, paucitas, & abſolutio. Breuitas attenditur in verbis, quum enim diuidimus, verba multiplicari nullatenus debent: Paucitas conſideratur in membris diuidentibus, non enim rem in fruſta ſecare debemus, ſed in genera tantum diuidere, aut ſpecies, vnde ea laudatur diuiſio, quæ in tria, vel quattuor ad ſummum membra fit, quòd ſi hunc excedat numerum, vituperabitur. Abſolutio verò importat, quòd ipſæ partes totum exhauriant diuiſum; alioquin diuiſio non lucem, ſed tenebras potiùs affunderet orationi. Adfert autem diuiſio, ſeu certarum promiſſio partium, ſi non aliam, hanc ſaltem vtilitatem, quòd conducit ad docilitatem, & memoriam auditorum; & dicenti etiam prodeſt, quia habet certos gradus, ſiue ſinus, in quos, ex digreſſionibus, ſe recipiat. Sed tamen, vt diximus, vitanda eſt partium turba, quæ caliginem offundit cauſæ, etiam non obſcuræ.

Vt ergo rectè diuidas, diſpiciendum eſt, quot, & quænam ſint totius cauſæ baſes, & præcipuæ columnæ, illæque in diuiſione promittendæ, itaut, quoad fieri poteſt, ſint quam pauciſſimæ, nec quaternarium numerum excedant. Quòd ſi cauſa minutioribus coaleſcat ex partibus, non eſt neceſſe omnes in diuiſione promittere; ſed, facta diuiſione per genera, vel ſpecies, ſubdiuidere, in tractando, partes illas generales. Vt, dicturus encomia alicuis ſancti, ita partiri poterit: Exponam vobis,

qualis

qualis fuerit erga Deum, qualis in ſeipſum, & demum qualis erga proximum. Primam deinde partem ſubdiuidet, quia pietas erga Deum, varijs diſtinguitur officijs, nempe cultu Religionis, & virtutibus Theologalibus, quæ ſunt fides, ſpes, & charitas. Sic, proprij corporis adminiſtratio, cupiditatumque moderatio, in alias diduci poteſt partes. Proximi verò vocabulum, tam coniunctos complectitur, quàm non attinentes: & tam ciues, quàm exteros, & tam amicos, & benefactores, fideique conſortes, quàm perſecutores, inimicos, ac infideles, immò tàm viuos, quàm iam defunctos, & ergà iſtos dicere poterit, qualiter ſe ſe habuerit. Similiter, exhortaturus ad ieiunium, ſatis erit in genere proponere de ieiunio, quòd hominum vulgus horret, vt rem noxiam, ac triſtem, quòd ſit multis amplectendum nominibus. Primò, nam ſi pietate nihil melius, hanc animo adfert ieiunium. Secundò nam ſi inter bona temporalia, primæ, proſperæ tribuendæ ſunt valetudini, hanc haud vulgariter fouet ieiunium. Tertiò nam ſi homines horrent paupertatem, diuitiarum verò poſſeſſionem magnam felicitatis partem eſſe ducunt, etiam facultates, vt luxus minuit, ita ieiunium conſeruat, & auget. In tractando verò diſtinguere poteris, quot modis ieiunium conferat ad pietatem, vt quod extenuato corpore, mentem reddat ad ſacram doctrinam, ad prædicandum, & ad Cœleſtium rerum contemplationem, magis idoneam; pijs augeat pietatem, pœnitentes Deo reconciliet, &c. Corporibus etiam multiplicem adfert vtilitatem, vel quod ab innumeris ſeruet morbis, quos luxus gignit; vel quòd infirmitates iam prementes tollat, aut ſaltem reddat leuiores, & quidem efficaciùs quàm pharmacum, vnde medici ieiunium primò præſcribunt: Voluptates etiam reddit ſuauiores, nam poſt ieiunium ſomnus eſt dulcior, refectio iucundior, dulcius etiam quàm crapulâ grauato, cum amicis colloquium: denique ſenſus ad ſuas functiones aptiores, nam oculi clariùs cernunt, aures acutiùs audiunt, lingua in loquendo minùs hæſitat, meliùſque ſapores dijudicat, ac membris omnibus iudicium eſt exactiùs. Sic de augumento, vel conſeruatione diuitiarum, ſubdiuidi etiam poteſt.

E contra verò inepta fuerit partitio, ſi quis alicuius ſancti celebraturus laudes, promittat ſe oſtenſurum, fuiſſe in illo triginta vel centum virtutes, & eas omnes in ipſa partitione nominatim recenſere velit; quum dicere ſufficiat fuiſſe tales in eo, vt

earum

earum merito primarijs ſanctis ſit comparandus. Aut ſi diſſuaſurus matrem quampiam, ne puerum alteri lactandum mandet, omnes præpoſitionum promittat ſpecies, dicendo, Primò oſtendam, Infantem à maternis depellere vberibus, eſſe, agere præter naturam, quæ cuique animanti alimentum addidit, quo ſuos educet fœtus. Secundò oſtendam hoc eſſe præter Diuinæ ſcripturæ doctrinam, & præter piorum exempla. Tertiò, ne matris quidem nomine dignas, quæ ſuos partus alere recuſent, aut ſi matres, vix dimidiatas eſſe. Quartò, abſurdum eſſe, vt quæ in vtero aluit neſcio quid, iam hominem, & matris implorantem opem, alere nolle. Quintò, non multò minùs impium eſſe, infantem recens natum abs ſe ablegare, quàm nondum natum, pharmacis per abortum eijcere. Sextò, expoſitionis eſſe genus, quòd genueris nolle alere: nam expoſiti ſæpenumero viuunt, quum tamen conductarum culpâ nutricum, plurimi pereant infantes. Septimò, per hanc infantium ablegationem, ignem, ac flagrantiam natiuæ pietatis, quæ eſt virtus inter parentes, ac liberos, magna ex parte extingui, & in nutrices transferri. Octauò, dicam, alienum lac frequenter, infantum officere corporibus, ſi quæ fuit conducta, parum proſperæ ſit valetudinis, aut lac habeat vitiatum, aut, quoniam mercedis gratiâ plures alit vberibus, parciùs, quàm opus ſit, lactis infundat liquorem. Nonò, non eſſe veroſimile, mulierculam, quę mercede conducitur, eamdem gerere poſſe curam infantis alieni, ac veram matrem, quam ad officium excitat affectus naturæ, vt non modò tædium non ſentiat, verum & cum delectatione peragat omnia, quæ moleſta videntur alienis. Decimò, Vt nihil ſit horum quæ commemorauimus, fieri tamen non poſſe, vt alienum lac æquè ac maternum infantili proſit corpuſculo, nam etiam adulti, cognatis, & aſſuetis melius alimur; at infans materno liquori iam in vtero aſſueuit; idem enim eſt humor, quo alitur in matrice, & quem è papillis haurit, niſi quod hic, vt concoctior, ita candidior. Vndecimò, Nutrices conductas, non ſolum officere corpuſculis infantium, verum & ingenijs, ac moribus: nam quum harum electio non ſit libera, eò quòd nec omnes lac habeant, nec omnes operam locare velint, fit vt plerùmque adhibenda ſit improba, rixoſa, aut impudica, quorum vitiorum indolem, infans cum ipſo combibit lacte. Duodecimò, Hinc fieri, vt minor ſit reuerentia atque obedientia liberorum iam adoleſcentium erga parentes:

apud imperitam multitudinem, quia authoritas iudicandi tunc non eſt penes auditorem, ſed potiùs penes dicentem, qui auditorio dilectus eſt, & venerandus, Vnde apud hos in omni genere, & oratione eâ vti poſſumus, maximè quum oratio multas habuit partes, aut nonnihil obſcuritatis ob rerum ſubtilitatem, in quibus caſibus periculum eſt, ne multitudo, quæ ſenſus non habet eſercitatos, &, vel non intellexit, quæ dicta fuerunt, vel eorum fuit oblita, nullatenùs propterea conuincatur, niſi ſummatim dicta repetantur, rogando vt ea inſigant animis, quò & alijs communicare poſſint, & ad alia percipienda reddi alacriores. Conuenit tamen epilogo, vnà cum breuitate, perſpicuitas, viuacitas, atque alacritas, & propterea in eo vti debemus verbis emphaticis, & ſchematibus, quæ talia parturire valeant, de quibus ſequenti libro videbimus.

Alterum epilogi munus eſt, concitare (9) *affectus*, vnde (10) *pathologia* dicitur. Affectus autem variant pro diuerſitate cauſarum. In Demonſtratiuo, quum aliquem laudamus, excitare conuenit amorem, admirationem, vel æmulationem virtutum illius; Si quem verò vituperabimus, ciebimus odium, inuidiam, aut contemptum. In Deliberatiuo, ciemus ſpem cupiditatis explendæ, vlciſcendæ iniuriæ &c. aut incutimus timorem ob periculi magnitudinem. In Iuridiciali concurrunt quidem alij affectus, ſed maximè indignatio, & conquæſtio, quarum proprios locos recenſet Cicero 1. de Inuentione.

Debet autem epilogus eſſe breuis, ne aut indignatio reſideat, aut miſeratio minuatur, ſiquidem (11) *lachryma nihil citiùs areſcit*, & propterea optandum, vt Iudex iam commotus, properet ad ferendam ſententiam. Debet etiam eſſe acris, vt aculeos in auditorum relinquat animis. Non ſunt tamen omnes idonei ad affectus mouendos, adeout, de nonnullis dici merito poſſit illud, quòd inepto cuidam oratori Catulus dixit, qui ab eo rogatus, num putaret ſe miſericordiam iam mouiſſe, reſpondit; *Et quidem magnam, neminem enim puto fuiſſe tam durum, cui non tua miſeranda viſa ſit oratio.*

Obſignatur denique epilogus, ſeu peroratio, per vocem Dixi, quamuis antiqui, in ſolis cauſis forenſibus eam adhibere conſueuerint, neque tamen in omnibus orationibus, ſed in eis dumtaxat, quibus nulla crederetur alia ſuperuentura, nempe ab eo qui vltimò diceret loco: Poſt quam, Prætor, ſiue Conſul dimiſ-

Sed vtra in oratione præcedere debeat, quæri poteſt. Aliqui hunc ſtatuunt (2) *ordinem*, vt iuxtà artis præſcriptum, confirmatio præcedere debeat (quem dicunt (2) *ordinem* naturalem) at ſecundum arbitrium, & ex aliqua occaſione, poſſit orator hanc (2) *methodum* variare, vt priùs confutet. Verum aliter docet Ariſtoteles, quòd ſcilicet, eius qui primò dicit, ſit, priùs confirmare: deinde ſi quæ videat, obijci contra ipſum poſſe, ea diluere debeat. Is verò qui vltimò loquitur, priùs confutare tenetur, quæ aduerſarius in oppoſitum dixit, & tum demum ſuam comprobare ſententiam: & hic eſt ordo naturalis: quia orationem reſpuit auditor, ſi alius, qui primo loco dixit, ſuam ſtabiliuit ſententiam, & propterea illius dicta priùs ſunt infirmanda. Quòd ſi qui primo loco dixit, parum auditores mouerit, poterit etiã reus à confirmatione inchoare. Adde, quòd accuſator, ſtudet ſæueritati, reus beneuolentiæ: ille vulnera conatur facere, hic adhibere medicinam: & propterea ille incipit à confirmatione, hic à refutatione. Ordo ergo iudicij tunc tantum erit, quum propter aliquam cauſam, expedit actorem incipere à refutatione, vel Reum à confirmatione, quum ars oppoſitum exigat.

Confirmatio ergo fit per argumenta, in quibus conſideratur, tam forma, quàm materia. Materia argumentorum rhetoricorum, abundè tractata eſt in primo libro, vbi locos aſſignauimus, ex quibus erui poſſent argumenta. Non enim materia eſt aliud, quàm res ad probandum, vel amplificandum, aut etiam ad mouendum valens. Inter hæc argumenta, quaſi primipili ſunt, quæ ad probandum deſeruiunt, tum quæ ad amplificandum, & demum, veluti in ſubſidium ad victoriam, quæ ad mouendum, & afficiendum. Immò inter ipſa argumenta (3) *probantia*, talis debet eſſe ordo, vt ea præcedant, ex quibus alia oriuntur, tum iſta ſuccenturientur; vt priùs voluntas, quàm facultas, quia hæc ab illa excitatur.

Variat etiam argumentorum ordo, ratione rerum, nam vel ſeruamus ordinem naturalem, narrando exempli cauſa, quæ quis fecerit ante religionis ingreſſum, quæue in ipſa: Vel artificialem, ſeparando, quæ ad iuſtitiam, quæue ad temperantiam, vel fortitudinem ſpectant. Vel attendimus firmitatem, aut imbecillitatem argumentorum: & tunc, quemadmodum boni Imperatores grauem armaturam à fronte locant, quo firmiorem faciant impreſſionem, ac etiam in vltima acie ad impel-

lendum; leuiorem autem in medio: ita orator fortiſſimam rationem ſtatim à principio exponit, quâ, occupati auditorum animi, non attendant ſequentium imbecillitatem; & tum demum aliud apponet fortiſſimum argumentum, quo intentum concludat. Quòd ſi oratio non niſi duo habeat argumenta, proponatur primo id, quòd eſt validiùs, deinde imbecilliùs, & demum recurratur ad illud validiùs in peroratione. Quòd ſi longior ſit oratio, & plura habeat argumenta, validiùs ſit à fronte, aliud etiam firmum reſeruetur pro vltimo loco, in medio intermiſceantur valida imbecillis, quia hęc illorum admixtione firmiora videbuntur, maximè occupatis iam ſenſibus à validiſſimo.

Cauendum igitur, ne argumenta numerare magis, quàm expendere videamur, nimirum, ne adducamus futilia, aut vitioſa, quia iſta fidem detrahunt etiam validiſſimis. Et ne talia adferamus, quæ aduerſarius in nos facile retorquere poſſit, vt in Euangelio, Seruo cauſanti auſteritatem Domini, ob quam repoſuerit potiùs, quàm ad vſuram dederit pecuniam, reſpondit Dominus: Immò propterea ad vſuram eam tradere debueras, quia auſterum me eſſe ſciebas. Ita ſi quis Catonem vituperaret, quòd quadragies in ius fuerit vocatus, hoc idem ad eius laudem facere dices, quòd totidem vicibus fuerit abſolutus. Eodem modo, quum de iuſto dicitur, quòd cadit ſepties in die, non ad vituperationem, ſed ad commendationem potiùs, illius vigilantiæ, pertinet, nam ſi non toties ſurrexiſſet, non foret quomodo amplius cadere poſſet; impius verò nequaquam tot cadit vicibus, ſed vna tantum cecidit, quia, quum in profundum venerit, contemnit ſurgere. Talia ergo argumenta vitanda ſunt.

Vitari etiam debet argumentum (4) *mentiens*, in quo vtrumcumque conceſſeris, falſum dicetur, vt Epimenides Cretenſis dixit, *Cretenſes ſemper eſſe mendaces*: ſi Cretenſes non ſunt mendaces, Epimenides Cretenſis mentitus eſt: ſi autem ipſe verum dixit, falſum eſt, Cretenſes eſſe mendaces, quia ipſe Cretenſis verum dixit. Vis huius argumentationis, eo nititur, quòd propoſitionem indefinitam, accipit pro vniuerſali, alioquin, vt falſum eſt, Cretenſes omnes, & ſemper eſſe mendaces, ita verum eſt plures eorum plerùmque mentiri. Ad hoc genus reducuntur Crocodilita, ita dicta à Crocodilo, qui quiddam à mu-

liere

liere rapuerat, & rogatus vt redderet, reſpondit *Reddam, ſi verum reſponderis: dic igitur, Reddam, an non? Non reddes, ait illa, & ideo redde, quia verum reſpondi. Atqui*, ſubdidit ille, *ſi reddidero, verum non dixiſti, & ideo non reddam*. Tale fuit illud Tyſiæ, & Coracis, quorum iſte, mercede mille nummorum conductus, vt rhetoricam illum doceret, quàm tamen pecuniam tum numerare ille tenebatur, quum primam cauſam à ſe ſuſceptam, conſequeretur: at nullam defendere voluit, ne pecuniam ſoluere teneretur: ſed à Corace in ius vocatus, obiectum ei fuit, nunc, Tyſia omnino ſolues, ſiquidem in ius deſcendiſti, vbi, vel victus, per iudices ad ſoluendum damnaberis: vel vincens, ex pacto debebis ſoluere: Cui Tyſia. At nunc omnino liber ero: nam vel victus in iudicio, à iudicibus ex pacto abſoluar, quia primam cauſam perdidi: vel vincens, ab impetitis, per ſententiam, ero immunis. Ad quæ, Iudices, Certe, dixerunt, (5) *mali corui malum ouum*. Verum hæ ſunt Chryſippi argutiæ, quæ longe faceſſere debent à ſuggeſtis.

Formam verò propriam argumentorum rhetoricorum, iam in primo libro diximus eſſe exemplum, ac enthimema, quia inductio, ac ſyllogiſmus, dilecticorum argumentorum ſunt propriæ formæ. Sed tamen his eiſdem, vel mutuo acceptis, orator etiam vtitur, immò ſyllogiſmo nedum tripartito, quia ſcilicet tria habet pronunciata, ſeu tres, vt vocant, propoſitiones, ſed & quatripartito, & quinquepartito, quando propriè (6) *epichevema* vocatur, quæ vox ad tripartitum etiam extenditur à quibuſdam. Solent autem oratores tranſponere partes ſyllogiſmi, vt, Nulla in hoc homine luxuries eſt, ſiquidem optimarum artium ſtudijs eſt deditus, in cuiuſmodi hominibus nulla conſueuit eſſe luxuries. Hic vides (7) *ſyllogiſmum* inuerſo ordine, futurum de prima figura, & modo Ferio, ſi tantum propoſitiones tranſponas dicendo. In hominibus deditis ſtudijs optimarum artium, nulla ſolet eſſe luxuries: hic homo eſt deditus ſtudijs optimarum artium, non ergo in eo eſt luxuries. Quòd fit ab oratoribus, vt artis vitent aſperitatem, & oſtentationem, quę fidem detrahit. Perſius tamen, quia poëta, & quia Stoicorum diſputationes adumbrare volebat, ſyllogiſmum dialecticum ſuo format ordine, dicens

An quiſquam eſt alius liber niſi ducere vitam
Cui licet, vt voluit? licet vt volo viuere, non ſum
Liberior Bruto?

(8) *Enthimema* autem, quòd eſt argumentum proprium rhetorum, duobus conſtat pronunciatis, prætcrit enim alteram præmiſſarum, ideoque ab Ariſtotele appellatur (9) *vnius dicti ſyllogiſmus*, ſyllogiſmus enim habet (10) *duas propoſitiones*, enthymema vero vnam, ſiue ea ſit (11) *propoſitio maior*, quæ (12) *ſimpliciter* propoſitio dicitur, ſiue ſit (13) *minor propoſitio, quæ inferior* appellatur. Quod autem quidam dicunt, dari enthimema tribus conſtans propoſitionibus, addendo videlicet antecedenti confirmationem, id in tantum verum eſt, in quantum illa confirmatio, vim habeat noui ſyllogiſmi, ſeu argumenti. Quòd idem dictum volo in epicherematibus: antiqui tamen quidam, (14) *per excellentiam, enthimematis* nomine intelligunt argumentum, quòd fit ex contrarijs, maximè, quum proponuntur duo, quorum aduerſarius vtrumcumque concedat, habebimus intentum, vt *Mentietur in tormentis, quia ea ferre poterit, mentietur quia ferre non poterit*. Vel: *Quo ſchema ſi intelligitur? quo ſi non intelligitur?* Sic quum Regis Antigoni frater rogaret, vt lis, quàm cum quodam habebat, non in foro, ſed domi cognoſceretur, ei *Rex: ſi*, inquit *cauſam habes iniuſtam, quur litigas? ſi iuſtam, quur fugis publicum?*

Nec minùs orator inductione vtitur, quum enumeratis illuſtribus quibuſdam indiuiduis, aut partibus, infert parem eſſe de cæteris rationem. Exemplum verò, quòd eſt Oratorum, Deliberatiui maximè generis, propria forma, ita dictum, vel quòd è multis vnum eximat ad probandum, vel quòd ex ampla id faciat materia, vel quòd eius ſit aliquid (15) *expandere*, ſeu *explicare*, apud imperitam multitudinem plus valet, quàm enthimema, eſto hoc firmiùs concludat. Sed exemplis gaudenti obijcere potes illud quòd habetur in Codice de ſententijs, & interloquutionibus, lege nemo Iudex, nempe *Non exemplis, ſed legibus iudicandum*. Illud eſt hic monendum, ne omnia orator argumentis, & enthimematibus comprobare ſatagat: nam velle argumentari in rebus apertis, inſaniæ ſpecies eſt, perinde ac in clariſſimum ſolem, lucernæ lumen inferre. Immò, & quum affectus mouere conamur, ab argumentis abſtinere ſatiùs fuerit, ſiquidem

Haud bene conueniunt, nec in vna ſede morantur,

(16) enthimema, & affectus: nam ſi affectus animo inſedit, perit vis argumenti, vt non penetretur: quòd ſi percipiatur, alter

alter alterius vim infringit, quia intellectus, ad quem pertinet enthimema, & voluntas, quàm reſpicit affectus, ſe habent vt duæ lances libræ, quarum ſi eleuetur vna, neceſſariò alia deprimitur. Nec in oratione morata, locum habent argumenta, quia demonſtratio nec mores habet, nec (17) *prælectionem*, ſed argumentorum loco, expedit (18) *ſententias* vſurpare, (19) *ſententijs* autem generalitèr vtimur, quum manipularibus potiùs, quàm amentatis rem agimus haſtis, quia iſtis veluti amentis præligatæ haſtæ, nempe argumenta, certiùs librantur. Tantum id inaffectatè fiat, & cum prætextu ſimplicitatis, nam caput artis eſt, artem premere, alioquin auditor ſibi cauebit, veluti à (20) *vinis mixtis*.

Amplificatio probationem adiuuat, & ad affectus mouendos viam munit. Hanc totam Spartani damnabant, quia ſolâ gaudebant breuitate. Notum illud Ageſilai, qui, cuidam commendanti oratorem, quòd res exiguas mirificas videri feciſſet, reſpondit: *ſed ego eum peſſimum puto ſutorem, qui exilibus pedibus, magnos inducat calceos.* Iſocrates tamen dicebat, *Rhetoris eſſe ex paruis facere magna, ex magnis parua.* Sed hoc eſt proprium ſophiſtarum, qui præſtigijs iudicium corrumpere tentant. Genuinus igitur amplificationis ſcopus eſſe debet, eorum occurrere morbo, qui quum ſemel tantum, ac breuiſſimè rem dictam audierint, eam facile præteruolare ſinunt, vt nec audiuiſſe videantur, quam, ſi iterum fuſiùs, & in partes diductam, explicatam audierint, animo penitus, memoriæ, ac affectui inſidentem experientur.

Deſeruit amplificatio, tum ad ferendam lucem rebus, ſeu argumentis probantibus, quod maximè præſtat transferendo hypotheſim ad theſim, per quandam digreſſionem in locum communem. Tum ad mouendos affectus, quòd facit per (20) *diuiſionem, comparationem, & oppoſitionem*. Exaggeratur etiam oratio incremento, vt: *Facinus eſt vinciri Ciuem Romanum, ſcelus verberari prope parricidium necari, quid dicam in crucem tollere? verbo ſatis digno, tam nefaria res appellari nullo modo poteſt.* Vel, *Quo melior alius non fuit, excepto Caio*: nam ſummè bonus is videtur, quo non eſt alius melior; ſed huic ſummè bono, præfertur alius. Creſcit etiam comparatione, vt, *Scipio priuatus, Gracchum mediocriter labefactantem Reip. ſtatum interfecit, Catilinam orbem terrarum cæde, atque incendio vaſtare cupientem, nos Conſules perferemus*: vbi priua-

priuatus conſulibus comparatur, Gracchus Catilinæ, mediocris labefactatio, cædi & incendijs, ſtatus Reip., orbi terrarum; Tertiò Ratiocinatione, vt, *Tu iſtis faucibus, iſtâ gladiatoriâ totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet, in Populi Romani conſpectu, vomere poſtridie*. Colligitur quanta fuerit vini ingurgitatio, ad quam digerendam non ſuffecerit laterum, & corporis firmitas, nec populi reſpectus, nec dies exacta. Quartò Congerie, vt, *Quid enim Tubero ille tuus, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus mucro ille petebat? Qui ſenſus erat armorum tuorum, quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? &c.* idem ſingulis dicitur commatibus, ſed interim, quaſi diuerſa dicerentur, oratio creſcit, & res amplificatur.

Sunt etiam amplificandi modi, primò, per tranſitum ab hypotheſi ad theſim, vel à theſi ad hypotheſim, vt quod priùs, generatim dictum fuerat, exemplis, ſiue veris, ac hiſtoricis, ſiue fictis, parabolicis, aut apologis, extendatur. Secundo diducendo rem per definitionem, aut deſcriptionem, oſtendendo quid reuera ſit illud, de quo dicimus. Tertiò, vſurpando partes pro toto, vt ſi velis docere quid ſit Dux, ſeu Imperator, & enarres quæ nam virtutes in eo requirantur, quaſi eas habere virtutes, ſit eſſe Imperatorem. Vel, ſicut Arnobius, vt oſtenderet non eſſe Chriſtianos cauſam malorum, qui terrarum occupabant orbem, partes percurrit orbis, ac docet, ſingulas eodem prorſus nunc ſe habere modo, ac ante Chriſti ortum. Quartò, adferendo cauſas, ſiue effecta, vel accidentia, vt, ſi oſtendere velis, nihil eſſe fœdius homicidio, hominis explicabis præſtantiam. ab efficiente Deo, qui ipſum proprijs plaſmauit manibus: ab anima immortali, cui Dei inſit imago· à mirabili membrorum compagine, à fine, ad quem creatus eſt, vt Deo æternùm fruatur: ab effectis, quæ ſunt diſciplinæ, Vrbes, claſſes &c. ab accidentibus, vt igneâ ingenij vi, memoriæ firmitate, dominio in cætera, &c. Quintò, à ſimili, vel pari, vt ſi dicas: Vita humana eſt quaſi ferrum, quòd ſi non exerceas, à contracta necatur rubigine: ſic homines, exercitio quidem conteruntur; at abſque exercitio, inertia ipſa ac torpedo, detrimẽti plus quam exercitatio adfert. Vel, nec reijcit quemquam philoſophia, nec eligit, omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit, & hortulo rigando manus locauit, Platonem non accepit nobilem philoſo-

loſophia, ſed fecit: Quid eſt quur deſperes his parem fieri te poſſe? omnes iſti maiores tui ſunt, ſi te illis gelleris dignum. Quod multò meliùs dicitur de Diuis noſtræ fidei. Sextò ab oppoſitis, vt ſi pacis bonum amplifices à calamitatibus, quæ bellum ſolent comitari. Et generalitèr, argumenta probantia, ſi rem non ſtrictim, more dialecticorum, ſed amplè, ac fusè tractentur, amplam reddent orationem.

Circa confutationem verò, curandum, ne quid relinquatur non impugnatum. Tradit autem Ariſtoteles duos modos, quibus aduerſarij refellamus argumenta, nempe (21) ***negationem, & contra ſyllogiſmum***: ***negatio*** erit, quum declaramus infirmitatem facti argumenti, ſiue, quòd, ad concluſionem inferendam, aſſumptum fuerit aliquòd falſum, quòd vt tale inficiabimus, ſiue quòd concluſio ex antecedentibus non inferatur, vnde, etiam ſi dentur præmiſſæ, oſtendemus non ſequi propoſitum. Contra ſyllogiſmus autem erit, quum contraria noſtri ſyllogiſmi concluſione, aduerſarij illatum gradu deijcimus, ac labefactamus. Ad quem confutandi modum pertinet (24) *violentia*, ſeu *inuerſio*. Vt ſi quis dicat, Occidiſti, quia adfuiſti: reſpondebis. Immò non occidi, alioquin in fugam me conieciſſem. Aut ſi quis dicat, non eſſe ducendam vxorem, quia matrimonio adſtrictis, præcluditur grauioribus pœnis, vagi concubitus licentia: ſolues, Immò propterea vxor foret ducenda, vt pudicitia ſeruaretur.

Ordo autem argumentorum confutandorum, à prudentia potiùs, quàm ab arte dependet. Aliqui priùs leuiora ſoluunt, vt ex his gradum ſibi faciant in animum auditoris, & fidem inueniant in ſoluendis, grauioribus, Alij è contra, primò grauiora conantur ſoluere, vt quum horum fidem minuerint, intelligant Iudices nullo negotio leuiora poſſe ſolui. Mihi obſeruandum videtur, ſi quæ fuerint argumenta, quæ auditorum animos mouerint, & ad ea labefactanda ante omnia, toto incumbendum conatu, alioquin animus, contrarijs occupatus opinionibus, non recipiet, quæ nos dicimus, niſi ea priùs clarè refellantur, quæ ipſum in oppoſitam ducebant ſententiam; Vnde nitendum priùs, vt claris, & euidentibus ſolutionibus, illa labefactemus, nam tunc, exutâ contrariâ opinione, facile auditor accipiet quæcumque dixerimus contra illa argumenta, quę illum non mouebant. Immò expediet aliquando, multa ſimul leuiora

ra argumenta , vnicâ diluere ſolutione , tunc ſcilicet , quando præceſſit eius ſolutio, vel illorum, quæ in diuerſum Iudicis animum abducebant,adeo vt nunc noſtræ faueat parti. Immo tunc poterimus , recenſendo leuiora aduerſarij argumenta , illis intermiſcere aliqua fortiora , quaſi eadem ſit horum , ac illorum ratio , & ita illis coniunctim ſatisfacere . Quandoque tamen expediet , leuia hæc argumenta ſigillatim ſoluere , vt auditores intelligant , quàm futilibus aduerſariorum cauſa , nitatur argumentis , & ita nobis reddantur fauentes . Expedit etiam , nonnumquam, iocularibus dictis, ſiue facetijs , ſeria aduerſariorum excipere , & è contra ipſorum iocos , ſerijs refellere . In iocorum tamen vſu , vtendum iudicio , quia intempeſtiua videtur,in re ſeria , iocoſa feſtiuitas , quæ valdè commiſerationi derogat . Vnde in ipſis etiam leporibus , delectu eſt opus , alij namque ſunt lepores qui(25) *libero* conueniunt, alij qui(26) *ſcurræ*, phana ventris circumeunti cauſâ . Cauendum ergo , ne, dum (27) *vrbanitatem* ſectamur (28) *maledicta, ſolis baiulis, & æruſcatoribus digna* , adferamus .

(1) πίστιν (2) οἰκονομίαν (3) ἀποδίκτικα (4) ψευδομένος (5) κακοῦ κόρακος, κακῶν ὠῶν (6) επιχείρημα (7) συλλογίσμον (8) ἐνθύμημα (9) μονολήμματος συλλογισμός (10) δύο λίμματα (11) ἡ μείζων πρότασις (12) ἁπλῶς (13) πρόσληψις καὶ προσλαμβανόμενον (14) κατ᾽ ἔξοχιν, ενθυμήματος (15) ἐξαπλοῦς (16) ἐνθύμημα καὶ πάθος (17) προαίρεσιν (18) γνώμας (19) γνώμαις (20) οἴνοις μεμιγμένοις (21) διαμερισμὸν, σίγκρισιν, καὶ ἀντίθεσιν (22) ἔνστασιν καὶ ἀντισυλλογισμὸν (23) ἔνστασις (24) βίαιος (25) ἐλευθέρῳ (26) βωμολόχῳ (27) εὐτραπελίαν (28) σκῶμματα φορτικά.

CAPVT QVINTVM.

De Epilogo, ſeu Peroratione.

DEfinitur (1) *Epilogus*, quòd ſit oratio, probationibus ante dictis ſuperaddita, exhibens congeriem rerum, nec non morum ac affectuum: ſiquidem (2) *Epilegin* eſt addere aliquid expoſitis, & breuiter complecti illa; quæ priùs fusè fuerant commemorata. Qui appellatur etiam (3) *Epanodos*, ſiquidem refert capita, de quibus agere promiſſum fuerat, per quod fit regreſſus ad principium. Appellatur quoque Latinè Peroratio, quæ vox idem valere videtur, ac finis, ſeu complementum orationis. Dicitur etiam (4) *Recapitulatio*, Concluſio, & multis alijs nominibus idem importantibus.

Eius autem quattuor faciunt officia; primum conciliare auditorem, eumque auertere ab aduerſario: Secundum, amplificare, quæ nobis proſunt, & extenuare, quæ obſunt. Tertium, affectibus auditorum animos impellere, ad ea, quæ rationibus ſuadere conati ſumus. Quartum memoriam, breui repetitione adiuuare. Verum duo poſtrema ſufficient, nempe (4) *recapitulatio*, quæ Ariſtoteli dicitur (6) *reminiſcentia*, ſeu (6) *commonefactio* quâ præcipua argumenta breuiter repetuntur, quo, conglobata magis moueant: &, ne talis repetitio ſeu iteratio, faſtidium auditoribus generet, aut eos offendat, quaſi de eorum vereamur memoria, adhibenda eſt varietas, vt, quòd (7) *ſimpliciter* fuerat dictum, repetamus per ironiam, aut interrogationem, aut collationem, aut enumerationem (8) *ſimplicem*, in qua abſtinebimus à ſubdiuiſionibus. Et nihilominùs, raró iſta enumeratione vtendum in Deliberatiuo, ac Demonſtratiuo, quia huiuſmodi orationes, vel aduerſarium non habent, vel non multis implicantur controuerſijs. Immo in Iuridiciali, eâ non vtetur Reus, quia eius eſt ſoluere argumenta, quibus Actor crimen intendebat; reſponſa autem, ad pauca redacta, vel non enacuant argumentorum vim, vel ea minùs dilucidè ſoluunt. Vnde recapitulatio, propria eſt ſolius Actoris.

Apud ſacros Eccleſiaſtes tamen, etiam in genere Deliberatiuo, & Demonſtratiuo adhiberi poteſt recapitulatio, maximè

apud imperitam multitudinem, quia authoritas iudicandi tunc non eſt penes auditorem, ſed potiùs penes dicentem, qui auditorio dilectus eſt, & venerandus, Vnde apud hos in omni genere, & oratione eâ vti poſſumus, maximè quum oratio multas habuit partes, aut nonnihil obſcuritatis ob rerum ſubtilitatem, in quibus caſibus periculum eſt, ne multitudo, quæ ſenſus non habet eſercitatos, &, vel non intellexit, quæ dicta fuerunt, vel eorum fuit oblita, nullatenùs propterea conuincatur, niſi ſummatim dicta repetantur, rogando vt ea infigant animis, quò & alijs communicare poſſint, & ad alia percipienda reddi alacriores. Conuenit tamen epilogo, vnà cum breuitate, perſpicuitas, viuacitas, atque alacritas, & propterea in eo vti debemus verbis emphaticis, & ſchematibus, quæ talia parturire valeant, de quibus ſequenti libro videbimus.

Alterum epilogi munus eſt, concitare (9) *affectus*, vnde (10) *pathologia* dicitur. Affectus autem variant pro diuerſitate cauſarum. In Demonſtratiuo, quum aliquem laudamus, excitare conuenit amorem, admirationem, vel æmulationem virtutum illius; Si quem verò vituperabimus, ciebimus odium, inuidiam, aut contemptum. In Deliberatiuo, ciemus ſpem cupiditatis explendæ, vlciſcendæ iniuriæ &c. aut incutimus timorem ob periculi magnitudinem. In Iuridiciali concurrunt quidem alij affectus, ſed maximè indignatio, & conquæſtio, quarum proprios locos recenſet Cicero 1. de Inuentione.

Debet autem epilogus eſſe breuis, ne aut indignatio reſideat, aut miſeratio minuatur, ſiquidem (11) *lachryma nihil citiùs areſcit*, & propterea optandum, vt Iudex iam commotus, properet ad ferendam ſententiam. Debet etiam eſſe acris, vt aculeos in auditorum relinquat animis. Non ſunt tamen omnes idonei ad affectus mouendos, adeout, de nonnullis dici merito poſſit illud, quòd inepto cuidam oratori Catulus dixit, qui ab eo rogatus, num putaret ſe miſericordiam iam mouiſſe, reſpondit; *Et quidem magnam, neminem enim puto fuiſſe tam durum, cui non tua miſeranda viſa ſit oratio.*

Obſignatur denique epilogus, ſeu peroratio, per vocem Dixi, quamuis antiqui, in ſolis cauſis forenſibus eam adhibere conſueuerint, neque tamen in omnibus orationibus, ſed in eis dumtaxat, quibus nulla crederetur alia ſuperuentura, nempe ab eo qui vltimò diceret loco: Poſt quam, Prætor, ſiue Conſul dimiſ-

ſis oratoribus, pronunciabat, Dixerunt, Innuens Iudicibus, vt ſecundum iuſtitiam, aut æquitatem, de cauſa, quàm audierant, decernerent. Tunc Indices, tabulas in ciſtam conijciebant, in quibus tabulis notæ inſculptæ quædam erant, in vnis quidem A. ſignificans Abſolutionem, in alijs. C. nempe Condemnationem: in Alijs demum N. L. Non liquere, Vnde ſi in ciſta coniectæ reperiebantur plures tabulæ habentes inſculptam notam C. Reus damnabatur: quòd ſi plures A, vel ſaltem in æquali numero quam C. Reus abſoluebatur, quòd conueniret Iudicem ad miſerendum proniorem eſſe, quàm ad condemnationem. Si denique plures N. L. cauſa ampliabatur, ſeu protrahebatur, quia quum de ea non conſtaret de præſenti, remittebatur, vt de ea iterum cognoſcendum, & habendus eſſet ſermo in futuro. Eadem ratio iudiciorum apud Græcos, apud quos tabella condemnans, ſignum, ſeu characterem thita inſculptum habebat, iuxta illud Perſij

Et potis eſt vitio nigrum præfigere thita

ideſt vitium condemnare. Damnabant etiam nigris, ac perforatis calculis, albis verò, integriſque abſoluebant. Sed de his alij.

(1) ἐπίλογος (2) ἐπιλέγειν (3) ἐπάνοδος (4) ἀνακεφαλαίωσις (5) ἀνάμνησις (6) ἁπλῶς (7) ἄπλην (9) πάθους (10) παθολογοία Παθοποιία (11) οὐδὲν θᾶσσον ξηραίνεται δάκρυου.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Diſpoſitione verborum, ſeu ſententiarum.

PRiori tractatu rerum diſponendarum rationem vtcumque aſſignare curauimus: verùm quia nonnihil eſſe cenſetur, ipſas etiam minutiſſimas orationis partes, & verba aptè collocare, id, qua ratione commodè præſtari queat, præſenti conabimur. Huiuſmodi autem minutiores partes ſunt Periodi, membra, ac inciſa, de quibus primo loco dicendum; deinde de vocibus, earumque numero, ſeu quantitate: & poſtremò de

verborum ſeu ſyllabarum, ac litterarum ſono, ac delectu, nam iſta etiam orationem condecorant. Et quamuis huiuſmodi, de quibus vltimo loco dicendum recipimus, ad ornatum pertinere videantur, & propterea in tertium reijcienda librum, ipſa tamen eorum connexio, cum diſpoſitione, de quàm nunc agimus, & quia prioris exodium poſterioris exordium conuenit eſſe, cum hac concluſione ſecundi libri, in quo agimus de diſpoſitione, non mirum ſi aliqua prælibemus, quæ non minùs ad tertium, in quo de ornatu eſt agendum, pertinere videbantur. Sit itaque

CAPVT PRIMVM.

De Periodo, Membris, & Inciſis, ac alijs Orationis partibus.

QVem Græci (1) *Periodum*, Latini Ambitum, Circuitum, Comprehenſionem, Continuationem, & Circumſcriptionem dixere. Neque de eo, eodem loquuntur pacto Rhetores, ſicut Grammatici. Iſti namque huiuſmodi Orationis partes, eo tantum fine conſiderant, vt rectè interpungere valeant, ideoque dicunt, Comma eſſe ſententiam imperfectam, aut periodi partem, verbo deſtitutam, vt, Miracula Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Colon verò dicunt eſſe, ſententiam imperfectam, ſed relatam; ſeu periodi partem ſuo fultam verbo, quæ non ſibi, verum periodo tantum ſententiam perficiat, vt Miracula Domini, ac Saluatori noſtri, ſic ſunt accipienda; cui ſi addatur redditio, plenam efficiet periodum: exempli cauſa dicendo, Vt & in veritate credantur facta, & tamen per ſignificationem aliquid innuant: ſiquidem periodus dicitur, oratio ſententiam ſibi perficiens.

At verò Rhetores, id, quòd Grammatici periodum appellant, Colon ſæpè, aut Comma vocant, vt illud: O tormenta miſericordiæ! Cruciat, & amat. Vel, O iaculum in corde! Quapropter aliter definiunt Rhetores has orationes. Hermogenes ſiquidem periodum definit, quod ſit *oratio vnâ, eademque circumductione verborum, argumentum, & concluſionem comprehendens*. Vel, *Eſt totius argumentationis coacta coitio, & quodammodo clauis*, quia videlicet ita cum concluſione in orbem cogitur, vt concluſio, inſtar

ſtar clauis, argumentationem claudat. Quapropter iuxta Hermogenem, duæ conditiones ſunt periodo neceſſariæ, altera quòd eâ argumentatio, & concluſio concludantur, altera quod argumentationem perficiat. Ariſtoteles verò periodum definit, eſſe (2) *dictionem, ſeu orationem, per ſe, principium, ac finem habentem, & magnitudinem, quæ facile vnico intuitu ſpectari poſſit.* Vnde Ariſtoteles non vtitur ita ſtrictè, vt Hermogenes, nomine periodi, ſiquidem ſubijcit illi quamlibet ſententiam: Licet enim orationes illæ, quæ argumentationem perficiunt, (3) *per excellentiam* mereantur dici periodi, aliæ tamen orationes, quæ ſententiam omninò perficiunt, non eſt, quur hoc non honeſtemus nomine. Quòd autem Ariſtoteles dixit, periodum, eſſe orationem habentem principium, & finem; principij, & finis nomine, intelligi voluit (4) *propoſitionem, & redditionem*: vel voluit, *periodum* habere debere (5) *principium, & finem*, vt diſtingueret ipſam ab oratione pendula, quòd illa ex ſeſe principium, & finem habeat, quandoquidem in ea modus ſeruandus eſt, ne nimis creſcat, & propterea additum eſt, quòd vnico intuitu conſpici facilè queat. At verò oratio pendens, finem non inuenit, niſi, quum res, quæ narratur, ad calcem perducta fuerit, & tunc, finitis rebus, ipſa, quaſi per accidens, inuenit finem. Quia ergo periodus principium, & finem habere debet, quæ non ſunt in his ſententijs. Noſce teipſum. Vel, Honora patrem & matrem, &c. ideo iſtæ, etiam ſi ſententiam perficiant, periodi non ſunt.

Periodorum autem, quædam eſt (6) *ſimplex, & vnius membri*, vt, In principio creauit Deus Cœlum & terram, Vel, Noſce teipſum. Et huiuſmodi membra, quum flexionem non habeant, non ſunt propriè dicendi periodi. Potiùs dicetur (7) *periodus vnius membri* iſta. *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux*. Dicitur autem (8) *vnius membri*, quando ſumitur cum alia parte, cum qua componit *periodum*, quamuis abſolutè ſit (9) *membrum*, vt, *Dixit Deus, Fiant luminaria in firmamento Cæli*, *membrum* tantum eſt, quum verò additur. *Et ſint in ſigna, & tempora, & dies & annos, periodus eſt*, cuius membrum eſt illud prius. Dixit Deus fiant luminaria in firmamento Cœli.

Quædam verò eſt *periodus plurium membrorum*, ſeu compoſita: & hæc eſt, vel (10) *duorum membrorum*, quorum vnum (11) *propoſitionem* continet, alterum (12) *redditionem*: Et hæc, vel eſt (13) *membrorum parium*, vel (14) *cuius propoſitio ſit maior*, vel (15) *cuius*

excedat

excedat redditio. Membra ſunt, vel eſſe videntur paria, quum numerus ſyllabarum vnius membri, compenſatur tempore, vel quantitate alterius; vt, Omnis vitæ ratio in virtute ponenda, quum præter eam fluxa ſint omnia. Numero, vel, quantitate excedit redditio, quum dico, Frumenta dantur, ſcyphus in iunioris fratris abſconditur ſacco: nam propoſitio eſt quinque ſyllabarum, redditio quindecim. Breuior verò eſt redditio, quum dico: Exhibenda prauis eſt aſperitas in oſtenſione, charitas in mente, vbi propoſitio eſt ſeptemdecim ſyllabarum, redditio ſex.

Vel (16) *periodus plurium membrorum* eſt *trium membrorum*: & hæc vel (11) *propoſitionem* habet, duorum membrorum. (12) *redditionem* vnius, vel è contra *propoſitionem* vnius, (18) *redditionem* duorum; prioris modi exemplum eſto: Sic in rigore clementiam tenuit, vt delinquentibus fratribus, ſine vltione pius non exiſteret, nec ſine pietate diſtrictus. Poſterioris verò: Vnus religatur in vinculis, dimittuntur cæteri cum frumento, vt vnus frater veniat, quem minimum dixerant ſe habere. Et hæc periodus (16) *trium membrorum*, vel eſt (17) *iſopleuros*, vel (18) *iſoſcheles*, vel (19) *aniſos*. Prima eſt, quum omnia membra ſunt paria in quantitate, tempore, & ſyllabarum numero: altera, quum duo membra ſunt paria, reliquum, quodcumque illud ſit, impar. Tertium, quum omnia ſunt imparia.

Vel periodus eſt (20) *quatuor membrorum*, & hæc, vel (11) *propoſitionem* habet (21) *trium membrorum*, (22) *redditionem* (3) *vnius*, vel è contra *propoſitionem vnius*, *redditionem trium*: vel tam *propoſitionem*, quàm *redditionem* (24) *duorum membrorum*: inter quas, hæc vltima periodus eſt elegantiſſima, quæ ab Hermogene (25) *Chiazomena* quaſi decuſſata dicitur, ad inſtar litteræ X. Quorum (26) *membrorum*, ſi quodlibet heroici verſus obtineat magnitudinem, mirum quantam grauitatem, ac elegantiam orationi conciliet. Vnde *periodus* quattuor hexametrorum magnitudinem habere poteſt, ſi vltra protendatur, ineptæ loquacitatis vitium contrahet. Nam ſi plura, quàm quattuor habeat membra non dicetur amplius periodus, ſed vel (27) *ſpiritus*, vel (28) *extenſio*.

Vtimur autem periodis frequentiùs in hiſtorijs, & toto genere Demonſtratiuo: non adeò frequenter in Deliberatiuo, ſed rariſſimè in Iuridiciali, ſiquidem qui in capitis verſantur periculo, parum de fucis, ac orationum ſollicitantur calamiſtris.

Ne

Ne illud eueniat, de quo ſtomachabatur Perſius, quum ait;

Fur es ait Pedio, Pedius quid? crimina raſis
Librat in antitheſis, doctas poſuiſſe figuras
Laudatur: Bellum hoc. Bellum hoc? an Romule ceues?

Vtimur eis nihilominùs in prœmijs, in narratione (niſi ſit inſtituta ad miſerationem commouendam), in amplificationibus, & locis communibus, & etiam in epilogis. Sicut autem periodorum illa eſt elegantiſſima, quæ redditionem, propoſitioni parem habet, ita, quæ membro finitur productiori, plus habet grauitatis, at, quæ breuiori terminatur, plus efficaciæ, quia quaſi penetratiuo inflicto iaculo, animum ſauciat, & cruentat.

Periodus ergo ad ſummum quattuor (29) *membra* habere poteſt, vt minimum duo, niſi ſit (30) *ſimplex*, quæ eſt (8) *vnius membri*, vt dictum eſt. (31) *Membrum* autem illud dicitur, quòd ſententiam abſoluit: Illud verò orationis genus, quòd ſententiam imperfectam relinqnit, non *membrum*, ſed (32) *inciſum* appellatur. Aliqui tamen *membrum*, & *inciſum* quantitate tantum differre dicunt, aſſerentes orationem quæ intra ſeptimam, vel octauam ſe continet ſyllabam, *inciſum*, appellari; quæ ſi vltra excurrat vſque ad quantitatem hexametri, dicetur *membrum*.

Ex huiuſmodi autem membris, & inciſis, duplex conflari poteſt oratio, (33) *iugis* ſcilicet, ſeu *pendula*, ac (34) *contorta*, ſeu *verſa*. *Contorta* cernitur in periodis, quæ iucunditatem parit, tum quia finem habet, quem omnes deſiderant, tum etiam quia ob numerum periodicum, quo menſuratur, memoriâ facile retinetur; *pendula* autem eſt iniucunda, quia niſi res fuerint terminatæ, finem inuenire neſcit, & numero caret.

Ex ijſdem (35) *membris*, & (36) *inciſis*, fiunt *Spiritus*, *extenſio*, & (37) *periodica*. *Periodica* quidem erit, ſi *membra* fuerint vltra quattuor, & inter illa fuerit (11) *propoſitio*, & (12) *redditio*. Nam quamuis argumentationem perficere, ſeu habere *propoſitionem*, & *redditionem*, omni conueniat periodo, non tamen ſoli, ſiquidem quum oratio habet vltra quattuor membra, non eſt periodus; & tamen ſi *redditionem* habeat, argumentationem perficiet, ideoque dicetur oratio *periodica*. Cuius magnitudo, eſto à quibuſdam dicatur non debere excedere octo membra, quæ faciat, geminam periodum, adeo vt minima *periodica*, ſit quinque membrorum, maxima octo. Meliùs tamen dicendum videtur, (38) *periodica* non eſſe certum *membrorum* numerum; Nam iſta

perio-

periodica eſt magni Gregorij. *Quem enim non extolleret, ora leonum frangere, vrſorum brachia diſſipare, deſpectis prioribus fratribus eligi, reprobato Rege, ad Regni gubernacula vngi, timendum cunctis vno lapide Goliam ſternere, à Rege propoſita, extinctis allophylis, numeroſa præputia reportare, Regnum ex promiſſione percipere, cunctumque Iſraeliticum populum (ſine vlla poſtmodum contradictione) poſſidere*. Huc vſque eſt *propoſitio*, nunc ſequitur *redditio* duorum tantum *membrorum*. *Et tamen in cunctis ſe deſpicit, qui in ſuis oculis ſe eſſe humilem confitetur*. Hæc igitur (39) *oratio* quum *propoſitionem*, & *redditionem* habeat, nec *ſpiritus* eſt, nec *extenſio*: Et quum habeat vltra quattuor *membra*, non eſt periodus, ſed dicitur (40) *peribolis periodica*, ſeu (41) *periodus peribolica*. Et ea vti poſſumus eodem modo ſicut periodo.

Spiritus, & *extenſio* accidunt, quum *oratio* non habet *redditionem*, ſed in ea, *membra*, & (42) *inciſa*, excurrunt vltra numerum quaternarium: nam tunc ſi tot ſint *membra*, vt vno quaſi ſpiritu proferri valeant, dicetur *Spiritus*; ſin procedat, longius, *extenſio* appellabitur. Vnde *ſpiritus oratorius* definitur ab Hermogene, quod ſit (43) *compoſitio orationis membris atque* (44) *inciſis abſoluens ſententiam, dimenſam ad moderationem ſpiritus, & ſonum vocis in oratore*. (45) *Extenſio* verò eidem Hermogeni eſt, *compoſitio orationis, inciſis atque membris abſoluens ſententiam, dimenſam ita, vt protendatur vltra quam ſpiritus, & latera oratoris ferre valeant*. Talis *extenſio* eſt illa (46) *gradatio*, quàm facit Paulus dicens. *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*. Sed veriùs huiuſmodi videtur (47) *ſpiritus*. *Extenſio* tamen erit in eodem Paulo quum inquit. *In quo quis audet, audeo & ego: Hebræi ſunt, & ego: Iſraelitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego: Miniſtri Chriſti ſunt, vt minùs ſapiens dico, plus ego. In laboribus plurimum, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minùs accepi: ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui; In itineribus ſæpe, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in Ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus. In labore, & ærumna, in vigilijs multis, in fame & ſiti, in ieiunijs mul-*

tis, in frigore & nuditate &c. Quo dicendi charactere vtemur in exordijs grauium cauſarum, quæ perplexitatem habere videntur: poſſumus etiam eo vti in narrationibus, & in media oratione, ad faſtidium, ac ſatietatem vitandam, & vt artificium magis lateat. Obſerua etiam longiorem ſpiritûs productionem, quam extenſionem diximus, (48) *cathaphoram* ab Hermogene dici, quæ tantum in Accuſatore locum habeat, vbi vehementia eſt opus, ſecus verò in alijs.

Itaqne (39) *oratio ex membris,* (49) *& inciſis*, quum intra (50) *membrorum quaternitatem* ſe continet, periodus dicitur, & eſt maximè pulchra quum *teres*, ſeu (51) *volubilis* fuerit. Quòd ſi fuerit (52) *pendula*, *inciſis* conſtans, ac *membris*, eâ vtemur in narrationibus ad dolorem excitandum inſtitutis, potiùs quàm ad delectandum. Vniuerſalitèr etiam *inciſis*, & *membris* vtemur ad effectûs commouendos, nempè quum aliquid metuendum, aut miſerandum oculis ſubijcere volumus, eiſdem etiam, ac ſpiritu, vſus erit, quum aliquid acriter, ſeu pugnacitèr probare, vel refellere volumus.

(1) περίοδον (2) λέξιν (3) κατ᾿ ἐξοχὶν (4) πρότασιν καὶ απόδοσιν (5) ἀρχὶν καὶ τελευτὶν (6) ἀπε λῆ καὶ μονόκωλος (7) περίοδος μονόκωλος (8) μονώκωλος (9) κωλον (10) δίκωλος (11) πρότασιν (12) ἀπόδοσιν (13) ἰσόκωλος (14) μακρόκωλος (15) βρακύκωλος (16) τρίκωλος (17) ἰσοπλὲυρος (18) ἰσοσκελὴς (19) ἄνισος (20) τετράκωλος [21] τρικωλῶν (22) ἀπόδοσιν (23) κῶλου (24) δικωλῶν (25) χιαζομένα (26) κωλῶν (27) πνεῦμα (28) τάσις (29) κῶλα (30) ἀφελῆ (31) κῶλον (32) κόμμα (33) ειρομένης (34) κατεστραμμένης (35) κωλοῖς (36) κομματῶν (37) περιοδικὴ (38) περιοδικῆς (39) λέξις (40) περίβολις περιόδικις (41) περίοδος περιβόλικις (42) κομματα (43) κωλοῖς (44) κόμματων (45) τάσις (46) κλίμαξ (47) πνεύμα (48) καταφοράν

 (49) κόμ-

(49) κόμμασι (50) τετρακωλίαν (51) στρογγυλότης 52 εἰρομένης.

CAPVT SECVNDVM.

De Numero, & pedibus Oratori permiſſis.

Offenditur animus ſonorum aſperitate, quippe qui delectabilia ſemper ſectetur; delectatio verò ex eorum naſcitur moderatione. Quum ergo orator allicere, ac delectare debeat auditores, quibus ſuam perſuaſam vult eſſe ſententiam;ad hunc finem vt proſpicere debet periodum, & alias orationis partes, ita etiam numerum ac ſonum orationis, quandoquidem ſi hic concinnus fuerit, illabetur ſuauiùs in animum, eumque faciliùs mouebit, ac impellet ad id, quòd orator intendit. Numerus autem, de quo loquimur, eſt is, qui in oratione percipitur, qui definitur ab aliquibus, quòd ſit quicquid ſub aurium cadit menſuram: Sed meliùs dicetur, Conueniens ſententiæ ſonus, ex compoſitione, diſpoſitioneque partium naſcens. Exdem namque partes, ſeu voces, diuerſimodè ad inuicem diſpoſitæ, diuerſum edere ſolent ſonum.

Hic autem orationis numerus, duplex eſt, poëticus vnus,qui (1) *metrus* dicitur,oratorius alter, qui (2) *rhytmus*. Et hunc Oratorium primus, vt fertur, inuenit Traſymachùs,Chalcedonius, auxit Gorgias Leontinus, ſed Iſocrates ad perfectum perduxit. Differt autem à metro, quia metrus, vbique æqualiter ſeruatur, ſed rhytmus minùs curatur in medio, magis in principio, ſed maximè in fine membri, vel periodi, aut ſententiæ. Præterea numerus poëticus ſemper ſui ſimilis eſſe debet, Oratorium oportet eſſe diſſimilem, alioquin *Citharœdus*.

Ridetur qui ſemper chorda oberrat eadem,

ſiquidem ſimilitudine cognitus, contemptum generat, ac faſtidium, fidemque abrogat orationi, quaſi hæc lucernam oleat. Quapropter orator, vt latenter irrepat, varijs differentibuſque, currere pedibus debet.

Poëtico igitur numero omiſſo, oratorius ex Ariſtotele definiri poteſt tali modo:Numerus Oratorius eſt *rhytmus quidam non exqui-*

exquiſitus, neque canorus, qualis eſt in canticis, & poëmatibus, ſed ita diſſimulatus, ac latens, vt tamen ſentiatur, & orationem iucundo fine concludat. Vel, eſt *modulus quidam orationis, è permixtis, & confuſis pedibus, ac temporibus, quibus conſtat, apta ratione naſcens.* Hinc eſt, quòd oratores vitare in oratione ſoluta ſummopere ſtudent, ne incipiant, aut deſinant cum verſu, vel etiam hemiſtichio. Et nihilominùs tales frequenter exciderunt celeberrimis hiſtoricis, ac oratoribus. Id tamen eſt intelligendum de illuſtrioribus verſuum generibus: nam cauere omnino ab illis verſibus, qui affinitatem quandam cum oratione ſoluta habere videntur, vt ſunt iambici, vel ſapphici, impoſsibile exiſtimatur.

Maximè aduerſatur numeroſæ orationi, breuium, aut longarum ſyllabarum continuatio, quandoquidem hæ pigram, lentamque illam reddit, vt eſt videre, quum dicis.

Romani, muris Albam cinxere longam,

vel,

Romani victores, Germanis deuictis:

illæ verò quaſi puerilium crepitaculorum referentes ſonum, orationem euirare videntur, vt

Perijt auipedis
Animula leporis:

vel,

Animula miſerula
Properiter obijt.

Orationis ergo initium, etſi omnes recipiat pedes, elegantiores tamen, qui in eo reponuntur ſunt, in primis ſpondæus, conſtans duabus ſyllabis longis, vt mater: ſecundò, anapeſtus, conſtans tribus ſyllabis, nempè prioribus breuibus, vltima longa vt, populus, multitudo: tertio Dactylus, conſtans prima longa, & duabus breuibus, vt, populus, arbor: quartò creticus, conſtans primâ & vltimâ productis, mediâ correptâ, vt, maximus: quintò moloſſus, tribus productis, vt viderunt, ſextò pæon primus, qui æquiualet choræo, & pyricchio, nam conſtat quattuor ſyllabis, priori longâ, & cæteris breuibus, vt compulerat, ſeptimò dochimus, qui æquiualet anapeſto, & iambo, nam conſtat quinque ſyllabis, primâ, & penultimâ, breuibus, ceteris longis, de quo pede Rufinus dixit,

Principium finem ac medium tibi Dochimus ornat,

vt pater præſtitit.

In mediâ periodo, minùs numerum curamus, ſolliciti tantum eſſe debemus, ne ſit in ea aliquid aſperum, aut hiulcum; quod quâ ratione fieri debeat;in ſequentibus oſtendemus.Commendatur nihilominùs in medio pæon, primus, conſtans primâ ſyllabâ productâ, & tribus ſequentibus correptis, vt, compulerat: & pæon ſecundus, conſtans ſecundâ tantum productâ, reliquis correptis, vt, triennium: & pæon tertius, conſtans tertiâ longâ; ceteris breuibus, vt, videatur, & pæon quartus conſtans tribus prioribus ſyllabis correptis, vltimâ productâ, vt, redierant. Et creticus, conſtans tribus ſyllabis, nempe mediâ correptâ, extremis productis, vt, optimus, & bacchius illi oppoſitus, conſtans itidem tribus,mediâ productâ,extremis correptis, vt, amando.

In fine,vſitatiſſimus eſt ditrochæus,quem ſæpe antecedit creticus, vt, ſententiâ liberatus, vel, amentiam perditorum: vtimur etiam antiſpaſto,conſtante quatuor ſyllabis,quarum extremæ ſunt breues,mediæ longæ,vt fateretur, & pæone tertio,quem debet præcedere, vt plurimum, breuis ſyllaba, ne periodus in hexametri finem deſinere videatur, vt, eſſe videatur: & ionico maiore, æquiualente ſpondæo & pyrichio, nam conſtat duabus prioribus longis, ſequentibus vero duabus correptis, vt, compungimur: & epitrito quarto, quem antecedit ſpondæus, vel iambus, aut choræus,vt,infringendus:ſub quo quarto epitrito, comprehendimus diſpondæum, vt ſub antipaſto epitritum primum, & ſub dichoræo epitritum ſecundum: & ſub ionico maiore epitritum tertium: & ſub pæone tertio ionicum minorem: ſiquidem differunt tantum ratione vltimæ ſyllabæ, quæ etſi breuis ſit, quia tamen vltimo loco profertur, duo habet tempora, ideoque longa cenſetur. Vtimur etiam alijs pedibus in oratione, ſed hi ſunt frequentiores.

(1) μέτρος. (2) ῥυθμός.

CAPVT TERTIVM.

De compoſitione & iunctura partium orationis.

COmpoſitio eſt aptus ordo partium inter ſe cohærentium; Partes autem orationis, vt nunc de illis loquimur, ſunt elementa, ſyllabæ, ac voces, quarum concinna collocatio, mirum, quantum illi accerſat ſplendoris. Attenditur autem in compoſitione, tum iunctura, tum ordo. Contra ordinem peccatur, quum ſublimioribus humiliora ſubijciuntur, quum enim oratio creſcere debeat, prius humiliora dicenda ſunt, & demum celſioribus oratio terminanda, vt ex ijs quæ vltimo proponuntur loco, auditor diſcedat conceptâ magnificâ opinione de re audita. Aduerte autem, quod in extenuationibus, vt oratio creſcat, à grauioribus ad leuiora eſt procedendum. Sic creſcit Gregoriana oratio, quum ait. *Qui cæleſtis vitæ dulcedinem, in quantum poſſibilitas admittit perfectè cognouerit, ea, quæ in terrenis amauerat, libenter cuncta derelinquit, in eius enim comparatione vileſcunt omnia, deſerit habita, congregata diſpergit: inardeſcit in Cœleſtibus animus, nil in terrenis libet, deforme conſpicitur quicquid de terrenæ rei placebat ſpecie, quia ſola pretioſæ margaritæ claritas fulget in mente.*

Ad ordinem etiam pertinet, vt id, quod eſt naturâ prius, vel communius, aut digniùs, præponatur ei, quod eſt poſteriùs, vel ſpecialiùs, aut minùs dignum. Vnde potiùs dicemus, viros & fœminas; vitam, & mortem; ortum, & occaſum; lucem, ac tenebras; quàm è contra. Niſi aliquando vti expediat figurata loquutione, nempe (1) *hyſterologia*, ſeu vt vocant (2) *poſterius prius*, quã id, quod eſt poſteriùs ante efferimus, vt ſi dicamus aliquam, Lucinam pati, ac Hymenæos, quum tamen nuptiæ, partum præcedant, vel ſi dicamus, ad pugnam exhortando; Moriamur, & in media ruamus arma, quum tamen prius ſit ruere in oppoſitas acies, quam hoſtium confodi gladijs, & occumbere.

Iunctura autem dat orationi ſuauitatem, ſonoritatem, ac plenitudinem, præſtatque ne ſit aſpera vel hiulca. Vnde potiùs dicendum erit: Quod precatus ſum, quam, Quod rogaui: ſiquidem quum A, & O, ſint vocales grandes, E verò exilis, ſuauior eſt ſonus quum dicitur, Quod precatus ſum, vbi interponitur exilis, quam dicendo, Quod rogaui. vbi continuantur. Et hic obſeruanda ſunt ſingula elementa, vt cognoſcamus, quod nam ipſorum

ſorum ſuauem, aut grandem, vel his contrarium ſonum habeat, & quo loco ſit vnoquoque vtendum in oratione, iuxta vniuſcuiuſque exigentiam.

A, igitur eſt elementum planè ſonorum, ideoque in primis frequentatur quum ſermo incidit de rebus horridis. Eiuſdem elementi geminatio, ſuauitatem habet, ſi corripiatur; ſublimitatem verò ſi ſæpius producitur. Ab exemplis abſtinemus, ne in immenſum creſcat volumen.

E, & I, quum breuiantur, dulcem & exilem reddunt ſonum: quorum E, defunctis conuenit, vt & morientibus, vel in medio mortis periculo verſantibus: & etiam exprimendæ miſeriæ, ſiue propriæ, ſiue alienæ, nec non ad oſtendendam formidinem. I verò accommodatur quibuſcumque rebus putidis, ſiue exilibus, conuenitque maximè lugentibus.

O, correptum, locum habet in rebus ſubitis, ac repentinis: productum verò deſeruit indicandis affectibus, & tunc grandem, ac ſublimem reddit orationem. Huius elementi geminatio intra eamdem periodum, hiulcam reddit iuncturam, niſi forte terminet membrum, aut inciſum, & aliud ab eodem incipiat elemento. Melius tamen ab eo inchoabitur ſequens periodus, quando præcedens eo fuerit terminata.

V, magis ſonorum eſt quam E, vel I, ſed minus quam A, & O; eſt elementum proportionatum exprimendis rebus abditis, ſeu occultis; conuenitque luctuoſis & infernalibus.

B, elementum eſt inſuaue, maximè quum geminatur, ideoque ſæpe, aut omittitur, aut commutatur. Huic proximum eſt P; & ambo, vt etiam F, conuenientia ſunt exprimendis flatibus: & quando P pronunciatur cum arctatione, & compreſſione labiorum, eius repetitio deſignat vim, ſiue compreſſionem & violentiam, aut temporis continuitatem. Q. verò nedum violentiam, ſed etiam quaſſationem indicat.

C. & G moram ſignificant, ac tenacitatem, quam vim habet etiam littera T, & hac vtimur etiam ad exprimendum crepitum eorum, quæ comburuntur. Eadem eſt vis litteræ D, quæ validius ſonat quam T. vnde T. videtur D. mollitum.

L. ſemiuocalium ſuauiſſima vocata ab Halicarnaſſæo, rebus conuenit mollioribus. M. verò exprimit murmur, præſertim quum ei miſcetur R; conuenit etiam vaſtis, ac inſuauibus rebus. R. autem eſt vocalium maximè generoſa, & propterea apta ad expri-

exprimendum metum, præſertim quum res acerbæ ac vehementes veniunt dicendæ; rebus enim atrocibus, inquit Fabius, verba conueniunt ipſo auditu aſpera. Hinc huiuſmodi littera conuenit iratis, ac furentibus, & propterea dicitur littera canina, iuxta illud Perſij

Sonat hic de nare canina
Littera.

Et ſi L ipſi coniungatur, mirificum exprimit ſonum: Si verò in eadem periodo ponatur cum S, furorem deſignat, quia R rabiem, S. dat exſibilationem. Ipſa etiam S, quæ tam à figura, quam à ſono, denominatur littera ſerpentina, conuenit per ſe fluminibus, flatibus, ac ventis, quæ ſibilo ſonum edunt. Habet etiam ſuauitatem, ideoque in ſuauiſſimarum rerum vocabulis, ſaporibus & ipſo ſuauitatis nomine, vſurpatur. Vnde ſicut in reliquis, ita & in hac, videndum cui aliarum coniungatur, quia vt in frondium, fluuiorum, flatuumque ſuſurris, & in ſericis, eſt eius aduertere ſonum, ita & in ſerpentum ſibilo, ac hoſtili exſibilatione. Vtrum autem conueniat eamdem geminare litteram, vel ſyllabam, id quod vitio dant Critici, dicimus id temerè non eſſe faciendum oratori, poëtam tamen non dedecere, ideoque à celebrioribus frequentatum.

N quia intus cohibere cernitur ſonum vocalis additæ, conuenire videtur explicandis rebus obſcuris, & intus latentibus: quæ eadem eſt ratio aliarum liquidarum. V verò conſonans, quod ſonare dicitur fortius quam B, infirmiùs quam F, cenſetur elementum accommodatum exprimendis ſonis, nec omnino obſcuris, nec occultis. X vaſtum habet ſonum, & aſperum, ideoque rebus inſuauibus, ac duris conuenit. Z vero exiſtimatur ſuauius, quapropter vſurpatur etiam in delicijs.

Non ergo dedecet, data occaſione, eamdem frequentare ſyllabam, immo & vocem, nedum idem elementum, quum Magnus Gregorius id in vſu habuerit, dicendo. *Opere repelli, Mortem tempora, Viruit in carne, aruit in puluere &c.* & aliàs ſæpè tam ipſe, quam alij Patres, & oratores tam ſacri, quam prophani; Noſtrates & Ethnici. vt de poëtis taceam, ſyllabas dictioneſque replicarunt: nec eſt de ſacris putandum quod id affectauerint, ſed tantum, quod incidentes non curauerint euitare. Contra quam faciant nonnulli noſtri æui Ariſtarchi, ac cenſores; nimium ſuperſtitiosè omnem damnantes ſyllabæ repetitionem.

Non

Non negauerim tamen, defectum incurrere eos, qui ſine cauſa, vel neceſſitate, ſæpius caſdem voces ac ſyllabas addēſauerint, in eadem, vel proximis periodis: nec eos excuſauerim per plauſūs populares, nam eſto populus aliter nunc, ac olim de hac re iudicet, quia libenter nunc tales recipit repetitiones, quas olim exſibilabat, non tamen propterea illepidus iſte lepor eſt affectandus; nam eo oblectatus auditor, dum ſemper nouum aliquid expectat huiuſmodi, minùs ad principalem cauſam attendit. Vt itaque huiuſmodi repetitiones ſponte oblatæ, non ſunt ſuperſtitiosè reijciendæ, ita nec affectandæ, aut ſtudiosè accerſendæ; tenendus eſt, in his maximè, modus, qui in alio quouis negotio eſt neceſſarius.

Ad calcem huius capitis, ac libri deuenimus. Vnum tamen ſupereſt adhuc obſeruandum, ad iuncturam pertinens, nimirum, ne voces monoſyllabas addenſemus, alioquin oratio ex eis coaleſcens, conciſa euadet, minuta, & nonnihil hiulca. Nec eſt admodum maior de diſſyllabis ratio. Quales enim ſunt voces, talem reddunt orationem, minutæ minutam, protenſæ nimis tumidam: protenſas autem appello, quæ excurrunt vſque ad quatuor, vel quinque ſyllabas, vt, quæ dicebantur ſexquipedalia verba. Tales inquam voces, ſi rariùs interponantur, maieſtatem, grauitatemque orationi communicant: ſi verò addenſentur, inflationem tribuunt, ac tumorem, maximè ſi ſyllabis conſtent longis, vt eſt vox Conſtantinopolitanus, ſola tetrametrum exhibens, cuius tertius tantus pes eſt choræus, ſpondæi cæteri. Decet ergo, longiora vocabula, breuioribus intermiſcere, nullatenus verò continuare. Mirum enim, quantum natura varietate gaudeat, ac nouitate: adeoque voces eiuſdem quantitatis ac ſoni, ſeu ſint illæ longæ, ſeu breues, ſi continuentur, omnino auerſatur. Immò quamuis extremè horreat has extremas, medias, quæ nec longæ dicuntur, nec breues, vt triſyllabæ, ſi nimis addenſentur, abſque eo quòd ijs, admiſceantur diſſyllabæ, aut monoſyllabæ, vel tetraſyllabæ, aut etiam voces penta, & heptaſyllabæ, non admodum recipit. Itaque conſilium eſt, in ijs temperare, & variare vnam cum alia, vt vitetur faſtidium, quod etiam, in dulcium frequenti vſu, excitatur. Et hæc de Diſpoſitione.

(1) ὑςερολογία (2) ὕςερον πρότερον.

ORA-

ORATORIARVM
INSTITVTIONVM
LIBER TERTIVS.

De Eloquutione.

TRES Oratorij officij partes eſſe dicebamus, inuenire ſcilicet, aptè diſponere, ac conuenientèr exornare De duobus primis iam actum, exornationem hoc libro dabimus; primò enim videndum fuit, quid diceremus, ſecundò, quo ordine, tertiò videndum ſupereſt quibus verbis. In hoc verò tractatu conſideranda maximè eſt eloquutio, quam tanti fecit antiquitas, vt, Halicarnaſſenſe teſte, Iſocrates, vt minimum, cuilibet Panegyrico decennium impenderit; Plato verò, ad octogeſimum vſque annum, ſuos nō deſtitit erit pectere, ac calamiſtrare Dialogos. Et quidem meritò, quum tota hæc facultas ab eloquutione, eloquentia ſit appellata, (quantumuis eloquentia, non eloquutionem dumtaxat, ſed alias etiam partes importet,) quaſi illa ſit principalior, hæ verò forent, acceſſoriæ. Definitur verò, quòd ſit idoneorum verborum, ac ſententiarum, ad res inuentas accommodatio. Et diuiditur in communem, ac propriam: Illa eſt, cuius doctrina ad certam determinatamque aliquam materiam non arctatur:

alia, cuius materia determinati alicuius generis eſt, vt philoſophici, hiſtorici, oratorij &c. In ea præter conſtructionem, de qua libro præcedenti, elegantiam ſpectare debemus, ac dignitatem, lumina, ac characteres, de quibus nunc agendum hoc libro, quem, vltimo obſignabimus oratoris munere, nempè pronunciatione.

TRACTATVS PRIMVS.

De Elegantia.

COmprehendimus hoc nomine, tum verborum Delectum, ac proprietatem, tum ſententiarum ex ipſis coaleſcentium perſpicuitatem, breuitèr tamen, quia exacta harum rerum conſideratio, Grammatici potiùs eſt, quàm oratoris. Ideo ſit.

CAPVT PRIMVM.

De Latinitate.

LAtinitas, (& idem eſt de Græcanitate) importat puritatem illius linguæ; quàm aſſequemur per obſeruantiam Grammaticalium præceptorum, & conſuetudinis optimorum ſcriptorum; Non enim eſt aliud Latinitas, quàm obſeruatio, ſeu imitatio incorruptè loquentium ſecundùm Latinam linguam. Pura autem erit loquutio, ſi curauerimus, vt noſtra verba ſint cognita illis è veteribus, qui probo ſunt vſi, caſtoque ſermone. Hinc Latina putamus eſſe verba, nedum quæ Romæ nata fuere, verum etiam, quæ aliunde aſcita, Latinitate à probatis ſcriptoribus donata fuere, vt gazæ, & mapalia, quorum illud Perſicum, hoc Arabicum, quia per Virgilium, Saluſtium, & alios, meruerunt peregrinitatem exuere, Aliqua tamen, & ſi ab antiquis Romanis vſurpata, dedecerent ſcriptorem huius ſeculi, vt, poterium, & prothymi, Plauti, nempe potum, & alia, quæ licet è Græcia aſcita, poſterioris tamen æui ſcriptores, ea amandarunt.

Quòd ſi in eiuſmodi neceſſarius eſt delectus, potiori iure hic adhibendus erit in ijs ſeligendis, quæ, collapſâ iam, ex Barbarorum

rum colluuie Romanâ linguâ, introducta fuere. Neque hinc tamen inferas, abſtinendum quoque fore vniuerſim ab ijs vocibus, quæ propriæ videntur alicuius facultatis, ſiue ſcientiæ, vt de pluribus Theologicis, ſeu philoſophicis dicitur, ſiquidem vanum foret, philoſophicum ſermonem ad lancem fori, vel Romani reuocare Comitij. Inmò nec probamus ſuperſtitioſam, quorumdam diligentiam, qui, quò nitori, ac Latini ſermonis ſtudeant puritati, ſacræ ſcripturæ idiotiſmos, & probatorum Patrum voces, excludunt, qui pro Synagoga, Collegium, pro Eccleſia, Rempublicam, pro fide, confidentiam, pro Angelo, Genium, pro baptiſmo, lotionem, ſubſtituunt, & pro, Verbum caro factum eſt, dicere malunt, Sermo corporatus fuit.

Verum huiuſmodi (1) *vocum nouitas*, redditur meritò ſuſpecta, minùſque fidei ſapit ſinceritatem, quum ſententiæ, propriâ Venere, & quaſi natiuo cuiuſque linguæ foueantur decore, ſuſtineanturque certis idiotiſmi fulcris, quas ſi in alias, veluti colonias deducas, gratiam priſtinæ commendationis amittent. Hinc Auguſtinus docet, *verbum, quod niſi obſcurum ſit, vel ambiguum, non poſſit eſſe Latinum, potiùs proferendum eſſe more vulgi, quò dicentem, auditoris ſequatur intelligentia, quam vt fertur apud doctos, ſed ab auditoribus non percipitur*, vnde potiùs dicendum eſſe oſſum, quàm os, vbi auditorum aures non aſſueuerunt diſcernere inter os oſſis, & os oris, quandoquidem loquendi nulla omninò eſt cauſa, ſi auditores, quòd loquimur, non intelligant. Si tamen aliquod verbum purè Latinum, ſiue Græcum aliàs incognitum, & obſcurum, dicere velimus, quia fortè inter auditores ſunt qui illud intelligunt, vel quia maiorem habet emphaſim, addemus eius vulgatam expoſitionem, vt apud Plautum, vel Gellium eſt,

Sophiam me vocant Graij, vos ſapientiam.

Eſto etiam verba ſint purè Latina, nihilominùs non exiguo in ijs eſt opus delectu, quandoquidem Latinorum verborum, quædam poëtis magis, quàm Oratoribus conueniunt, quemadmodum Virgilius Cererem pro tritico, cruſtum pro pane, pro vino Bacchum ferè perpetuò ponit, quòd orator non faceret. Poëticæ ſimiliter voces ſunt, ſquamigeri pro piſcibus, certum facere, pro certiorem reddere: tueri longa, pro aſpicere: eliminare, pro arcanum efferre: iuuenari pro laſciuire: furiare pro in furorem agere: clarere, pro illuſtrare: pauperare,

 pro

pro damno afficere, & aliæ ſimiles. Ab huiuſmodi ergo vocibus oratores abſtinere debent, niſi fortè in epiſtolis familiaribus, maximè in ijs, quæ redduntur viris, qui Muſis capiuntur, vel niſi quid loqui velimus, poëtas imitando, vel niſi poëtas loquentes inducamus. Idem ſentiendum eſt de vocibus obſoletis, ac ſordidis, quòd ſcilicet, ſi antiquos, Numam, Euandrum, Carmenam, vel eius æui hominem loquentem induceremus, non dedeceret detritis vti, ac deſitis vocibus: Et, ſi quem è vulgo dicentem exprimere velimus, illius proprię erunt ſordidæ voces.

Sordida autem ſunt verba, quæ humiliora putantur, quàm rei dignitas poſtulet, vt, ſi litteratum auidum, earum appelles, aut librorum, helluonem; vel ſi familiarem amicum, dicas, congerronem. Vniuerſim ſordida illa creduntur, quæ à vilibus artibus, ſeu opificijs ducuntur, vt à popinis, ſeu culinis, aut coriarijs. Huiuſmodi nihilominùs verba, neceſſariò aſſumenda venient, quum ſermo de ijſdem artibus, ſeu opificijs inciderit, vel earum opificem loquentem exprimere voluerimus. Vndè ſtercus, & ſtercorandi verbum, quòd eſt ſordidum, quum apud Principem de Rep. agimus, tale non eſt apud agricolas, quum loquimur de agricultura.

Priſcis etiam, inuſitatis, & obſoletis maximè vocibus, parciùs eſt vtendum. Priſcæ cenſentur, ſi quis expectorare dicat, pro, verbis animi conceptum expromere: actutum, pro quàm primùm: antigerium, pro valde: creperum, pro dubio: hoſtimentum, pro compenſatione, hoſtire pro compenſare: vitulari, pro gaudere: iumentum, pro vehiculo, temetum pro vino; cluere pro pugnare, hoſtis pro hoſpite, cuiuſmodi vocibus vſa eſt antiquitas. Priſcæ etiam ſunt, quarum rarus eſt vſus, & propterea inuſitatæ videri poſſunt, vt ſi dicas interduatim, vel interatim, pro interdum vel interim: titilliuitium, pro te nihili: vagorem pro vagitu, ſenes paſſos, pro rugoſis. Multò magis priſcæ, & quæ ferè in deſuetudinem abierunt, ideoque obſoletæ creduntur, boninari, pro tergiuerſari: apluda pro furfure: flox, pro fece. Tales ſunt voces illæ, quas refert Varro ex axamentis (nempe ex legibus, quæ erant ſcriptæ in axis, ſeu tabulis) nimirum. *Omnia dapatilia comiſſe Iani Cuſiones, Duonus Ceruſes Deinos Ianos venet*, ideſt Iani, nempe Solis: cuſiones, nempe Sacerdotes, qui in Curijs ſacra faciebant; comiſſe,

miſſe, ſeu comediſſe, aut comederunt: omnia dapatilia, nempe lauta, & opipara: Duonus Ceruſes, nempe bonus creator: Deiuos Ianos, vel Diuianos, eſt Diuus Ianus, nempe Sol, ſicut Luna dicta eſt Dea Iana, vel Diuiana, vel Deiuiana, & Diana: Venet, nempe venit: quia antiqui frequenter pro i, vtebantur e. Ad idem vocum genus pertinet perbitere, pro perire: bitire, aut betare, pro peregrinari: Nenum, nenu, & neuo, pro non: ſos, pro ſuos, aut eos: ſam, pro eam: topper, pro citò Et alias huius generis voces, quas ſi quis paſſim, & frequenter vſurpet, putabitur cum Euandri matre, aut Caſcis Italis, ſermonem miſcere velle, vel ius Aborigenis dicere.

Non ergo in omni oratione ſunt eæ interſerendæ, ne nobis accidat, quòd Siſennæ Critilij patrono, qui dixit crimina Critilio obiecta, ſputatilica eſſe. Quòd actor audiens, inquit: *Circumuenior, Iudices, niſi ſubuenitis: Siſenna quid dicat, neſcio, inſidias metuo. Sputatilica! quid eſt hoc? ſputa quid ſit, ſcio (& expuit) Tilica, neſcio.* Aut quòd alteri patrocinanti equitem Romanum, qui, vt miſerationem moueret, ait: *Me miſerum! Eques Romanus apludam edit, ac floces bibit.* Ad quæ verba, auditores, & Iudices mirabantur voces illas. Tum actor, *Quonam*, inquit *vſque nos bouinator hic demoratur?* Tunc auditores ampliùs mirati ſunt. Sed actor inquit: *Nonne Lucilium legiſtis dicentem, Hic ſtrigoſus, bouinatorque, ore improbus duro.* Ad hæc, Rei patronus ſubiunxit: *Netu meliùs Plautum, vel Cecilium legiſti, quibus apluda caninus panis eſt è furfure; & floces, vini ſunt faces?*

Hinc obſeruandum, quod monet Fabius Quintilianus, dicens: Verba è vetuſtate repetita, non ſolum magnos aſſertores habent, ſed etiam adferunt orationi maieſtatem aliquam, non ſine delectatione, nam authoritatem antiquitatis habent, & quia prætermiſſa ſunt, gratiam nouitati ſimilem parant; ſed opus eſt modo, vt neque crebra ſint, neque manifeſta, quia nihil eſt odioſius affectatione, Nec vtique ab vltimis, & iam obliteratis repetita temporibus, qualia ſunt topper, & autigerio. Itaque iudicio in talibus opus eſt, quòd non attendunt, qui vel ſic ea conſectantur, quaſi cum Accio, vel Pacuuio loquerentur: vel ſic refugiunt, quaſi ſermo cum calonibus haberetur, ac lixis; Si quid tamen in hac partem peccandum foret, meo quidem iudicio, peccandum potiùs monerem oſtentatione, quàm deſpectu eruditionis, & in nimio cultu, quàm in ſermonis ſordibus:

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

bus: nam poſtquam ſermo Latinus vulgò deſijt, nulla nobis vulgi eſt cura habenda, ſed eorum tantum, quos commendat eruditio; Quæ ſi in orationibus vera ſunt, veriora erunt in Epiſtolis, quę talibus dantur, qui tali gaudent ac pollent eruditione.

Eadem erit ratio de vocibus peregrinis, quòd ſcilicet non ſint frequentandæ; nec tamen ſuperſtitiosè omninò vitandæ, maximè, quum apud probatos authores peregrinitatem exuiſſe, & Latinitate donatæ videri poſſunt; Sicut diximus de voce Gazæ pro diuitijs, luxu, & opulentia, quæ eſt vox Perſica: mapalia pro tabernaculis, & tentorijs, quæ eſt Arabica: Paraſanga, pro ſpatio triginta ſtadiorum, quæ eſt etiam Perſica: eſſedum, pro rheda, quæ eſt vox Britannica; caſcus pro vetulo, quæ eſt Sabina: vri, pro bobus, quæ eſt Gallica, cuius item nationis ſunt geſſa, & merga, pro medulla, ſeu adipe terræ, quæ effoditur ad agros lætificandos: Nonnus, & Nonna, voces acceptæ ab Ægyptijs, pro ſancto, & ſancta, in vſu apud veteres Chriſtianos, pro ſanctimonialibus, & monachis, qui in Ægypto maximè florebant. Et ſic de alijs.

A vocibus tamen duris abſtinendum eſt, quamquam non tàm voces, quàm metaphoræ duræ videantur. Cuiuſmodi fuit, quod quidam dixit, Remp. caſtratam fuiſſe morte Camilli, quum dicere vellet, Reip. robur illius ſummi Ducis obitu, concidiſſe. Similiter, quòd Furius habet:

Iuppiter hybernas cana niue conſpuit Alpes,

ſignificare volens, quòd ningeret. Durum etiam fuit, quòd alius dixit *Campos ſuſtulit pacis, belli montes excitauit*, ſed de his ſequenti tractatu ſermo redibit.

Denique ſunt quædam voces, quæ dicuntur nouæ, aut nouatæ, quas Cicero, factas appellat, à quibus (niſi neceſſitas vrgeat) abſtinendum eſt, ſiquidem obſunt, nedum puritati, ſed etiam orationis perſpicuitati: fieri enim vix poteſt, vt notæ ſint, quæ à dicente primum gignuntur. Et eſto intelligerentur, repugnant tamen elegantiæ, quæ antiquitatis eſt ſtudioſa: quapropter Varro, edítimum potiùs dicendum rebatur, quam edituum, quòd hæc foret vox recenti facta nouitate, illa antiquâ origine incorrupta.

Nouari tamen trifariam poſſunt voces, primò, fingendo nouas, quomodo primus Nero, morari dixit, à Græco (2) *moros*, pro ſtultitia, & fatuitate. Secundò, deflectendo ad alium vſum,

quo-

quomodo Ductare exercitum, vel patrare bellum, noue dictum fuit, quum prius, illud ſenſum haberet obſcœnum, iuxtà illud, meam ductes gratis: iſtud verò dicebatur de eo qui liberis procreandis operam dabat. Sic & obſequium, erat ſtudium gratificandi in flagitio, ſed noue acceptum eſt in bonam partem. Tertio, voces compoſitione nouantur, in quo nouandi genere, vt Græci, Latinis ſunt feliciores, ſic Italis, Latini. Huius generis ſunt, Vitilitigator, pro calumniatore, ſeu habente vitium litigandi: ad cuius inſtar formata eſt vox Vitimagiſtratus, de eo, qui vitio magiſtratum iuuaſit, & eſt adeptus. Sic compoſitione nouatæ ſunt voces, Bubſequa, pro bubulco ſequente boues; & funambulus, & aliæ ſimiles. Poſſunt vlterius nouari voces, deriuatione, vt, Muſinari, quá vſus eſt Varro, à Muſis; & Syllaturire, aut, proſcripturire, nupturire, verbigerari, quæ voces gratiam habere videntur, ſi modicè, & loco, veluti adſpergantur, quandoquidem etiam in cibis, acor ipſe iucundus eſt.

Quæri hic poteſt, num expediat voces Græcas Latinis intermiſcere? Tiberius, frigidus antiquitatis affectator, Græcas voces nouercali inſequebatur odio, in ſermone Latino, adeo vt Monopolium, occaſione quadam, dicere debens, veniam à Senatu petierit. Et alia vice, audiens in quodam decreto vocem, Emblema, deleri iuſſerit, tamquam vocem Græcam: & quum ei reſponderetur, non eſſe in Latino ſermone vocem illi æquiualentem, præceperit, circumſcribi potiùs ſignificatum, quàm vnicâ Græcâ voce explicari.

Communis tamen eruditorum ſententia eſt, Græca Latinis admixta, non mediocrem illis addere gratiam; Opportunè autem admiſcentur, primò, quum vox Græca eſt ſignificantior, ſeu magis expreſſiua conceptûs, quem intendimus, vt (3) *logomachia*, pro contentione, ſeu rixa, quæ fit, verbis. Secundò quum Græca eſt breuior, (4) *vt philautos*, pro eo, qui ſibi complacet, vel ſui amatore, Terriò, quum eſt vehementior, & magis expreſſiua, vt (5) *genecomanes*, pro furente amore mulierum. Quartò, quum eſt venuſtior, vt ſi quis, (6) *metheorolesthin* appellet eum, qui de arduis, ac ſublimibus, ſed inutilibus rebus diſſerat; aut (7) *moroſphon*, eum, qui ſibi videtur ſapiens, quum ſit ſtultus. Quintò, quum alludimus ad dictum Græci alicuius authoris, vt ſi dicere velimus, non reſpondiſſe aliquem ad id,

quòd

quòd proponebamus, & dicamus, ſed ego (8) *amen eteon*, ſi enim Latinè diceremus, falcem petebam, lepor periret ſermonis. Demum Græca poſſumus vti voce, quum nolumus quippiam à quopiam intelligi.

Sunt verò quædam voces Græcæ, quas antiquitas Latinitate donauit, quibus propterea vti poſſumus perindè, ac Latinis, & tales vel carent aliâ Latinâ idem valente, vt dialectica, theologia, philoſophia &c. vel habent, vt rhetor, orator, hypotheca pignus: helleborum, veratrum: maſtigia, verbero, ſycophanta, calumniator, Et in vtriſque non nihil accedet gratiæ; ſi Græca, modo Græcè, modo Latinè flectantur, vt elephas, & elephantus: delphin, & delphinus: lampada, & lampas; Grammatica cum obliquo grammaticæ: aut grammatice, cum obliquo grammatices &c.

(1) καινοφωνία (2) μῶρος (3) λογομαχία (4) φίλαυτος (5) γυναικομανής (6) μετεωρολεσχεῖν (7) μωρόσοφον (8) ἄμην ητέον.

CAPVT SECVNDVM.

De Perſpicuitate.

ELegantia, quæ oratorij ædificij baſis eſt, ac fundamentum, Latinitatem comprehendit, ac explanationem, ſeu perſpicuitatem. De illa iam dictum: Ad hanc verò facit, vt inuolutione, non niſi ſuo vtamur loco, neque temerè ſermonem adhibeamus ambiguum, aut nimiam affectemus orationis breuitatem, vel longitudinem tantam, vt eam vix aſſequi poſſit auditor. Officit etiam perſpicuitati, vocabulorum traiectio, ideoque etiam ab hac eſt abſtinendum.

Obſcuritatem ergo, perſpicuitati contrariam, in primis adfert (1) *omonymia*, quæ eſt ambiguitas vocis, orta eſt eo, quòd plures habeat ſignificationes: quæ inueniri poteſt, tum in ſimplicibus, tum in coniunctis, & compoſitis, & tam in proprijs quàm in translatis: Nec tamen quoties ponitur aliqua vos (2) *omonyma*,

omonyma, (1) *omonymia* committitur: nam taurus ſignificare poteſt, tam indiuiduum ſpeciei humanæ, quam cuiuſdam arboris radicem, & montem, & quadrupedem, & quoddam Cæleſte ſignum: aſtrologus tamen, quum ſydera commemorans, meminit tauri, (1) *omonymiam* non committit, nec ambiguè loquitur, vt nec etiam, quum canem nominat aut vrſam, vel delphinum, quia ex natura materiæ, de qua tractat, perſpicuum eſt quomodo his vocibus vtatur: alioquin fere nulla erit vox non (2) ononyma, Eſto enim vocabulorum, quædam ſint (2) *omonima*, quædam vero (3) *ſynonima*, tamen, quæ abſolutè, vel vnâ ratione ſunt omonyma, poſſunt aliâ ratione eſſe (3) ſynonyma: quapropter tunc tantùm erit (1) *ononymia*, quando ambiguum remanet quomodo vox ſit intelligenda, ſeu quid velit qui eam protulit.

Ita anceps ſententia erit, ſi dicatur, Vir ille laudandus erit; & tollendus, vt de Pompeio Magno ſenſit quidam apud Ægypti Regem, ad quem ille confugerat, nam vox, tollendus, duplicem facit ſenſum, poteſt enim quis tolli, ſeu extolli laudibus, & tolli de medio; Vnde Auſonius

21. *Qui neget Enææ magna de ſtirpe Neronem?*
Suſtulit hic matrem, ſuſtulit ille patrem.

Sic etiam, ſi quis ficto amico ad ſe venienti, quaſi conquerendo diceret. Acceſſiſti vltimus, ſeu poſtremus amicorum: poteſt enim intelligi, tam de poſtremo inter venientes, quam de poſtremo inter amicos. Sic quidam, de oratore qui multa dixerat, ſed controuerſiæ non attigerat ſtatum, dixit: Hic, ſine controuerſia diſertus eſt. Sic Ageſilaus dicebat, ſe, neſcio quot ſagittariorum millibus ex Aſia expulſum: non enim intelligebat (vt primâ fronte videri poterat) de militibus ſagittarijs, ſed de largitione numiſmatum, quibus incuſum erat ſagittarij ſignum, Cononis ſuaſu, facta à Rege Perſarum Græciæ Principibus, quo illum reuocarent. Sic etiam Auguſtus, de quodam arante agellum, in quo pater fuerat ſepultus, ait. *Hoc verè eſt patrem colere*. Innumera huius generis, maximè apud Comicos, & epigrammatiſtas, ſe offerunt (1) *omonymiæ* exempla.

22. Adfert etiam obſcuritatem (4) *amphiboliæ* (ita enim dicendum videtur, potius quàm vt vulgo circumfertur, (5) *amphibologia*: venit enim à voce (6) *amphibolos*, cui ſi addamus (7) *logia* iam non (5) *amphibologia*, ſed (8) *amphibolologia* fiet, quam vocem

iamdudum Græcia repudiault) ea eſt ſermonis ambiguitas, ratione conſtructionis vocum, vt

Senior cum Caſtore Tybris :

potuit enim intelligi ſolus Tybris ſenior , & tam Tybris,quàm Caſtor.Sic etiam *Vno animo omnes ſocrus oderunt nurus* , nam recti caſus eſſe potuit tam ſocrus , quàm nurus, & ſimiliter obliqui .

Opponitur etiam perſpicuitati (9) *inuolutio* , quæ accidit , quando res , vel factum aliquod, quibuſdam veluti tegumentis occultatur , quia eſt , vel turpis , vel triſtis, & auditoribus moleſta : Aut quum orator de ſe id non audet apertè dicere , quòd tamen ad rem pertinet . Quamuis autem (9) *inuolutio* officiat perſpicuitati , ſi tamen loco adhibeatur , maxima eſt ſermonis virtus, & orationem ornat,ac commendat .

Nocet etiam perſpicuitati (10) *ſermonis breuitas*,quamuis poſſit iſta aliquando eſſe virtus orationis . Breuitas autem ſermonis fit primò,vocis præteritione,qualis(11) *brachilogia* eſt in Plinio libro 18. capite 7. dicente *In Tranſpadana Italia ſcio vicenas quinas libras farris modios pendere , circa Cluuium , & ſenas* . Pro vicenas , & ſenas . Secundò, quum res naturâ difficiles, paucis efferuntur , aliæque alijs condenſantur , iuxta illud ;

Dum breuis eſſe volo , obſcurus fio :

qualis (10) *ſermonis breuitas* eſt in Thucidide, Valerio Maximo , & alijs.Et vtraque iſta ſermonis breuitas cenſetur eſſe in Perſio . *Breuitatis ſermonis* genus eſt,*non redditum*, ſiue (11) *redditione carens* , quod accidit , quum præteritur membrum alteri reſpondens Cuiuſmodi (11) *ſermo non redditus* habetur Lucæ 13. *Et ſi quidem fecerit, fructum, ſin autem in futuro ſuccides eam*,deeſt enim quid futurum foret ſi fructum ficulnea feciſſet .

(11) *Sermonis breuitati* opponitur (12) *prolixitas* in dicendo,ſeu rerum ſuperuacanearum expoſitio , cuius exemplum Quintilianus adfert ex Liuio . *Legati, non impetratâ pace, retro, domum, vnde venerant, abierunt*. Officit hæc perſpicuitati ob inuiſam verborum copiam,quæ memoriam lædit.Vnde Tertullianus:*Naturaliter ſermonis compendium , & gratum , & neceſſarium eſt* ; Sermo namque laciniofus , & onerofus eſt , & vanus . (13) *Prolixitati* vicinum eſt vitium (13) *ſuperfluitatis* , quum oratio ſuperuacuis oneratur , quomodo Hirtius dixit , filium à matre decem menſibus in vtero latum fuiſſe . Cui vrbanè reſpondit Tullius interrogans,

rogans, num aliæ matres in penula ferrent. Illud autem ſuperuacuum cenſetur, quòd additum, nec intellectum adiuuat, nec ornat.

Perſpicuitati etiam officiunt (14) *redditiones* longa poſt interualla poſitæ, & quum poſt multas voces tandem ſubiungitur verbum, vnde priora dependent, quòd vitium dicitur (15) *hyperbaton*: & ſi (16) *periodo* alia interſeratur oratio, quæ dicitur (17) *metaxylogia*, ſub qua comprehendimus (18) *parentheſin*, & (19) *parembolim*, de quibus in ſchematologia.

Obſcurant etiam orationem (20) *inuerſio*, atque (21) *traiectio*. (20) *Inuerſio* eſt, quum voces in colo, ſeu membro, & inciſo, ſeu Commate, tranſponuntur, vt *Videbar ſomniare medego eſſe mortuum*: pro Ego videbar ſomniare me eſſe mortuum. (21) *Traiectio* verò eſt vnius, aut plurium vocum ex vno membro, aut inciſo, in aliud delatio: vt,

Pene macros arſit dum turdos verſat in igne,

ideſt penè arſit macros turdos, dum verſat in igne.

Hinc fit, iſta, quæ communiter numerantur inter vitia orationis, non ſemper eſſe vitia, alioquin maiori de gente, ac probatiſſimi authores, non ita paſſim in ea inciderent, ſicut faciunt, opportunis videlicet locis, quum vel obſcura oracula, vel allegorias, aut aliquid inuolutum, & obſcurum, exprimere volunt. Vnde illicitum nobis non erit, eadem cum obſeruatione, obſcuritatem ſectari. Et tanta de hoc tractatu dicta ſufficiant.

(1) ὁμωνυμία, ὀνωνυμία (2) ὁμώνυμα ὀνώνυμα (3) συνώνυμα (4) ἀμφιβολία (5) ἀμφιβολογία (6) ἀμφίβολος (7) λογία (8) ἀμφιβολολογία (9) περιπλοκή (10) βραχιλογία (11) λόγον ἀναντα πόδοτον (12) περιοσολογία περιτ?ολογία (13) πλεονασμὸς (14) ἀποδόσεις (15) ὑπερβατὸν (16) περιόδῳ (17) μεταξυλογία (18) παρένθεσιν (19) παρεμβολὶν (20) ἀναστροφὴ (21) σύγχυσις.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Tropis.

1.

TRopi, (1) Latinè appellari poſſunt, figuræ, aut modi, vel verborum immutationes. Definitur autem huiuſmodi(2) *figura*, quòd ſit verbi aut ſermonis à propria ſignificatione in aliam, cum virtute, mutatio. Vnde Hermogeni dicuntur (3) *verba inuerſa*. Differunt autem (1) *tropi* à (4) *ſchematibus*, quòd illis ſignificatio ſemper inuertatur; iſtis, ſeu mutatâ, ſeu permanente ſignificatione, oratio alio induatur habitu.

Sunt autem quattuor (1) *tropi* principes, nimirum, (5) *metaphora*, (6) *metonymia*, (7) *synecdoche*, (8) & *ironia*, quos omnes Ariſtoteles, & qui eum ſequutus eſt, Emanuel Theſaurus, metaphoræ appellant nomine: vnde, quia res ſignificatæ ſunt multò diuerſæ, vt videbimus, & ipſe Theſaurus etiam fatetur, confuſio hinc maxima naſcitur, eſto ingeniosè ſimul ac laboriosè ipſam vitare conetur, fruſtrà tamen meo, & aliorum iudicio. Ariſtoteles autem excuſandus videtur, quia ſuo æuo nondum proprium conſequuti fuerant nomen ſinguli tropi, quos ſubſequuti rhetores cuncta minutatim concidentes, proprijs inſigniuere appellationibus. Conueniunt quatuor iſti (1) *tropi* in hoc, quòd vocem ab vna ad aliam transferunt ſignificationem, propter mutuam rerum relationem: differunt verò, quia quæ mutuò referuntur, vel nullo naturali connexa ſunt vinculo, vel coniuncta vinculo naturali. Si quæ ſeſe reſpiciunt non ſunt connexa naturâ, illa, vel ſunt ſimilia, & ab his ducuntur *metaphora*, vel contraria, in quibus eſt *ironia*. Si ſunt connexa, tunc vel vnum eſt de alterius eſſentia, vt ſunt totum & partes &c. quorum alterum pro altero ſubſtituit *ſynecdoche*; vel vnum non eſt intrinſecum, & eſſentiale, ſed tantum adiunctum alteri, ſiue cauſa, vel effectus illius: & iſta permutat (6) *metonymia*. Vnde inter hos tropos, ſi naturæ attendamus ordinem, familiam ducit (7) *ſynecdoche*, ſequitur (6) *metonymia*, (5) *metaphora*, (8) & *ironia*: Sed rhetores attendentes vſum, & nobilitatem, primum dant locum *metaphoræ*, ſecundum *metonymiæ*, tertium *ſynecdochæ*, vltimum *ironiæ*. Sit ergo.

(1) τροποι (2) τρόπος (3) λέξις τετραμμέναι (4) σχημάτων (5) μεταφορά (6) μετωνυμία (7) συνεκδοχὴ (8) καὶ εἰρωνία.

CAPVT PRIMVM.

De Metaphora.

METaphora eſt tropus, voces à propria ſignificatione deflectens ad alienam, ob aliquam ſimilitudinem; ſicut, quia Angeli, iuxta Apoſtolum, ſunt (1) *adminiſtratorij ſpiritus*, hinc, (2) *Diuini verbi præcones*, Angeli ſunt appellati ob officij ſimilitudinem. Et quia (3) *vmbilicus* eſt media hominis pars, (3) *vmbilicum Italiæ* appellarunt locum, Reatini agri, quòd in meditullio foret Italiæ. Et quia (4) *carcinoma*, eſt morbi genus, (5) *cancri* animalis inſtar ſerpens, & vomicæ ſunt tumores excreſcentes in aliqua corporis parte, Auguſtus nepotem Agrippam, & Iulias, filiam, ac neptem, ſuas vomicas, ac (4) *carcinomata* eſſe dicebat, Vnde in metaphora debet adeſſe ſignificatio propria, aliena, & proportio, ſeu ſimilitudo, vt in prædictis cernere licet.

(6) *Metaphorarum* autem alia eſt ob (7) *ſimilitudinem*, alia ob (8) *proportionem*. In ſimilitudine, vnum confertur vni: in proportione bina binis reſpondent. (7) *Similitudo* tantum eſt, quum antiqui Romani primum vidiſſent elephantum in Lucania, occaſione belli cum Tarentinis, nec vnquam ſimilem cognouiſſent belluam, neſcientes quomodo appellaretur, ob (7) *ſimilitudinem* tamen cum boue, (quo maiorem beſtiam non habebant,) bouem Leucam illum dixere. Eſt itaque hic (7) *ſimilitudo*, non quidem (9) *propriè*, nam (9) *propriè ſimilitudo* non eſt, niſi inter qualitates, ſed (10) *abuſiuè*, vt diſtinguitur à (11) *proportione*. Ab eadem ſimilitudine, ſtruthiocamelum dixere paſſerem marinum, quia de tranſmare, de Lybia ſcilicet, vel Arabia, ad nos venerat. Et eadem (7) *ſimilitudo* eſt, quum homo hebes, pinguis, ac corpulentus, (12) *ſus* appellatur, quemadmodum ab Heracleotis exulibus, Dionyſius, quod hebetiſſimus foret,

ret, dicebatur (12) *celer ſus*. At verò (8) *proportio* fuerit, ſi clypeum, Martis appelles phialam: vel phialam, Liberi Clypeum: aut ſi nauis gubernatorem, nauis dicas aurigam, & è contra, rhedæ, vel currus aurigam, appelles gubernatorem: In his bina binis reſpondent, & propterea in eis eſt (8) *proportio*, ſtrictè (8) *proportionis* ſumpto vocabulo, vt proportionalitatem tantum comprehendit; alioquin falſum in logicis diximus, vbi duos (8) *proportionis* fecimus modos, quorum vnum proportionem appellauimus, quum vnum vni confertur; alterum, proportionalitatem, quum bina binis conferuntur.

Diuiditur inſuper metaphora, quòd alia ſit vtrimque (13) *commutabilis*, alia (14) *incommutabilis* Vtrimque (13) *commutabilis* eſt, inter campum, & æquor, nam, quum hippodromus dicatur (15) *campus à flexu*, qualis eſt in circis poſt metam, ideo vbicumque foret ſoli planicies, flectendis equis idonea, campum eſſe dicebant: at maris non turbati à ventis, planicies, ab æquitate æquor dicitur, quemadmodum etiam aqua, vnde aliqui aquam ab æquore, alij è contra, æquor ab aqua deriuant, quia aqua propriè eſt, quum æqua; ſi namque tempeſtatibus quaſſetur, vnda potiùs dicetur, quam aqua. Commutantur ergo hæc, campi, & æquoris nomina, vt quum Virgilius dixit

Prius ignotum ferro, quam ſcindimus æquor:

& *In campos ſalis ære ruebant*. Cicero quoque ait *Babylonios in camporum patentium æquoribus habitare*: Et Sidonius, agrorum æquor nominauit. (14) *Commutabilis* etiam eſt quum flores ponimus pro ſtellis, & è contra ſtellas pro floribus: quia, quòd in Cœlo ſunt ſtellæ, ſunt in terra flores: Cœlum etiam appellatur pratum floridum, aut etiam ſtellatum: & è contra, terra dicitur Cœlum floridum. Reciproca etiam eſt tranſlatio in nominibus alti, & profundi; vnde dicimus, Cœlum profundum, & altum mare: ſed frequentior in cane, & cuſtode, quomodo Seneca, ianitorem priùs oſtiarium, mox canem, libro 3. de Ira appellauit, canem, inquam, catenarium, quia olim, vt canes, ita oſtiarij cuſtodes, in catenis erant. (15) *Incommutabilis* verò eſt in inferiori parte montis, quam pedem appellare poſſumus, tranſlatione ab animali ducta; ſed non è contra, animalis pedem, radicem nominare valemus. Similiter æquoris nomen, Cœlo attributum inuenitur, non tamen cœli nomen æquori; Cuius diſparilitatis ratio, ea eſſe poteſt, quia æquor ab æquitate,

cate ſeu æquali planitie, in qua nihil emineret, dictum fuit, & (16) *per excellentiam* mari attributum; ideoque transferri potuit ad Cœlum, in quo ſimilis foret planicies: at Cœlum dicitur à cœlando, quòd mari, ob tranſparentiam, minimè conuenit.

Metaphorarum etiam, aliæ ducuntur à meliori ad exornandum, aliæ à deteriori ad vituperandum. Prioris generis erit apud Ariſtotelem hic, nam licet tam (17) *precor*, quam (18) *mendicans peto*, ſit *precari*, tamen quia (17) *precor* eſt honeſtius, ſi dicas (19) *mendicantem precari*, ab honeſtiori duces vocabulum: è contra vero ſi dicas (18) *precantem mendicare*, vituperabis. Similiter In ſacris Idæ, ſeu Cybeles, & Berecynthiæ, honeſtiùs munus erat eorum, qui faces, aut lampades geſtabant, & dicebantur (19) *daduchi*: illaudatiùs verò erat eorum munus, qui magnæ matris nomine ærufcantes, dicebantur (22) *metagyrtæ*: Si quis ergo (22) *metagyrtam* appellaret (21) *daduchum*, laudem illi daret, contra ſi (22) *daduchum*, nempe tæderiferum, diceret (22) *metagyrtam*, ærufcatorem videlicet, iam vituperaret.

A quibuſcumque rebus metaphoræ duci poſſunt: Gentilitas in primis eas ducebat à Dijs; ita, quod delicatum foret, dicebant, eſſe (23) *Iouis cerebrum*, & ſcarum (24) *Iouis lac* appellabant. Oſtrei etiam quoddam genus, (25) *Veneris aurem* appellabant, & planos piſces, dicebant eſſe (26) *ſandalia immortalium*, Nereiadum ſcilicet. A Cœleſtibus etiam ducuntur, ſi alicui, ob præclaram dicendi copiam, Cæleſte tribuas os, vel ſi eum dicas tonare, aut fulgurare, ſicut de Pericle, hac de cauſa dicebatur. Ab elementis etiam ducuntur, nam dicimus conſilij, vel ingenij guttam, &, vndam ſalutantum, quæ ſunt ductæ ab aqua; Ab aëre verò ducitur, vita ſerena, vel tranquilla. Ab igne, incendium annonæ, vel annonam excandefacere, quia, vt nihil vehementius igne, ita nil plebi, grauius annonæ caritate: ſic etiam eſt illud, tempeſtas famis, & pellis exuſta à fame; Ab vno in aliud elementum ducitur metaphora, quum dicitur, ignis irriguus, vel fluuius igneus. A metheoris etiam duci poteſt, vt, quum pro copia, dicimus, nubem, imbrem, nimbum, aut grandinem; aut, quum nominamus (27) *frontis nubeculam*: ſic audacem aliquem bellatorem, belli appellamus (28) *fulmen*.

Ducuntur etiam metaphoræ à mixtis inanimis, vt, quum durum aliquem hominem, appellamus adamanta, vel ſtupidum dicimus (29) lapidem; vnde & Greci (30) lapideos dicunt eos,

quos

quos rei admiratio obſtupefecit, & attonitos reddidit; ex quo orta eſt fabula de capite Gorgûs. Nec minùs ducuntur à plantis, ex quibus eſt (33) *flos ignis, & florentia lumina flammis*, &, *delegit ex florentiſſimis ordinibus ipſa lumina*: Excerpta etiam ex aliquo authore, (34) *flores* dicuntur. Ab eiſdem ducitur metaphora, quum dicimus aliqua (35) *funera acerba, aut immatura fuiſſe*.

Ab animatis verò ducitur, vt, quum caput cœnæ dicimus, pro primo ferculo quod apponitur: vel quum id, quod laudamus, ſeu diligimus, appellamus ocellum: aut quum fluuio ſeu mari, caput, pedes, aut brachia tribuimus: aut, quum naui dicimus ineſſe vulnus, quando habes rimas, quibus intrat mare. Bellicas etiam quaſdam machinas, coruos appellamus, & alias dicimus arietes. Dicimus etiam catenas, canes, aut catellos: & hominem ferum, appellamus tigridem, magnanimum leonem, voracem lupum, manſuetum agnum, Senſibus, ac voluptatibus corporis deditum, ſuem, effrænem in amore alienarum mulierum, equum dicimus in eas hinnientem. Vnde ortæ Orphei, & Amphionis fabulæ. Sic fortaſſe Stratonicus quidam chithariſta, non tàm artis peritiâ, quam corporis mole commendabilis, de ſeipſo dicebat: (36) *Nullus magnus piſcis malus*: Sic raptu aſſuetus viuere, vultur dicitur, & hæreditatibus inhians, coruus, & maledicus ibis auis, libidinoſus, & verſutus, perdix: nam vtraque hæc eſt in perdice proprietas: is verò qui, quum domi vxorem habeat, alias colit mulieres, meritò dictus eſt cuculus, nam hæc auis, oua in alieno parit nido, cuius pulli ab alijs educantur auibus. Notum quòd meretrix dicatur lupa, vnde lupanar, & maledicus canis, vnde Zoilus dictus fuit (37) *canis rhetoricus*. Alæ inſuper dictæ ſunt pro velis, ſeu remis, & volare dicimus pro velociter ire: ex quo fabulæ de Icaro, Perſeo, Dædalo, & ſimilibus. Similiter (38) *irrationabilium* voces homini tribuimus, vt latrare, boare, tremere, belare, vlulare, &c.

Ab homine vero ducitur metaphora, quum mors dicta eſt (39) *mortuorum ſacerdos*, quia ſacerdotis inſtar, Diti homines offerat, ac mactet. Ab artificialibus, quomodo aliquem ſolertis ingenij, & ad res omnes ex tempore perficiendas parati, dicimus eum ingenium habere in numerato, metaphora ex pecunijs ductâ. Et is, qui varijs exercitus fuerit caſibus, fortunæ appellamus pilam. Is, qui in omni diſciplinarum genere fuerit eruditus, bibliotheca viua dici poteſt, vel ambulans muſæum.

Promptus

promptus in expromendis ſacræ ſcripturæ teſtimonijs, teſtamenti arca, dictus eſt, quo nomine appellatus eſt D. Antonius Patauinus.

Aliquando eſt tranſlatio, ex ſimilitudine tantum vocum, vt in hoc Græco (40) *Ne pincerna vinum effundito in terram, ne fiat lutum*: quo ad Herouṁ nomina (41) *vinum & lutum*, alluditur. Latinè alluſio eſt in voce, Inuocati, qua ſignificatur, tum is, qui non vocatus adeſt, maximè prandio vel cœnæ: tum etiam is, cuius nomen, felicis ominis gratiâ, in talorum iactibus inuocabatur. Hinc apud Plautum iocabatur Paraſitus.

Iuuentus nomen indidit ſcorto mihi.
Quod inuocatus ſoleo eſſe in conuiuio.

Sed vt hæc in ſcæna, ad riſum captandum conuenientia ſunt, ita graues dedecent orationes. Quod & idem Plautus ibidem ſubdidit, dicens;

Scio abſurdè dictum hoc, deriſores dicere.

Illæ autem optimæ iudicantur translationes, quæ à rebus ducuntur in actu exiſtentibus, nimirum, quæ, etſi ſint inanimes, aliquid tamen agentes, & in motu repræſentantur, quo, quaſi ſenſu præditæ videantur. Hinc multæ vitioſæ cenſentur metaphoræ, quales in primis ſunt, quæ trahuntur à re diſſimili, cuiuſmodi duræ ſunt & (42) *periculoſa*. Hinc quum (43) *ſternere* propriè dicatur de corporibus, vt de plantis, aut ædificijs, nimis durè transfertur ad animos. Durè quoque Plautus dixit lippire dentes famelicos, etiam ſi humor dentes obſidens, oculorum quodammodo lippitudinem imitetur. Durè roſtrum dicitur pro ore fluuij: &, Ciceronis iudicio, durè dicimus Cœli fornicem, quum fornix circulum non abſoluat, vt facit Cœlum. Duram etiam eam metaphoram putat Quintilianus, quâ ponimus capitis niues. pro canitie: immo putat capitis niues eſſe potiùs in laborantibus porrigine, è quorum capitibus, quum pectuntur, furfur inſtar niuis cadere ſolet.

Molliri tamen poteſt tranſlationis durities, primò adiectione epitheti, vt quum arcus fuit appellatus (44) *lyra neruis carens*: arcus enim tenſus, itaùt cornua penè coeant, lyræ imaginem præfert, cuius duo manubria, cornuum inſtar, vara ſunt, & camura, ideſt inflexa, & curua, & propterea dicta ſunt (45) *cornua*, vel (46) *brachia*: itaq; arcus vt durè diceretur lyra, ita ſecurè appellari poteſt, (44) *lyra chordarum expers*. Durè etiam tonitruum

diceretur tuba, ſed ſecurè, Cœli, vel, Iouis tuba. Hoc eodem remedio, veſtium tinctura, appellata eſt venenum Aſſyrium. Secundò molliuntur per mutationem metaphoræ in breuem imaginem: dico breuem, nam ſi ſit longa, dicetur collatio poëtica. Et quamuis Ariſtoteles videatur improbare imagines in oratione ſoluta, id tamen intelligendum eſt de longioribus, alioquin ijs abundant Baſilius, Chryſoſtomus, & paſſim Chriſtianæ eloquentiæ choriphæi. Nec tantum (47) *imagine*, metaphoræ mollimus audaciam, ſed etiam comparatione. Et quum metaphora obſcurior videbitur, eius obſcuritati medebimur, adiectione declarationis, quâ euadet verecunda. Eſt autem diligens habenda cura horum (48) *remediorum*, ne eorum neglectu frigida euadat oratio, quemadmodum propterea quod Demoſthenes, duris vteretur metaphoris, ab Æſchine dictus eſt effundere (49) *non verba, ſed portenta*: ſed in grandi dicendi charactere, ob eius difficultatem, ignoſcenda eſt iſta tranſlationum durities.

Alterum metaphoræ vitium eſt, ſi de longè trahatur ſimilitudo. Hinc Tullius mauult dicere, patrimonij ſcopulum, quàm Syrtim, & bonorum voraginem, quàm Charybdim: Cuius ratio in mundo eſt, quia videlicèt, genera, & ſpecies notiora ſunt quam indiuidua: ſcopulos certè & voragines, multi viderunt; Syrtim verò, & Charibdim admodum pauci. Mentis autem oculi, faciliùs ad viſa, quàm ad audita feruntur, nam.

Segniùs irritant animos demiſſa per aures,
quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Hinc à longa ducta eſt metaphora, quum Plautus vlmearum virgarum greges duos, dixit, pro duobus faſcibus: Similiter à longè ducta videtur, ſi ſcelerum dicas populum, pro multitudine, nam quamuis de auibus, piſcibus, apibus, ſit dictum aëreum, aquaticum, vel mellificum populum, audaciùs tamen populi nomen transfertur ad inanima, vel animatorum adiuncta. Longè etiam petita iudicatur metaphora, qua quum quis à philoſophicis, vel ſacris ſtudijs, ad ludicra ſubitò dilabitur, dictus eſt ſcientiæ deſultoriè vacare, tranſlatione ducta ab equis deſultorijs, à quorum vno, eques, ſubitò in alium deſilit.

Tertium vitium eſt, quum ad illuſtrandas res humiliores, metaphoram ſumimus à rebus nimis magnis, vt ſi commeſſationis dicamus tempeſtatem: tempeſtas enim multò amplior res eſt, quam.

quam exigat commeſſatio. Cui opponitur vitium à Quintiliano (50) *tapinoſis* dictum, quum videlicet metaphora ducitur à rebus humilioribus, vt ſi dicamus tempeſtatis commeſſationem: cuius ratio, iuxta Demetrium, eſſe poteſt, quia translatio eſt inſtituta ad hoc, vt orationi magnitudinem adferat, & voluptatem: quæ verò ducitur à rebus exilibus, deprimit potiùs quam extollat id, pro quo ſubſtituitur, ideo vitioſa cenſetur.

Quartum metaphoræ vitium eſt, quòd ducatur à re ſordida, ſeu fœda, vt quum quis Remp. caſtratam fuiſſe Camilli morte dixit, vel quum Glaucia appellatus fuit Curiæ ſtercus. Talis eſt & illa.

Iuppiter hybernas cana niue conſpuit Alpes.

Eodem vitio à Hieronymo notatus fuit Rufinus, qui, quum dixiſſet: *Quid tibi videtur? Habes ne vltra aliquid, quo neruos tuæ loquacitatis intendas?* Excepit ille: *Et indignaris ſi putidè te loqui arguam, quum comœdiarum turpitudines, amatorumque ludicra, Eccleſiaſticus ſcriptor aſſumas.*

Quintum vitium eſt, tranſlationum addenſatio, ſiquidem, vt Porcius Latro dicebat. *Summa eſt dementia, detorquere orationem, cui rectam eſſe licet.* Cuius ratio eſt, quia ſi metaphoræ fuerint frequentes, obſcurant potiùs orationem, quàm illuſtrent, ideoque non voluptatem, ſed tædium adferunt; non minùs ac Ciuem bonum offendet, ſi aduenas plures, quàm Ciues in ſua conſpiciat Vrbe. Et propterea tunc tantùm tranſlatis vtendum, quum vel deeſt vox propria, vel tranſlata eſt decentior, aut ſignificantior, aut quum nolumus à quopiam intelligi; quomodo Perſius tranſlatis vtitur, etiam audacioribus, & tunc aliquando proprijs, quando tranſlata erant magis in vſu vulgi. Accidit enim vt conſuetudo, & communis loquendi vſus, plenus ſit metaphoris, & figuratis loquutionibus, vt qui propriè velit loqui, minùs intelligatur, & propterea tunc, ei qui vult intelligi, conuenit vti metaphoris, aut alijs tropis, citrà obſcuritatem, ſicut quum dicimus, Hominum calamitatem, ſtragem, aut cladem, figuratè quidem, ſed tamen, propter vſum, clarè loquimur; nam calamitas propriè dicitur de calamis ſegetis, grandine quaſſatis: ſtrages autem eſt arborum cæſarum, ſiue ſtratarum; clades, verò, quum ſit (51) *à cladus*, nempe ramus, propriè dicitur de ramis arborum tempeſtate fractorum. Fugiendæ ſunt etiam oratori metaphoræ ſolis poë-

 tis

tis conceſſæ, vt pro nauigare, æquitare per vndas; aut aues appellare bonos cicadas, malos poëtas, eſto poëtæ tam Græci quam Latini, ſeipſos appellent (52) *aues Diuinas,* & ſua carmina dicant, (53) *carmina alata muſarum* Sed iſta oratorem dedecent.

Vitioſa ab aliquibus iudicatur metaphora deſultoria, quum ſcilicet oratio non perſiſtit in eadem, ſed de vna deſilit in aliam; vt ſi dicas, fructum haurire, pro capere. Vnde laudatur Auguſtinus, quod dixerit: *Maledictus qui florem ſuæ iuuentutis diabolo offert, ſenectutis verò fæcem Deo reſeruat*. Nam vini flos, pro præſtanti, & odorato ponitur, fex verò pro vltimo, & ita in eadem perſiſtit. Inueniuntur tamen apud probatos authores, commutatæ, & coniunctæ plures metaphoræ, vt non auſim damnare talem commutationem, vt, *Siue palmulis opus foret volare, ſiue linteo, impetum præterire trabis natantis*, Vbi volare eſt auium, ire terreſtrium, natare aquatilium. Sic etiam *Nemo adeo ferus eſt, qui non miteſcere poſſit, ſi modò culturæ patientem accomodet aurem*: vbi ferus propriè dicitur de beſtijs; miteſcere de fructibus, cultura de agris &c.

Cauſæ, quur inuentæ fuerint metaphoræ, ſunt eædem, quæ veſtium, nempè neceſſitas, & decor, ſiue ornatus. Vt enim veſtes primò vſurpatæ fuerunt ad munimen corporis aduerſùs aëris iniurias, deinde adhibitæ etiam ad ornatum, & luxum; ſic metaphoras primò genuit neceſſitas, demum celebrauit delectatio. Neceſſitatis fuit, diuortium in vxore, pes in naui, gemmare in vite; durities, & aſperitas in homine; Non enim putandum eſt, tunc tantum eſſe neceſſitatem, quando non ſuppetit vox propria, ſed etiam quando, etſi adſit propria, tranſlata tamen eſt ſignificantior, vt

Inuadunt Vrbem ſomno vinoque ſepultam,

ſignificantiùs dicitur, quàm oppreſſam. Idem eſt, quum dicimus Incenſum irâ, inflammatum cupiditate, lapſum errore &c.

Ornatûs verò gratia eſt, quum (54) *flos* ponitur pro ornamẽto, vnde flos olei, dictum eſt, pro eo, quod eſt decus palæſtræ. Ad ornatum etiam refertur, quum id, quod ſemel dictum eſt propriè, ſi iterum dici debeat, effertur figuratè, quia varietas ſermonem ornat. Sic ad ornatum referuntur, quæ pudoris gratiâ immutantur; nam quod turpe, id inornatum cenſetur: Sunt autem quædam res, quæ pro diuerſo conſiderationis modo, vel

turpes

turpes ſunt, vel honeſtæ: quæ, ſi ex ea parte exprimantur, quã ſunt honeſtæ, honeſtæ putantur voces; ſin ex ea quã ſunt turpes, vocabula turpia erunt. Exemplum habemus ex Cicerone: *Liberis namque operam dare, honeſtè dicitur, eius verò operæ nomen, patres dicere non auderent*; Similiter mulus naſcitur ex aſino, animali inerte, ac onerifero, & equa, generoſo: hinc qui mulum paruifacere vellet, ipſum aſini vocaret progeniem: at qui honorificè de eò loqui vellet, eum equarum ſobolem appellaret. Hinc Simonides, vt eſt apud Ariſtotelem hic, mulos vituperans, aie, eos eſſe (55) *Semi aſinos*: eoſdem verò laudaturus, illos tali pacto alloquitur: (56) *Saluete volucrium equarum filij*.

Quæres hic, quur magis delectemur tranſlatis, etiam ſi adſit vox propria. Prima ratio eſt, quia ingenij eſt tranſilire ante pedes poſita, & aliud aliunde petitum ſubſtituere. Altera, quia delectat eum qui audit, aliò cogitatione duci, nec tamen aberrare. Tertia, quia metaphora rem ſenſui, maximè oculo, qui eſt ſenſus acerrimus, ſubijcit, & propterea metaphora eſt magis perſpicua, quàm quòd propriè effertur.

(1) λειτουργικὰ πνεύματα (2) οἱ τοῦ θείου λόγου κήρυκες (3) ὀμφαλὸς (4) καρκίνωμα (5) καρκίνου (6) μεταφορῶν (7) ὁμοιότητα (8) ὁμοιότης (9) κυρίως (10) καταχρηστικῶς (11) ἀναλογία (12) ὗς (13) πάχυς ὗς (14) ἀκόλουτος (15) ἀνακόλουτος (16) κάμπος ἀπὸ τῆς καμπῆς (17) κατ' ἐξοχὴν (18) εὔχομαι (19) πτωχεύω (20) αἰτεῖν [21] τὸν πτωχεύοντα εὐχέσται (22) τον ευχόμενον πτωχομένειν (23) δαδοῦχοι (24) μηταγύρται (25) Διὸς ἐγκέφαλος (26) Διὸς γάλα (27) ὗς Ἀφροδίτης (28) σάνδαλα ἀθανατῶν (29) νέφος ὀφρύος (30) κεραυνὸν (31) λίθον (32) λιθοῦσαι (33) ἄνθος πυρὰς (34) ἄνθη (35) ἄωρον θάνατον, καὶ ὀμφακίους νεκροὺς (36) οὐδεὶς κακὸς ιχθὺς μέγας (37) κύων ῥητορικὸς (38) ἀλογῶν (39) ἱερὸς ταναῶν (40) Μηδεὶν τὰ οἰνεῦ πήλεα ποιοῦν (41) οἶνος

καὶ

καὶ πηλὸς (42) κινδυνώδεις (43) ςορεῖν (44) φόρμιγγα ἀχορδον (45) κέρατα (46) πήχεις (47) εἰκασία (48) ἰατρευμάτων (49) ῥήματα ἀλλὰ θαύματα (50) ταπείνωσις (51) ἀπὸ τὸς κλάδος (52) θεὺς ὀρνιμας (53) μέλη πτερωτὰ Μυσῶν (54) ἄνθος (55) ἡμιόνους (56) χαῖρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων.

CAPVT SECVNDVM.

De Metonimia.

METonimia (1) à multis (2) *hypallage* appellatur. Verum (3) *metonimiæ* nomen eſt peruulgatius: ſignificat quidem (2) *hypallage* ſubmutationem, (1) *metonimia* verò per excellentiã (4) *ad verbum* tranſnomen, vt (5) *antonomia* pronomen, & (6) *metonomaſia* tranſnominatio, & (7) *antonomaſia* pronominatio. Hinc Quintilianus (8) *metonimiam* definit, quod ſit nominis pro nomine poſitio. Verum hanc definitionem recipiant Arcades (9) *glanditori*; nos autem, qui ſcimus etiam metaphoram, ac ſenecdochem nomen ponere pro nomine, dicimus (8) *metonimiam* commutare eã rerum nomina, quæ naturali quodam vinculo ſunt coniuncta, ita tamen vt vnum ad alterius eſſentiam non pertineat. Et quum talium coniunctorum quædam ſpectent rem ſecundum quod fit, vt cauſa externa, & effectus, alia ſecundum quod eſt, vt ſubiectum, & adiunctum, hi quattuor erunt primarij modi (1) *metonimiæ*, niſi (10) *metalepſin* ſubijcere velis (11) *metonimiæ*, nam tunc præter illos quattuor, forent alij duo modi ipſius, antecedentis ſcilicet, & conſequentis, ſed de iſtis infra.

Ad (8) *metonimiam* cauſæ, referunt nonnulli eam, quã materia ponitur pro materiato, vt quum abies ponitur pro naue ex abiete compoſita: lignum pro Cruce, è ligno facta, pellis pro tentorio, (12) *palma* pro vnguento palmeo &c. immo quando plurium rerum eadem eſt materies, variari poteſt acceptio eiuſdem vocabuli, vt cornu pro laterna cornea apud Plautum, &

pro

pro arcu apud Virgilium: ſic ferrum pro gladio, & vomere, aurum pro corona, & phiala.

Verum, vt iſtis efficaciter concluditur materiam poni pro materiato, ita non probatur dari metonimiam materiæ: exempla enim iſta, & ſimilia, pertinent ad (13) *ſenecdochen* partis eſſentialis. Nam certum apud philoſophos eſt, materiam eſſe partem eſſentialem phyſicam materiati; vnde ſi eſt (14) *ſenecdoche* quando pars eſſentialis ponitur pro toto, quare non quum materia ponitur pro materiato. Quapropter ad metonimiam, cauſas extrinſecas tantum referimus, quæ ſunt efficiens & finis: finis erit, ſi cuſtodiam dicamus pro cuſtodibus. Nec minùs in vſu eſt dicere; faxo, vt exemplum omnibus fias, pro, dignis in te modis animaduertam, quo alij ex te exemplum capiant.

Metonimia vero cauſæ efficientis, vel ponit primam, & principalem pro cauſato, vel ſecundariam, & inſtrumentalem. Secundum principalem dicimus: Iſraëlem pro Iſraelitis: Iudam pro eius Tribu: Moſem pro libris ipſius: Liuium pro eius hiſtoria: Lucinam pro partu; Mineruam pro lanificio: Cererem pro tritico: Neptunum pro aqua: Bacchum pro vino: Martem pro bello. Has tamen voces, aliqui, cum Quintiliano, putant, oratori non conuenire. Certè, extra ſcenam, nimiæ foret licentiæ, quòd quis pro guſtare panem & vinum, diceret ſalutare Cererem, & Liberum; alioquin minimè damnarem.

Secundum cauſam vero inſtrumentalem, linguam dicimus Græcam, vel Romanam, pro ſermone. Ponitur etiam lingua pro obtrectatione, quum dicamus, vitemus linguas: & pro eloquentia, quomodo Paulus ait *Si linguis hominum loquar & Angelorum*. Sic etiam manus ponitur pro opere, iuxta illud; *ſi oſculatus ſum manum meam ore meo*, ideſt ſi mihi complacui in operibus meis. Ad eamdem quoque (8) *metonimiam* pertinet, quum aliquis affectus, vel qualitas, ponitur pro ſuo effectu; vt leuitas multitudinis, pro tumultu, quem multitudinis leuitas conciuit; vnde Principum munus eſſe dicitur, reſiſtere leuitati multitudinis, ideſt tumultui. Ita dictum eſt, *Iram Domini portabo*, hoc eſt, pœnam, quæ ab ira proficiſcitur: Sic *anima, quæ peccauerit, feret ſuam iniquitatem*; ideſt pœnam iniquitate promeritam. Sic *opus mercenarij tui, non pernoctabit tecum*, ideſt non retinebis noctu mercedem opere promeritam. Sic de Sacerdotibus dictum eſt *Peccata populi mei comedent*, hoc eſt hoſtias pro peccatis oblatas. Et

huc

hunc illam loquendi formam referimus; quam vocant (15) *humanæ affectionis*, quâ ſcilicet tribuitur aliquid Deo ad inſtar hominis. Nam quamuis (16) *humana affectio* pertineat ad metaphoram, quia Deus concipitur ad inſtar hominis, vt cui hominis membra tribuantur, & affectus, etſi ſit ſpiritus talium expers, & (17) *ſine affectibus*: pertinet nihilominùs ad metonimiam, quatenus per membrum intelligitur illa vis, quæ illo exercetur membro & per affectum cognoſcimus effectum, qui a tali affectu produci ſolet. Itaque per manum, & brachium intelligimus Dei potentiam, per oculum prouidentiam: per Dei iram, & furorem intelligimus pœnam illatam aut comminatam, per obliuionem, non opitulari: expergefieri verò, & vigilare dicimus Deum, quum fert opem, vel auxiliatur.

Metonimia etiam effectus, ab eiſdem, qui ponunt metonimiam cauſæ materialis pro materiato, extenditur ad ipſam materiam; vt quum dicitur legere ſerta, pro colligere flores, ex quibus ſerta fiunt: verum vel illa eſt metonimia finis, ſiquidem eâ intentione flores legimus, vt ſertum ex illis faciamus, vel ſi ſerta pro floribus acccipiantur, iam non metonimia, ſed ſenecdoche erit partis eſſentialis.

Metonimia ergo cauſati erit, vel cauſæ finalis, vt quum Abimelechus Saræ de Abrahamo dicebat: *Ecce is tibi eſt operimentum oculorum*, quia is erat, ob quem velari debebat in ſubiectionis ſignum. Vnde & nubere de mulieribus dicitur, quia, quum ſponſæ à maritis domum deducebantur, caput ſolitæ erant obnubere, & flammeo velare, vt eo veluti humilitatis indicio, ſeſe maritis ſemper obnoxias fore, obteſtarentur. Effectus verò propriè dicti metonimia eſt, quum effectus propriè dictus, ponitur pro efficiente, ſiue, quum id, quod eſt proprium effectus, tribuitur efficienti, vt mors vel morbus dicitur pallida, & triſtis ſenectus, quia videlicet morbo affecti, & cadauera pallent, & ſenes queruli eſſe ſolent, ac triſtes: ſic etiam pigrum dicimus frigus, qua frigore affecti pigreſcunt, cuius pigritiæ ipſum frigus eſt cauſa, vt morbus, mors, ac timor palloris, vnde id, quod eſt proprium effectus, tribuimus efficienti.

Nec tantũ in epithetis, & adiectiuis, metonimia locum habet, ſiquidem dicimus canitiem moroſam, quæ metonimia eſt, & tamen canities, nempe ſenectus, non eſt epitheton, aut adiectiuum. Sic Naſo dixit

Non

Non habebat Pelion vmbras

ideſt arbores. Cicero *Mors Clodij, ſalus veſtra fuit*: hoc eſt ſalutis cauſa. Geneſis 25. *Duæ gentes ſunt in vtero tuo*, ideſt gentium authores 3. Regum 4. *Mors in olla*, ideſt mortiferum quid. *Chriſtus factus eſt nobis ſapientia, iuſtitia, & ſanctificatio*, ideſt horum cauſa. Spiritus Sanctus quamuis vnicus (18) *ſubſtantialiter*, ratione tamen virtutis, & operationis, in ſeptem Aſiæ Eccleſias, à Ioanne dicuntur *ſeptem ſpiritus ſtantes in conſpectu throni*, à quibus, vt à Patre & Filio gratiam optat & pacem Eccleſijs.

Putant aliqui, non eſſe metonimiam in verbis, quum ſit nominis pro nomine poſitio, ſed Perſius inquit:

Intus
Palleat infelix quod proxima neſciat vxor,

Intus autem pallere quis poteſt? Sed quia timor eſt cauſa palloris, palleat dixit pro timeat, ſic & Flaccus;

Pueris omnis pater, & matercula pallet.

hoc eſt liberis timet. Virgilius etiam dixit

Vidit albeſcere lucem

albeſcere autem propriè conuenit rebus, quæ luce colluſtrantur, vnde lux alboris eſt cauſa; Sic & mirari dicimus pro ignorare, vt Plautus

Si quis miretur, qui ſim, paucis eloquar.

Quod ergo dicunt metonimiam nomen ponere pro nomine, non obſtat, quum etiam verba (19) *nomina* dici poſſint, alioquin non opponerentur (19) *nomina* (20) *rebus*, nec definitio quid nominis opponeretur reali, nec verba fictitia, cuiuſmodi ſunt mugire, boare, pipire, rectè vocarentur nominum (21) *fictiones*. Obſerua etiam, ne quum effectus ponitur pro cauſa, eam obſcurè relinquas intelligendam, quia id moleſtum foret auditori.

Tertius & quartus modi metonimiæ, ſunt ſubiecti, & adiuncti. Subiectum autem eſt duplex, inhæſionis ſcilicet, quod neceſſario eſt ſubſtantia; & attributionis, quod poteſt etiam eſſe accidens; nam & linea dicitur longa, & tempus breue. Sed quum ad hos modos metonimiæ pertineat, quòd continens ponatur pro contento, & patronus pro cliente, quæ tamen ſubiecta non ſunt, liquet laxiùs ſubiecti, & adiuncti nomen ſumi ab Ariſtotele hic, ac in philoſophicis. Itaque diſpertiemus has ſubiecti, & adiuncti metonimias, vt alia ſit ſubiecti in ſe re-

cipientis, qualis eſt, quum continens ponitur pro contento: alia ſubiecti ad ſe recipientis, vt Dux ponitur pro exercitu. Alia adiuncti inhærentis, vt quum virtutes, aut vitia ponuntur pro perſonis, quibus inſunt: Alia adiuncti adhærentis, vt quum ſignum ponitur pro re ſignata. Ad quam refer metonimiam, qua obiectum ponitur pro eo, quod occupatur circa ipſum.

Metonimia ſubiecti in ſe recipientis fuerit, ſi ponatur ſubiectum pro qualitate, vel actione, quæ illi ineſt, aut in eo fit, vel pro re, quæ in eo continetur, quomodo iecur ponitur pro cupiditate, quia iuxta Platonem, cupiditatis eſt ſedes: vel etiam pro ſapientia, pro qua ponitur etiam cor. Hinc Pacuuius apud Ciceronem dixit;

Iſtis qui linguam anium intelligunt
Pluſque ex alieno iecore ſapiunt, quam ſuo,
Magis audiendum, quam auſcultandum cenſeo.

Plautus etiam

Di iſtam perdant, quam cata eſt, & callida:
Habet cor, quàm dicit, quod opu'ſt

Perſius quoque

Lunai portum eſt opere cognoſcere ciues
Cor iubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides quintus Pauone ex Pythagoræo

Sed quia, eſto Ariſtoteles, in corde animi locarit ſedem, alij tamen eam poſuerunt in cerebro, hinc etiam cerebrum pro ſapientia ponitur: ex quo Grammaticus quidam *Qui cereber dicunt, ſine cerebro viuunt.* Quia etiam pudor in vultu apparet, hinc frons & os pro pudore ponuntur, vt apud Perſium

Nauem ſi poſcat ſibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus.

Itaque dicimus, os nullum, hoc eſt nullius pudoris: & durum os, qui non facile erubeſcat; & pro eodem, os pugilis, in quo, cum metonimia eſt etiam metaphora, nam pugiles habent durum os, vt qui ſæpe cæſtibus feriantur: durities autem oris, inuerecundiam notat, & impudentiam.

Ad eamdem metonimiam refertur, quum per locum intelligitur actio in eo fieri conſueta vt *Age, nec ſemper forum, ſubſellia, roſtra, Curiamque mediteris*, nempe Iudicia, & orationes. Per locum etiam intelligimus id, quod locum occupat, vt *Terra erat labij*

vnius,

vnius, vel *Terra erat corrupta*, ideſt homines terram habitantes.

Aliqui putant hîc eſſe ſenecdochem, non metonimiam, quia ſenecdoche ſonat comprehenſionem. Verum alitèr locus comprehendit locatum, quod hîc accidit, alitèr totum partes, quod pertinet ad ſenecdochen: nec ſemper ethymologia conuertitur cum re. Certè metonimia, tranſnominationem ſonat, & tamen non ſemper, quum nomen ponitur pro nomine, eſt metonimia, quum alij etiam tropi nomen ponant pro nomine.

Aliqui etiam putant, hanc eſſe metonimiam adiuncti, non vero ſubiecti. Id verò falſum eſt, nam quum dicimus pateram ſpumantem, pro vino, Cœlum pro Cœlitibus, Romam pro Romanis, certum eſt Romanos, Cœlites, & vinum, non eſſe adiuncta pateræ, Cœli, vel Romæ, bene verò eis accidit talis locus in quo continentur; & ideo bene nominatur metonimia ſubiecti in ſe recipientis.

Metonimia verò ſubiecti ad ſe recipientis, accidit primò, quum poſſeſſor ponitur pro re poſſeſſa, vt

Iam proximus ardet

Vcalegon,

ideſt domus Vcalegontis: vel, quum deuorari dicimus hominem, cuius conſumuntur opes, vnde fuit origo fabulæ Actæonis, quum

Canes Actæonis deuorarunt oſſa, cutemque.

Varro tamen dixit: *Crede mihi, plures dominos cerui comedere, quam canes: quod ſi Actæon occupaſſet, & priùs ſuos comædiſſet canes, non nugæ ſaltatoribus in theatro fieret*. Ceruorum autem nomine, nequam intelligit ſeruos: canum verò paraſitos, & adulatores. Sic etiam Suetonius dixit: *Claudium venalem pependiſſe* nempe illius bona.

Neque dicas in talibus eſſe metonimiam adiuncti, vel poſſeſſorem eſſe perpetuò, ſicut contentum in continente, aut ſicut locatum in loco, vt Vcalegon in ædibus, Rex in arce &c. Nam ruſticus, cuius aliæ non ſint opes, præterquam boues vel aſinæ, non dixeris, cum bobus vel aſinis contineri, etſi (22) *octipedem* olim dixerint eum, qui vnius plauſtri & duorum boum dominus foret. Rectiùs ergo poſſeſſor dicetur ſubiectum ad ſe recipiens, quia opes, & reliqua fortunæ bona, hominibus accidunt. Eadem metonimia eſt, quum Deus loci, ponitur pro loco, cui præſidet, aut cuius eſt Dominus: vt Iouis nomine intelligimus aërem,

vt venator ab Ioue frigido: Orci nomine Plutonem, vt *In faucibus orci*. Et quum Neuius dixit:

Coquus edit Neptunum, Venerem ac Cererem.

pro Neptuno intellgit piſces, pro Venere olera, ſeu herbas:pro Cerere panem triticeum: ſiquidem Neptunus præeſt mari, vnde ſunt piſces. Venus hortis, vnde olera, & ipſis etiam oleribus: Ceres verò frumenti inuentrix fuiſſe dicitur. Quidam, quemadmodum metonimiam efficientis cognoſcunt in eo, quod Ceres pro tritico, Bacchus ponitur pro vino, ita eamdem eſſe putant, in eo, quod Iuppiter pro aëre, aut Neptunus pro mari nominatur; ſed iſti falluntur, quia nec Iuppiter æthera, nec mare Neptunus condidit, inimo erant iſta, antequam ipſi ex Rhea naſcerentur, & Saturno. Pertinet verò ad hanc metonimiam, quòd Dux ponatur pro exercitu, vt, quum ab Annibale ad Cannas ſexaginta Romanorum millia cæſa eſſe dicuntur. Ei enim quaſi ſubiecto, acceſſit imperium in exercitum, vt homini accidunt opes. Et eadem metonimiâ, patronus pro cliente nominatur, vel Reo, & ita Tullius à Chryſogono petit, vt, pecuniâ fortuniſque noſtris contentus, vitam, & ſanguinem ne petat.

Nec ſubiectum ſolam recipit perſonam, ſed etiam rem, quomodo Deo, vel homini accidit ſimulachrum, Regi ſceptrum, vino hædera &c. & propterea nunc res pro ſigno, nunc ſignum pro re ſignata nominatur: conſuetum namque, ac frequens eſt, ſigna, ſtatuas, imagines, ac picturas, Heróum, vel hominum, eorum, quorum ſunt ſigna, nominibus appellare; ex quo venit Tullianæ argutiæ materia: Quum enim is vidiſſet Quinti fratris ſui, (qui ſtaturâ puſillus erat) imaginem pectoretenus, clypeatam, ingentibus ductam lineamentis, ait. *Quintus frater meus, dimidius, maior eſt, quam totus*. Ad hanc metonimiam ſubiecti in ſe recipientis, reduci poteſt ea, quæ eſt obiecti, ſiue materiæ cuca quam; ſiquidem interdum obiectum ponitur pro re, quæ circa ipſum occupatur, vt *ſilent inter arma leges*, nempe Iudices, quorum eſt, ſententiam iuxta leges ferre: vel

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſyluas,

hoc eſt, carmen de Amarillyde.

Metonimia adiuncti inhærentis fuerit, quum contentum ponitur pro continente, vel qualitas pro perſona qualificata. Prima eſt in Catullo dicente

Te campo quæſiuimus in minore,

Te

Te Circo, te in omnibus libellis:

libellorum enim nomine intellexit bibliothecas, quemadmodum Græci dicunt (23) *in piſcibus* pro (24) *in foro piſcario* vel (25) *in oleribus* pro, (26) *in foro olitorio*. Secunda erit ibi

Accipe nunc Danaum inſidias:

vel quum dicimus, ſcœlus pro ſcœleſto, aut flagitium pro flagitioſo: niſi forte has formas conſideres vt partes eſſentiales ſcœleſti aut flagitioſi quà talis, nam tunc non ad metonimiam, ſed ad ſynecdochem pertinerent.

Metonimiam verò adiuncti adhærentis eſt in primis, quum tempus ponitur pro eo, quod eſt in tempore, vt,

Væ ætati tuæ ideſt tibi: vel, quum ſeculum ponitur pro genere, aut multitudine, vt Lucretius ait,

Parit omnia ſecla ferarum,

ideſt, omnes feras: idem Lucretius

Lanigereque ſimul pecudes, & bucera ſecla,

ideſt boues habentes ingentia cornua. Quo refer, quum ſignum ponitur pro ſignato, quomodo Hebræi, nomen ponunt pro re; quod imitati ſunt Græci dicentes (27) *Thebæorum nomina* pro Thebanis: & Latini, Romanum nomen pro Romanis. Sic per ſceptrum notatur regnum, per faſces Conſulatus &c. Par fuerit ratio, quum per pubem ſignatur iuuentus: & ſenectus per canitiem, aut quum indumentum ponimus pro perſona, vt

Cędant arma togę, concedat laurea lingue

Metonimia tandẽ occupantis fuerit, ſi ponatur res pro obiecto: (28) *vt fides* pro (29) *eo quod creditur*, aut ſpes pro re ſperata, ſic, *ſpes quæ differtur affligit animam* Sic, *dedit mihi petitionẽ meam*, nempe rem, quam petieram. infra, quum tractabimus metalepſim, dicemus de metonimia antecedentis & conſequentis.

(1) Μετωνιμία (2) ἰπαλλαγὴ (3) μετωνιμίας (4) καταλεξιν (5) ἀντωνομία (6) μετωνομασία (7) αντωνομασία (8) μετωνιμίαν (9) βαλανοφάγοι (10) μετάληψιν (11) μετωνιμία (12) φοίνικα (13) συνεκδοχὴν (14) συνεκδοχὴ (15) ἀντροποπάθειαν (16) ἀτροπάθεια (17) ἀπαθὴς (18) ὑσιωδῶς (19) ὀνόματα (20) τοῦ πράγμασι (21)

τοπε

τοπε ποιημένα (22) ὀκτάποδα (23) ἐν ἰχθύσιν (24) ἐν ἰχθυοπωλείοις (25) ἐν λαχάνοις (26) ἐν λαχανοπωλείοις (27), τὸ Θηβαιῶν ὄνομα (28) πίςις (29) τὸ πίςον.

CAPVT TERTIVM.

De Senecdoche,

SEnecdoche, iuxta Fabium, Quintilianum, & Cyprianum Soarium, eſt tropus, quo ex parte totum, aut ex antecedentibus conſequentia intelliguntur, cuiuſmodi eſt in illo Virglij,

Aſpice, aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci;

Nam hinc intelligimus noctem appropinquare. Pace tamen ipſorum, falſum eſt, ſenecdochen tunc eſſe, quum ex antecedentibus intelligimus conſequentia: eſt enim potiùs, tunc metonimia, vt in ſequentibus confirmabo: Vnde in exemplo adducto eſt metonimia ſigni, quia, quum boues, diurno perfuncti labore ſtabulum repetunt, ſignum eſt noctis appropinquantis. Quapropter tunc tantum erit ſenecdoche, quando totius, & partis nomina commutabuntur: & ideo tropus iſte, quem Latinorum nonnulli intellectionem appellant, magiſter Herennianus comprehenſionem vocat; totum autem ſuas comprehendit partes, & hæ ab illo comprehenduntur, vnde ſicut trifariam conſiderari pòteſt totum, nam aliud eſt vniuerſale, aliud eſſentiale, & tertium integrale, cuicunque ipſorum ſuæ correſpondent partes. De ſingulis videamus.

Senecdoche (1) totius vniuerſalis, ſiue generis pro ſpeciebus & indiuiduis, eſt, quum creatura, aut mortalis, ponitur pro homine; (2) *terrena*, aut (3) *irrationabilia* pro equis: ſydus pro ſirio, ſeu canicula: (4) *aſtrum* pro ſole: Vrbs pro Roma: & apud Græcos Pergama pro arce Trojana: nam linguâ Ionicâ, Pergama primò arcem ſignificat, & ideo ab aliquibus additur ſubſtantiuum inferius, Troiæ, vt apud Platonem (5) *Neque iuiſti ad Pergama Troiæ*. Et apud Euripidem (6) *Perdidit perdidit Pergama Troiæ*: ſic etiam (7) *auis* ponitur pro gallina, & olus pro braſſica. Sic etiam (8) *ſtultè agere* ponitur pro libidinosè. Vnde

de Amnoni dixit Thamar *Ne facias ſtultitiam hanc*. Et propterea Homerus dixit, Venerem conſuluiſſe Paridi, vt Helenam raperet: per (9(*Venerem* intelligens (quod innuit aphroditis nomen) (10) *ſtultitiam*. Similiter affari, ſumitur ſpecialiter pro eo, qui cum affectu, & ſolatij cauſa alloquitur, hinc mulieres dicuntur ire alloquutum, quum eunt cauſa aliquem conſolandi. Sic Theologi nomine intelligitur Ioannes Euangeliſta; vnde antonomaſia, ſpecies eſt (11) *ſenecdoches*

Senecdoche (1) verò ſpeciei erit, quum nomen minùs vniuerſale, ſumitur pro magis vniuerſali, quomodo omnia loca amœna appellata ſunt Thempe quamuis Thempe propriè in Theſſalia fuerit. Sic abies ponitur pro omni ligno, vnde naues dicuntur abietes, eſto non conſtent ex ſolis abietibus. Præterea ſacer propriè is eſſe dicitur, qui contra ſacratas leges peccaſſe iudicatus fuit, ſed per hunc tropum accipitur pro quouis improbo; vnde eſt

Auri ſacra fames,

niſi hîc ſacra ſit idem, ac magna, quomodo Græci (12) *ſacros morbos* vocant eos, qui fuerint (13) *deſperati*. Eadem (1) *ſenecdoches* eſt in vocibus ſtupri, inceſtus, flagitij &c. nam ſtuprum propriè eſt cum non nupta, ſeu virgine; nonnunquam tamen accipitur etiam pro adulterio, quomodo Cicero ſtuprum dixit commiſiſſe Clodium cum vxore Cæſaris, immò & pro quolibet dedecore, vt magnum ſtuprum populo fieri. Inceſtus verò propriè eſt cum conſanguineis aut affinibus, ſed generaliùs accipitur pro adulterio. Vnde Cicero inceſtum etiam vocat, Clodij cum vxore Cæſaris, & adhuc generaliùs Maro ait,

Totamque inceſtat funere claſſem.

Ad idem pertinet, quod Martialis ait,

Quum mors venerit,
In medio Tybure Sardinia eſt.

Vbi Sardinia ponitur pro quouis loco inſalubri, ac peſtilenti, cuiuſmodi erat Sardinia.

Senecdoche (1) totius eſſentialis erit, ſi homo, qui eſt quoddam totum, ex anima conſtans, & corpore, per aliquam ex ſuis partibus intelligatur: & idem eſt de alijs compoſitis, ſiue naturalibus, ſiue artificialibus, vt ædificium per materiam, vel ſtructuram. Ita Magdalena, interrogata quid quæreret, aut quur ploraret: reſpondit *Tulerunt Dominum meum*, nomine Domini ſui,

illius

illius corpus intelligens. Sit Maro Eneid. 6.

Nomen, & arma locum ſeruant te amice nequiui
Conſpicere,

Te dixit, pro tuum corpus. Per ſolam etiam animam intelligitur totum, quum diues in inferno vidit Abraham, & Lazarum, nempe horum animas. E contra verò (1) *ſenecdoche* partis eſſentialis erit, quum nomine partis intelligitur totum, vt quum Epiphanius dixit, quemdam fuiſſe Dominum octaginta corporum, ideſt, hominum viuentium per animam. Immo apud Latinos, corpora dicebantur mancipia, & ſeruiles perſonæ. Ab anima etiam intelligitur totum, in illo Heracliti (14) *Anima ſicca ſapientiſſima* nempe homo ſobrius: Sic Horatius

Plotius, & Varius Sinueſſæ, Virgiliuſque.
Occurrunt, animæ, quales neque candidiores
Terra tulit, neque queis me ſit deuictior alter.

Nec (15) *externi* tantum ſic loquuntur, nam Ionas & Helias petierunt animæ ſuæ vt moreretur, ideſt ſibi ipſis. Et ſtultus ille apud Lucam, adhortatur animam ſuam, vt edat, & bibat de bonis, quæ congregauerat. Hinc Fulgentius habet: *Carnis ſolius, & animæ nomine, plerùmque natura humanæ plenitudinem nuncupari.*

(1) Senecdoche totius integralis, ſeu quantitatiui eſt, quum tota membrorum multitudo, ponitur pro vno membro. Sic apud Plautum, Soſias dicitur *vlmorum Acherons*, in cuius tamen tergo non integræ vlmi, ſed decerptæ tantum ex vlmis virgæ, conſumebantur, & quaſi moriebantur. Pro quo etiam alibi dixit. *Vberem vlmeam virgidemiam*: & alibi *Vlmitriba*, ſic dictus, quaſi vlmiattritor, quia frequenter vlmeis cædebatur virgis. Apud eumdem eſt

Væ illis virgis miſeris, quæ hodie in tergo morientur meo.

Talis Senecdoche eſt in illo Terentij

Quis eſt hic ſenex, quem video in vltima platea,

& in illo Maronis.

Imaſ obſedere fores:

& in illo Ciceronis. *Ex vltima Vrbe* nempe vltima parte Vrbis fori, & plathææ. Talis etiam eſt in illo Virgilij.

In foribus pugnam auro, ſolidoque elephanto.

Nempe ebore. Et in illo Horatij

Seruiet æternum, qui paruo neſciet vti.

Æter-

Æternum enim dicit pro toto vitæ tempore, & non pro eo, quod fine caret, ac principio. E contra vero nomine partis integralis intelligitur tota, quomodo Latini Achaiam dicut pro tota Græcia, quod inde factum, quia quũ Romani Græcos ſubegerunt, Achæi principabantur. Sic, quũ apex propriè ſit virgula lanea, in ſummo Flaminis pileo, pro pileo per ſenecdochem accipitur. Sic Iſrael duodecim conſtans tribubus, in tertio, & quarto Regum, & in libris prophetarum, pro decem tribubus accipitur, & ita diſtinguitur contra Iuda: immò primo Machabæorum, ſumitur pro ſola Iuda. Sic Chriſtus dicitur fuiſſe in corde terræ, id eſt in limbo, & ſepulchro, tribus diebus, & tribus noctibus, quum tamen tantum quadraginta horis fuerit; ſed ſenecdochicè accipitur pro partibus primi, & extremi diei. Sic Chriſtus dicitur filius hominis, paſſus, mortuus &c. ſecundum naturam humanam; idem etiam dicitur deſcendiſſe de Cœlo, & fuiſſe antequam Abraham fieret &c. ſecundum Diuinã; quia ambæ natura verè ſunt in vna Chriſti perſona, quamuis illæ nõ ſint huius partes: & propterea perſona Chriſti non dicitur compoſita ex illis naturis, tamquam ex partibus, ſed ſicut ex numeris.

Ad hunc ſenecdoches modum pertinet, numeri commutatio, vt, quum ſingularis ponitur pro pluratiuo, vel è contra, quomodo legimus Aaron extendiſſe manus ſuper aquam Ægypti, quæ eduxit ranas, *& educta eſt rana, & operuit terram*; Vbi inquit Auguſtinus *Repetitio, à plurali ad ſingularem numerum traiecta eſt, nam vtique rana pro multitudine ranarum poſitum eſt*: neſcio autem, quo modo per loquendi conſuetudinem imbutis ſenſibus hominum, ſæpe plus videatur quod ſingulariter, quàm, quod pluraliter dicitur: Nam plus accipitur quum dicitur, Verbi cauſa, eſt illic miles, quàm, ſunt illic milites: eſt illic piſcis, quàm ſunt illic piſces. Pluratiuum verò ponimus pro ſingulo, quum colla, aut ora dicimus, vnum tantum ſignificantes. Sic Nos pro ego, Vos pro tu, frequens eſt. Sic Ionas deſcendit in latera nauis, nempe in alterutrum latus. Sic Ioannis 6. legimus, *Eſt ſcriptum in prophetis*, nempe in vno Iſaia. Numerus etiam certus ponitur pro incerto, vt

O terque quaterque beati,

id eſt multum beati: vel, millies hoc audiui, id eſt ſæpiùs. Sic Ioannes, in circuitu throni, dicit, fuiſſe millia millium, & decies millies centena millia, hoc eſt multitudinem penè infinitam:

tam: nam reipſa in creatis nihil eſt infinitum, niſi ille, qui eſt, & qui erat, & qui futurus eſt, cuius centrum eſt vbique, & peripheria nuſquam. Ad idem pertinet, quum numerus rotundus ponitur pro maiori vel minori, vt, quum naues Græcorum euntium ad euertendam Troiam, dicuntur fuiſſe mille, quum tamen ex Homero appareat, fuiſſe mille centum octoginta ſex. Sic interpretes ſacræ ſcripturæ dicuntur fuiſſe ſeptuaginta, qui tamen ſeptuaginta duo fuiſſe traduntur. Sic Abimelech dicitur occidiſſe ſeptuaginta fratres ſuos filios Ierobaalis Gedeonis, à quo tamen numero excipi debet Ioathan, qui cædi ſubductus fuit, & forte ipſe Abimelechus, ſi, vt credi poteſt, ipſe etiam inter ſeptuaginta Gedeonis filios erat numeratus. Sic innumerabilia dicimus pro multò plurimis.

(1) Συνεκδοχὴ (2) ζῶα (3) ἄλογα. (4) ἄστρον (5) οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίης (6) Ὤλεσιν ὤλεσιν Πέργαμα Δαρδανίας (7) ἄρνις. (8) ἀφροδισιάζειν (9) ἀφροδίτιν. (10) ἀφροσύνιν. (11) συνεκδοχής. (12) ἱερὰς νόσους. (13) ἀπεγνωσμέναι. (14) Αὔη ψυχὴ σοφωτάτη (15) οἱ ἔξωθοι.

CAPVT QVARTVM.

De Ironia.

NOn vno transfertur modo (1) *ironia* vox à Latinis: Aliqui diſſimulationem, aut diſſimulantiam vertunt; & propterea Socrates, quòd lepore, ac humanitate, diſſimulando, cæteris antiſtaret, appellatus fuit (2) *irona*, & ſcurra Atticus. Verum per diſſimulationem non innuimus contrarium eius, quòd dicimus, quòd tamen *ironia* facit. Alij vertunt Dictum, ſeu Dicterium, quòd ethymologia ſonare videtur, ſiquidem dicitur (4) *ab irin*, quòd (5) *ad verbum* ſonat, *dicterium*: ſed aliud eſſe ironiam, aliud dicterium, omnes fatentur. Alij transferunt pellicationem: ſed pellicatio importat inductionem, à pelliciendo, ſeu inducendo, & propriè notat dolos, & fraudes per ſermo-

indu-

indecentium. Vertunt alij cauillationem, quæ tamen propria eſt iuriſconſultorum, qui quum ſuis clientibus cauere neſciunt, aliquid confingunt, quo ſe eis cauere ſimulent, & quia ita ſuorum ſimplicitati illudunt, cauillationis nomen, ad iocos, & ſcommata eſt extenſum. Meliùs vertunt qui (6) *ironiam* irriſionem transferunt: Sed nihil meliùs habet ſermo Latinus, quàm illuſionem, quam contingere dicunt, quum aliud in pectore recluſum, aliud in lingua promptum habemus, & ſententia enunciationis in contrarium à verbis excipitur. Vnde ironia eſt tropus, intentum oſtendens per contrarium; & niſi pronunciationis grauitas adiuuet, confiteri videtur, quod negare contendit, Definiri autem poterit ironia, quòd ſit tropus, quo per id, quod dicitur, intelligitur contrarium. Vbi contrarij nomine, intelligimus quodcumque (7) *oppoſitum*. Non enim eſt tantùm ironia, quum verè contrariũ intendimus, vt Athenæus Platonem vocat (8) *memoriæ charum*, quũ obliuioſum dicere vellet, vt pote qui (24) *diſſona*, ac pugnantia diceret; Sed etiam, quum Iuuenalis inquit,

O ſanctas gentes quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina.

Nam vt non indicare voluit, idcirco eſſe ſanctas, quia in eorum hortis tales ſuccreſcerent Dij, ita nec propterea eſſe irreligioſas, & impias· ſed ex abſurdo conſequenti, innuens antecedens abſurdum, ſenſit non ideo eſſe ſanctas, quod priori contrarium non eſt, ſed contradictorium. Quod ſi hoc exemplum non placeat, quur ei, qui nobis, genere, eruditione, dignitatibus &c. par ſit, ſed nos, ceu multò inferiores, aſpernatur, dicere non liceat, Tu ſcilicet nobis, genere, eruditione &c. præſtas: ita enim non nos illi præferimus, quæ foret contrarietas, ſed hoc vnum ſpectamus vt quum is ſuperior non ſit, ſeſe vt ſuperiorem non gerat, quæ eſt contradictio; niſi velis hic eſſe relationem, quæ tamen euidentior eſt in hoc alio exemplo. Si pater, filio, leges ſibi præſcribere volenti, dicat, Nempe tu pater es, ego filius. Aut ſi Princeps ſubditis dicat, ſcilicet ſubditi in Principem habebunt imperium. Circa priuatiuè oppoſita contingit, ſi de cœco dicas, eum cernere, tàm acutè, quàm vt linx, vel aquila, aut ſerpens Epidaurius.

Quia verò accidit multoties, obſcurum eſſe, num verba propriè, an (10) *ironicè* ſint accipienda, quum multi propriè accipiant dictum à Cicerone in priori Catilinaria. *Ad Q. Metellum*

Prætorem veniſti, à quo repudiatus, ad ſodalem tuum, virum optimum M. Marcellum demigraſti. Sed quomodo vir optimus,qui ſodalis foret Catilinæ. Idem de initio Ligarianæ. *Nouum crimen C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africa fuiſſe*.Sed quomodo nouum & inauditum erat, quum conſtaret omnibus,tam multos contra Cæſarem in Africa pugnaſſe, quibus omnibus ille ignouerat? Idem in illo Maronis, quum Iuno ait.

Quippe vetor fatis,

Quod tamen non erat, nam reipſa tempeſtatem excitauit. Seruius etiam vult (11) *ironicè* dictum fuiſſe.

O formoſe puer nimium ne crede colori;

Sed hic nulla certè eſt ironia. Vt ergo obſcuritas iſta vitetur,vtile fuerit aliquam ex his particulis addere, ſcilicet, nempe, quaſi, vero, ſanè, certè aut ſimiles,vt, Egregiam verò laudem conſequutus eſt, hoc eſt nullam. Scilicet is ſuperis labor eſt,pro nequaquam. Sic Catilinaria ſecunda.*Homo videlicet timidus,& permodeſtus, vocem Conſulis ferre non potuit*, qui erat audaciſſimus. Vel ſubdemus ipſi contrarium, vt; Docebit litteras, quas non didicit: ita Cato apud Saluſtium ait. *Coniurauere nobiliſſimi ciues patriam incendere, Gallorum gentem, infenſiſſimam Romano nomini, ad bellum accerſunt, Dux hoſtium cum exercitu ſupra caput eſt,vos cunctamini etiam nunc, & dubitatis quid, intra mœnia deprehenſis hoſtibus, faciatis. Miſeremini cenſeo: deliquere homines adoleſcentuli per ambitionem, atque etiam armatos dimittatis, Ne iſta vobis manſuetudo, & miſericordia, ſi illi arma ceperint, in miſeriam conuertatur. Scilicet res ipſa aſpera eſt, ſed vos non timetis eam. Immò verò maximè, ſed inertiâ, & mollitie animi, alius alium expectantes cunctamini: videlicèt Dijs immortalibus confiſi,qui hanc Remp. ſæpe in maximis periculis ſeruauere. Non votis,neque ſupplicijs muliebribus,auxilia Deorum parantur, vigilando, agendo, bene conſulendo, proſperè omnia cedunt: vbi ſocordiæ te, atque ignauiæ tradideris, nequicquam Deos implores, irati, infeſtique ſunt*.

Sunt aliqui, qui aſpernantur ironiam, quaſi ſpeciem quamdam mendacij, quod vt de materiali non negauerim,de formali, non concedam eſſe in ea falſitatem, quum fallendi nullus ſit animus, adeout, neque is, qui dicit, fallatur, neque is, cui dicitur. Hinc ipſe Deus eâ vtitur Geneſis 3. *Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis, ſciens bonum,& malum, videte ne fortè ſumat de*

ligno

ligna vitæ, & viuat in æternum: Similiter Iudicum 10 idem Deus ait. *Ite, & inuocate Deos, quos elegiſtis, ipſi vos liberent in tempore anguſtiæ.* Et 3 Regum 18 Helias illudebat prophetis Baal, dicens *clamate voce maiore, Deus enim eſt, & forſitan loquitur; in diuerſorio, aut eſt in itinere, aut certè dormit, vt excitetur.* Sic Amos 4 *Venite ad Bethel, & impiè agite, ad Galgala, & multiplicate præuaricationem, & adferte manè victimas veſtras, tribus diebus decimas veſtras, & ſacrificate de fermento laudem, & vocate voluntarias oblationes, & annunciate; ſic enim voluiſtis filij Iſrael, dicit Dominus Deus.* Ironia etiam eſt in illo Pauli 1 Corinthiorum 4 *Iam ſaturati eſtis; iam diuites facti eſtis, ſine nobis regnatis, & vtinam regnetis.*

Et hic obſerua aliquos dixiſſe, numquam eſſe (12) *ironiam* in verbis ſimplicibus. Sed ſi ita foret, Gripus apud Plautum in Rudente, ei, quem Trachalus ſtultum eſſe dixerat, non diceret: *Salue Thales.* Sophocleus etiam Oedipus, non appellaret (13) *vatem venerabilem,* (14) *malum vatem.* Ptolomæus etiam (15) *philometoris* cognomen habuit, vtique (15) *ironicè* quum nullum ſciamus è Regibus, qui tantopere matri fuerit inuiſus. Talis etiam ironia eſt in illo Iuuenalis,

Nanum cuiuſdam Atalanta vocamus.

Nam Atlas, de pumilione, non, niſi ironicè dici poteſt.

Quod vero attinet ad reliquos tropos, falſum etiam eſt, non poſſe eſſe, niſi in ſimplicibus verbis: ſiquidem num non eſt metonimia in illo Tullij, *Gratias tibi agam propediem:* nimirum poſtquam beneficium contuleris, quod vtique non dubito, te præſtiturum, quòd certè eſt cauſa gratiarum actionis; & ita effectus ponitur pro efficiente. Metonimia etiam eſt in illo, quod Nepos refert de Attico, nempè, quòd numquam cum matre in gratiam redijt, quia numquam cum ea intercesſit diſſenſio, aut animorum alienatio, & ita metonimia ſigni. Senecdoche verò eſt in eo, quòd legitur 4. Regum 3. *Eſt hic Heliſæus filius Saphat, qui fundebat aquas ſuper manus Heliæ,* ideſt qui Eliæ miniſtrabat. Et in illo Io. Baptiſtæ *Cuius non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calceamenti,* hoc eſt viliſſima ei præſtare miniſteria. Metaphora denique in verbis coniunctis eſt; Nam dicimus hominem emunctæ naris, ideſt purgati iudicij, dicimus iugulum petere, pro interficere: in arenam deſcendere, pro accedere ad quamcunque pugnam, & alia innumera ſunt, in quibus apparet, non tantum irriſionem, ſeu ironiam, ſed alios etiam tropos eſſe in verbis coniunctis.

CA-

(1) εἰρωνείας (2) εἴρονα (3) εἰρωνεία (4) ἀπὸ τοῦ εἴρειν (5) κατ᾽ λέξιν (6) εἰρωνείαν (7) ἀντικείμενον (8) τῦ μνημοσυνὴ φίλον (9) ἀσυμφώνως (10) εἰρωνικῶς (11) εἰρωνίαν (12) σεμνόμαντιν (13) κακόμαντιν (14) φιλομήτορις (15) εἰρωνικῶς.

CAPVT QVINTVM.

De Speciebus Primariorum Troporum.

SEx aliæ recenſentur ſpecies troporum, quibus iam enumeratarum definitiones accommodari poſſunt; nimirum (1) *metalepſis*, quæ figura videtur eſſe ſpecies (2) *metonimia*: (3) *ſenecdoches* ſpecies, quæ quattuor adiungi poſſunt, nempe (4) *antonomaſia*, (5) *chrinotes*, (6) *ſyllepſis* & (7) *Litotes* & (8) *Ironia* ſpecies nempe (9) *Euphemiſmus*, ſiquidem talium primariorum troporum definitiones, his proportionaliter accommodari poſſunt; Metaphora verò, quæ tàm latè patebat apud Ariſtotelem, nullam habet ſub ſe ſpeciem apud recentiores rhetores.

Igitur metalepſis accidere poteſt bifariam, primò quando ex antecedenti intelligitur conſequens, aut e contra, ex conſequente antecedens. Secundò, quum gradatim ex vna ſignificatione procedimus ad aliam. Et priori modo eſt ſpecies metonimiæ, poſteriori verò, eſt troporum affectio. Sumitur autem quandoque (1) *metalepſis* ita laxè, vt nihil differat à (10) *metonimia*, vt quum Heraclides Ponticus aſſerit, Homerum per (11) *Vulcanum* (12) *metaleptice* intelligere (13) *ignem*. Nunc tamen de ea anguſtiùs loquimur, nempe pro ea *metonimia* ſpecie, quâ ex conſequentibus cognoſcimus antecedens, vel ex antecedentibus conſequens, vt ſcribit Donatus in Andria. Dicas, pro credas, non enim dicimus niſi, quod credimus, ab eo, quod ſequitur, id, quod præcedit, figura (1) *metalepſis* à poſterioribus ad priora. Et ibidem inquit: Iubeo (12) *metalepticè* poni pro volo, quum Simo iubet Chremetem ſaluere: Et alibi ait: Volumus animis, iubemus verbis, verba autē ſunt ſymbola animi. Sic etiam Greci aut (14) *plorare* dicunt, pro (15) *miſerum eſſe*; (1) *Metalepſis*

Metalepſis

taleplis verò conſequentis fuerit, quum facere ponimus pro dicere, aut narrare. Eadem eſt in eo, quòd Catullus ait. Non fuiſſe gratius Atalantæ aureolum illud pomum, ſeu malum, quod zonam ſoluit diu ligatam, idest, per quod factum eſt, vt poſt illa haud diu fuerit ſine (16) *gratia*, vel (17) *expers veneris*, ſeu illibatæ virginitatis. Huius etiam loci eſſe videtur, quòd recordari fœderis dicimus, pro, illud ſeruare: & reminiſci peccatorum, pro, ea punire: &, quod ignorare dicimus, pro aſpernari, aut deſpicere. Et omnia iſta exempla pertinent ad metonimiam cauſæ, vel effecti, ſubiecti, aut adiuncti, vel etiam ſigni; Sunt tamen adhuc alia quædam, quæ ad nullam ex dictis metonimiæ ſpeciebus pertinere poſſe videntur, vt quum dicimus, Fuit, vel Vixit, pro, obijt, aut viuere deſijt, & ideo neceſſarium fuit, reliquis ſpeciebus addere metonimiam antecedentis, & conſequentis. Vbi tandem etiam obſeruamus, quod, quemadmodum metaphora, ita & metonimia, poteſt eſſe reciproca, nam ſicut ex eo, quòd ex frequenti populi concurſu, loca nomen celebre conſequntur, ideo celebrare ſumitur pro frequentare, ita etiam è contra frequentare pro celebrare.

Quoad alium (18) *metalepſis* modum, quo videlicet ex vna ſignificatione procedimus in aliam, itaut, vt loquitur Fabius Quintilianus, ipſa (1) *metalepſis* ſit gradus quidam medius, nihil ipſe ſignificans, ſed tranſitum præbens, qua ratione non eſt tropus, ſed troporum accidens ſeu affectio. Talis (1) *metalepſis* eſt in illo Ouidij

Ipſe ego ſegnis eram, diſcinctaque in otia natus.

Nam otium, per metonimiam effecti, dicitur diſcinctum, quia diſcinctos facit; diſcinctus verò ponitur, pro negligente, quæ eſt metonimia adiuncti. (1) *Metalepſis* habens coniunctam (19) *metonimiam*, cum (20) *metaphora* eſt in illo Virgilij:

Sæpè etiam effoſſis, ſi vera eſt fama, latebris,
Sub terra fodere larem:

Vbi larem, qui erat Deus domeſticus, (20) *metonimicè* ponitur pro domo ipſa; domicilium autem (21) *metaphoricè*, ponitur pro alueari, ſeu cauernis apum. Apud eumdem Maronem eſt

Poſt aliquot, mea Regna videns, mirabor ariſtas:

Nam ex ariſtis, per ſenecdochen partis, ſignificantur ſegetes: per ſegetes, intelliguntur æſtates, quæ eſt metonimia ſubiecti; ſiqui-

ſiquidem res, quæ eſt in tempore, temporis eſt ſubiectum: & per ætates, per ſenecdochen etiam partis, intelliguntur anni. Qua metaliptica gradatione, ſæpè vtitur Perſius, & inde magna pars obſcuritatis ipſius. Ab hac verò, oratores abſtinere plurimum debent.

(22) *Antonomaſia*, Latinis prænominatio dicitur, & à Quintiliano definitur, quòd aliquid pro nomine ponat: aliqui tamen damnant hanc definitionem, eo quòd, quilibet tropus ponat aliquid pro nomine; Verum defendi poteſt, quòd nomen acceperit propriè, vt diſtinguitur à vocabulo; antiqui enim, nomina dixere, quæ nos propria dicimus, appellatiua verò, & communia, dicebant vocabula. Hinc Varro libro I. de Analogia inquit. *Sequitur de nominibus, quæ differunt à vocabulis, ideo, quòd ſunt finita, ac ſignificant res proprias, vt Paris, Helena, quum vocabula ſint infinita, ac res communes deſignent, vt vir, mulier*. Et idem ibidem ait: *Appellandi partes ſunt quattuor, e queis dicta eſt à quibuſdam Prouocabula, quæ ſunt vt, Quis, Quæ. Vocabula, vt ſcutum, gladius: Nomina, vt Romulus, Remus. Prænomina, vt bis, hæc, hoc*. Itaque Fabius triplicem (23) *antonomaſiæ* modum facit, quorum primum dicit fieri per epitheton, vt Pelides, Tydides: ſecundum per ea, quæ in vnoquoque ſunt præcipua, vt Diuûm pater, atque hominum Rex: Tertium per facta, quibus perſona ſignatur, vt,

Thalamo quæ fixa reliquit
Impius

(22) *Antonomaſia* tamen ab epitheto differt ſitu; nam epitheton eſt, quando coniungitur proprio, vt, Thelamonius Aiax, ad differentiam Aiacis Oilei, antonomaſia verò eſt, quum abeſt proprium, vt, Thelamonius heros. Quod autem huiuſmodi patronimica pertineant ad antonomaſiam, ex eo liquet, quia in eis eſt ſenecdoche, antonomaſia verò, ſenecdoches ſpecies eſt. Nec obſtat, quòd non ſemper ſit communiùs proprio, vt Anchiſiades, nam eſto in actu non ſit communiùs, quia de facto non fuerunt plures filij, ſufficit quod eſſe potuerint. Adde quòd non tantum filij, ſed & nepotes in patronimicis ſint, vnde ab Eaco, nedum Peleus, ſed etiam Achilles, immò & Pyrrhus Epirotarum Rex Eacides fuit appellatus.

Circa ſecundum (23) *antonomaſiæ* modum traditum à Fabio, nempe, quum id, quod in quoquam eſt præcipuum ponitur pro nomi-

nomine, vt Carthaginis, aut Numantiæ euerſor, pro Scipione: Romanæ eloquentiæ princeps, pro Cicerone, vel, vt Manilius habet

Aethereuſque Plato, & qui fabricauerat illum;
Damnatuſque ſuas meliùs damnauit Athenas

nempe Socrates; quem etiam aliter deſcripſit Perſius, dicens

Barbatum hoc crede magiſtrum
Dicere, ſorbitio tollit, quem dira cicuta.

obſeruandum, tunc tantum in huiuſmodi periphraſibus, eſſe antonomaſiam, quum id, quod pro nomine ponitur, nomine eſt communiùs; ſi verò æque late pateat, vt non eſt ſenecdoches commutans totum, ac partes, ita nec antonomaſia, quæ ſenecdoches ſpecies eſt.

Obſerua etiam circa tertium antonomaſiæ modum, nempè, quum facta pro nomine ponuntur, vt,

thalamo quæ fixa reliquit
Impius,

vel in hoc Ciceronis: *Non multa peccas, inquit ille, fortiſſimo viro, ſenior magiſter*, nempè Chiron Achilli, quod meliùs dixiſſet, ſi hoc tertium genus contingere dixiſſet, quoties qualitas pro nomine ponitur; nam *impius, fortiſſimus, ſenior*, &c. qualitates ſunt, at, ſaltem *ſenior*, ad facta referri non poteſt.

Meliùs tamen duplex tantum antonomaſia conſtituetur, altera, quum commune ponitur pro nomine proprio: altera, quum propriũ pro communi: nam vterque modus ad ſenecdochen pertinet, cuius ſpecies eſt antonomaſia. Ponitur proprium pro communi, quum prophetæ quemcunque probum Regem, appellabant Dauid: & Athenienſes omnes (24) *figulos* dicebant Prometheos, quos imitatus Iuuenalis ſatyra 4. ait,

Debetur magnus patina ſubitu ſque Prometheus,

ideſt figulus: cæcos dixere Tireſias, pauperes Iros, Cræſos diuites, & eos, qui in (25) *lepotaro* conuocarent, ceruos, capros, aliaſque quadrupedes, dicebant Orpheos. Sic molles, & effœminatos vocabant Sardanapalos, & vxorem caſtam, Lucretiam, eam verò quæ marito imperaret, Tanaquil appellabant. Commune verò loco proprij ponitur, quum Græci abſolutè (26) *Regem* dicebant, qui Perſis imperaret, quos imitatus Terentius ait:

In Aſiam ad Regem militatum abijt Chremes

Sic quum Vrbs ponitur pro Roma, Poëta pro Homero, aut Virgilio

gilio, Apoſtolus pro Paulo &c. Sic Homerus (27) *Vrbem* dixit pro Troia, vnde & Vlyſſem appellauit (28) *Vrbi capum*: Sic etiam per (29) *excellentiam* (30) *Prytanæum* dicebatur, quod erat Athenis, eſto propriè (30) *Prytanæum* foret vbicumque colebatur Veſta, nempè, vbi erat lucerna cum perpetuo lumine, (31) *ab igne, & lumine*, quod erat etiam in alijs Vrbibus.

Operæ preciū hic fuerit aliqua dicere (32) ſeu (33) *de ſermonis communicatione*, quâ, vel proprias laudes cum alijs comunicamus, vel auditorum peccatum communicamus nobis: vel tertiò quorundam virtutes alijs communicamus: vel tandem perſonas ipſas commutamus. Neceſſarium autem eſt, proprias laudes cum alijs communicare, ne ingrata, & odioſa ſit, rerum à nobis geſtarum, commemoratio: nam ſi alienæ quoque laudes, non ſatis æquis auribus audiuntur, quomodo moleſta non erit oratio, de ſe, aut de ſuis differentis? ideoque is, qui rectè fecit, non dicet, ſe feciſſe, ſed vos feciſtis, ſi tamen tale quid ab aliquibus eorum, qui adſunt, vel eorum maioribus factum fuerit: vel ſaltèm dicet: Nos fecimus. Poſſumus tamen nos ipſos laudare, neceſſitatis ſimulatione, vt fecit (34) *Demoſtenes*, qui veniam petijt, quòd ab aduerſario coactus, totiès dicat de ſe ipſo. Ratio etiam, quur aliorum peccatum communicare nobis debeamus, eſt, ne auditorum animus à nobis abalienetur, ſi ſe reprehendi ſenſerit; Vnde, non dicemus, vos iſtud feciſtis, ſed, nos fecimus. Quur autem quorumdam virtutes omnibus communicemus, ratio eſt, nam id auditores conciliat, nempe in laudis ſocietatem vocari, ob illud præclarum opus, quod quum fieret, ipſi fortaſſe, nec orti quidem fuerant. Commutamus tandem perſonas ad offenſionem vitandam, quia aliquibus loquendo, alios culpamus, Homerici Vlyſſis exemplo, qui, ſi quid in Rege reprehendendum foret; id culpabat in populo; ſi verò in populo, id reprehendebat in Rege. Ad quod etiam pertinet perſonæ commutatio, vt, quum *Demoſthenes* orationem conuertit ad Æſchinem, quem intendebat vexare, ſua in eum commemorando beneficia: quod fieri poſſe docet hîc Ariſtoteles, maximè ſi ab alio potiùs, quàm à nobis ea dici videantur.

Syllepſis (35) etiam ſpecies eſt ſenecdoches; quum vtraque compræhenſionem notet; ſed per ſenecdochen commutantur totum, & partes, per Syllepſin verò vocis ſignificationes, quæ ſunt quaſi formæ vocis. Eſt ergo ſyllepſis, quum vox anceps

acci-

accipitur communitèr, ſeu quum vno ambiguo verbo, plura ſignificamus: quod in comparitiuis accidit frequentiùs; Vnde Homerus tam de Achillis ira, quam de Neſtoris oratione, dixit, quòd foret (36) *dulcior melle*, & Virgilius

Nerine Galathea thymo mihi dulcior Hible:

nam dulcior, de melle propriè, de ira, oratione, & Galathea impropriè dicitur. Sic

Ego Sardois videar tibi amarior herbis:

Sic Plautus

Verſutior es, quam rota figularis,

vbi verſutus propriè de rota, metaphoricè de Epidico accipitur: quamquam nec rota propriè dicatur verſuta, ſed poëta, vt ea voce luderet, ex eo, quòd verteretur, verſutam dixit; Extra comparationem etiam eſt ſyllepſis, vt Plautus ludificantium, & funebres ludos, vna ludi voce comprehendit dicens:

Ludos ego hodie viuo, præſenti huic ſeni faciam
quod credo mortuo numquam fore:

quia videlicet in clarorum virorum funeribus, gladiatorij, & alij exhiberentur ludi: ſimile illud eiuſdem Plauti.

Hic quidem omnem imaginem meam,
quæ ante hac fuerat, poſſidet;
viuo fit, quod nunquam quiſquam mortuo faciet mibi:

ſiquidem alia eſt imago Soſiæ, quam Mercurius referebat, alia, quæ in clarorum virorum funeribus præferebatur, vel in hæredum atrijs ponebatur. Tale illud Saluatoris *Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum*; Nam exaltatus ipſe intellexit de Cruce, alij verò alitèr interpretabantur. Simile eſt illud Auſonij

Suſtulit hic matrem ſuſtulit ille Patrem,

nam aliter Nero matrem ſuſtulit, quia ipſam necauit, aliter Æneas Anchiſem, quia ipſum humeris geſtauit, quo ex capta, & incenſa vrbe, ſaluum extraheret.

Ad Senecdochen etiam pertinent, quæ (37) *per litoteta* efferuntur, eſt autem (38) *Leptites* (vt à quibuſdam appellatur) tenuitas, aut exilitas, quod idem ſonat (39) *litotes*: vnde hoc tropo res magna verbis extenuatur: fit autem Litotes, quum negatione contrarij plus ſignificamus, quàm dicimus, vt apud Virgilium;

Nec mihi diſpliceat maculis inſignis, & albo,

hoc eſt, valde placeat, & apud Horatium

Non inuiſa feres pueris munuſcula paruis,

nempe gratiſſima. Sic Ouidius

De mille ſagittis
Vnam ſepoſuit, ſed qua nec acutior vlla,
Nec minùs incerta, nec, quæ magis audiat arcum,

nempe acutiſſimam, & certiſſimam. Sic ab Herodoto Spartha dicta fuit (40) *Vrbs nec minima nec infirmiſſima,* quum dicere vellet eam eſſe magnam, & munitiſſimam. Addunt quidam in definitione (41) *Litoteros* eam fieri modeſtiæ cauſa, & gratia vitandæ arrogantiæ. Verum id non eſt ſemper verum, vt quum Iuuenalis de Pythagora ait, quod

Ventri indulſit non omne legumen,

pro abſtinuit ab omni ligumine. Nec eſt ſemper (3) *Litotes,* quum negatione ſignificamus contrarium, immò oportet, vt negatio plus ſignificet, quam affirmatio; Contrarij autem negatio interdum tantundem valet, quantum affirmatio, vt quum Xenophon ait. *Quòd enim ſacra faceret: perſpicuum erat, & quòd vteretur diuinatione, non erat obſcurum.* Et quum Ouidius inquit

Omnia pontus erant, deerant quoque littera ponto;

idem his negationibus ſignificatur, ac ſi poſitæ fuiſſent affirmationes. Interdum etiam negatio minùs valet, quam affirmatio, vt, quum Nauſicaa Vlyſſi dixit:

O hoſpes quoniam haud ignauo, aut deſipienti es ſimilis.

Nam quia Vlyſſem nondum nouerat, ſatis prudentiſſimæ fœminæ viſum fuit, ab eo vitia amouere, etiam ſi prudentiam non tribueret, nec fortitudinem. Sic in illo Plauti.

Neque malo homini, neque benigno, tuo dedi Strati phocli.

Nam à Stratiphocle malitiam, prodigalitatemque remouet, eſto non tribuat virtutem, ac frugalitatem. Interdum etiam plus valet, vt quum Homerus de Aiace, quem inducit Martis inſtar incedentem, totique Troianorum exercitui, & ipſi Hectori, quem vulnerauerat, formidabilem, dicit, eum eſſe,

Haud Graiûm minimum poſt inculpatum Achillem,

hoc eſt, fortiſſimum poſt Achillem; ſic Virgilius

Nec ſum adeo informis.

hoc eſt, ſum valde formoſus. Sic Seruius Sulpicius, certiorem facturus Tullium de M. Marcello interfecto, ita orditur *Et ſi ſcio non iucundiſſimum nuncium me vobis allaturum.* Siquidem M. Mar-

M. Marcellus Ciceroni erat vnicè charus, qui propterea ei reditum à Cæſare impetrarat, & ideo talis nuncius moleſtiſſimus ei futurus erat.

Euphomiſmus (42) tandem eſt tropus, res ingratas, ac odioſas, nominibus non ingratis deſignans: & contingit bifariam, primò, quum intelligimus contrarium eius, quod voce ſignificamus: ſecundò quum non contrarium, ſed tamen diuerſum ab eo, quod per vocem importatur, intendimus. Huius ſecundi modi exemplum fuerit, ſi is, qui ex Victorijs aureis, vel argenteis, pecuniam, in belli vſum, conflari volebat, aduertens contumelioſum apud Deum, & mali ominis apud populum fore, ſi peteret confringi, aut conflari Victoriæ ſimulachra, ad cudendam ex eis pecuniam, dicat, *Vtendum eſſe Victorijs*, quaſi eas peteret belli ſocias adſciſci oportere. Vbi inter proprium; & improprium ſenſum, non eſt contrarietas, & tamen improprius præfertur proprio, quia ille, rem exprimit ex ea parte, quâ non eſt ingrata quod proprius faciebat. Prioris verò modi exemplum fuerit in Ponto, qui ob accolarum barbariem, ac ſæuitiem, (43) *inhoſpitalis* vocabatur, ſed (44) *per bonum ſonum* nempe *Euphoniſmum* (44) *Euxinus* eſt dictus (44) *ab hoſpite*, ſeu *peregrino*, hinc Naſo

Dum me terrarum penè nouiſſima Ponti
Euxinus falſo nomine dictus habet

Et idem

Quem tenet Euxini mendax cognomine littus.

In primo igitur modo, manifeſtum eſt, (45) *Euphomiſmum* (46) *ironiæ* ſpeciem eſſe, quum ibi ſit manifeſta contrarietas: in ſecundo vero, nulla foret ironia, ſi vocum ſignificationem ſuperficietenus ſpectemus, poteſt tamen ad ironiam referri, ſi conſideremus qualitates grati, & ingrati, mundi, & immundi, quæ in eo ſunt.

Itaque (47) *euphomiſmus* maximè adhibetur in ſacris, ſiquidem religio erat in ijs, (48) *malè ominatis* verbis vti, quibus prolatis, ſacra vitiari credebant. Hinc Tibullus

Dicamus bona verba, venit natalis, ad aras
Quiſquis ades, linguâ, vir, mulierque faue.

Et Ouidius

Proſpera lux oritur, linguiſque, animiſque fauete
Nam dicenda bono ſunt bona verba die.

Hinc

Hinc Pindaro, (49) *Dæmon alter*, dicitur Deus, qui non erat bene aduocatus, quia, vt Feſtus ait: *Alter pro non bono ponitur*, vt in augurijs altera appellatur auis, quæ proſpera non eſt; ſicque alter nonnumquam pro aduerſo dicitur, & malo. Et quum augurium aliquod felix fuiſſet, ſecundum verò, priori vitium feciſſet, illud prius, proſperum, vti erat, appellabant, ſecundum verò, non infelix, ſed alterum dicebant, per metonimiam ſubiecti, quia accidit augurio, vt ſit infelix. Neque hoc (50) *euphemiſmi* genus ignotum eſt ſacræ paginæ, nam quum nihil ſit grauiùs, aut horribiliùs, quàm quod homo dicatur Deo maledixiſſe, ideo hoc (50) *euphemiſmo*, per ironiam benedicere dicebant, pro maledicere, ſic Iob, *Ne forte peccauerint filij mei, & benedixerint Deum in cordibus ſuis*: & eiuſdem vxor eum ad blaſphemandum irritans, dicebat: *Benedic Deo, & morere*. (50) *Euphemiſmo* etiam vtebantur, quum mortis habebatur mentio, ea enim odioſa res erat, ideoque eam per metaphoram dicebant abitionem: & eum, qui mortuus fuiſſet, dicebant abijſſe, aut receſſiſſe (47) *Euphemiſmus* (51) *per ſenecdochem* eſt apud Ciceronem, dum ait: *Vt ſi quid mihi humanitùs accidiſſet*: nam præter mortem, alia multa humanitùs accidere ſolent. Euphemiſmus per metonimiam eſt, quum (52) *mortuos* appellamus (53) *beatos* aut (53) *plures*, quia mortuis beata contigit vita, & maiorem mortuorum, quàm viuentium eſſe numerum, ſcimus. Sic, fuiſſe dicebant, pro mortuum eſſe, quæ eſt (54) *metalepſis*, vt etiam vixiſſe, vt de quodam cantabant (55) *Vixit, vixit*.

Eodem *euphemiſmo* vtebantur, ne turpem, aut triſtem vitæ conditionem exprobrarent, hinc ſcorta, & amaſias, non (57) *meretrices*, ſed (58) *amicas*, & ſocias, nempè (59) *Eromenas* dicebant, quæ eſt metonimia adiuncti, ſiquidem amari accidit meretrici. Similiter ſeruos, (60) *domeſticos*, non ſic appellabant, ſed vel (61) *doniferos*, vt (62) *auro emptos*: ſeruos verò in agris degentes, dicebant (63) *fortitos*, quòd ſuper eos (64) *miſſa ſors* fuiſſet, quum præda diuideretur. Locum etiam habet euphemiſmus in imprecationibus, vt quum viuere, & valere iubemus eos, quos in malam abire crucem exoptamus, aut eos, quibuſcum ampliùs communicare nolumus, vt

Valeant qui inter nos diſſidia ferunt.

Sic Tibullus

Caſtra peto, valeatque Venus, valeantque puellæ.

Et

Et Virgilius

Omnia vel medium fiant mare, viuite ſylua:

nam Viuite, Valete non bene optantis, ſed renunciantis eſt. Et eodem vſurpant modo Græci ſuum (65) *Chare*, vt apud Ammianum eſt in hoc epigrammate

Albi (65) boues Marco Cæſari valete

Si enim tu viceris, nos perimus.

Quod idem dixit Seneca: *Rufus vir ordinis Senatorij, inter cænam optauerat, ne Cæſar rediret ex ea peregrinatione, quam parabat, & adiecerat, idem omnes Tauros, & vitulos optare.* Nec tantum per verba, etiam aduerbijs fit euphomiſmus, vt apud Terentium. *Tum quid eidem, rectè eſt, nam nihil eſſe, religio eſt dicere.* Sic etiam *Rogo num quid velit? Rectè, inquit, abeo.* Sic Plautus *Vnde incedis, quid feſtinas gnate mi? Ch. Rectè pater.* Et apud eumdem Plautum pro eodem eſt, *Bene.*

(1) μετάληψις. (2) μετωνυμίας (3) συνεκδοχῆς. (4) ἀντονομασία (5) κοινότης. (6) σύλληψις. (7) λιτότης. (8) εἰρωνίας (9) εὐφημισμός. (10) ἀπὸ τῆς μετωνυμίας (11) Ἥφαιστον. (12) μεταληπτικῶς (13) πῦρ (14) κλαίειν. vel οἰμώζειν. (15) δυστυχεῖν (16) ἄχαρις (17) ἀναφρόδιτος (18) μεταλήψεως (1) μετάληψις (19) μεταφορὰ (20) μετωνυμικῶς. (21) μεταφορικῶς. (22) αντονομασία. (23) ἀντονομασίας. (24) πηλουργοὺς (25) Θηροτροφείῳ (26) βασιλέα (27) πτόλιν (28) πτολίπορθον (29) κατ᾽ ἐξοχὴν (30) πρυτανεῖον (31) ἀπὸ τῆς πυρὸς ταμεῖον (32) περὶ κοινότητος λόγου, ſeu (33) περὶ κοινωνίας λόγου (34) Δημοσθένης (35) σύλληψις (36) γλυκίων μέλιτος (37) κατὰ λιτότητα (38) λεπτότης (40) πόλις οὐκ ἐλαχίστη, οὐκ ἀσθενεστάτη (41) λιτότητος (42) ευφημισμός (43) ἄξενος (44) κατ᾽ ευφημισμον (44) εὔξεινος (44) απὸ τοῦ ξένου (45) εὐφημισμόν

μὸν (46) εἰρωνείαν (47) εὐφημισμὸς [48] ὀνομασιν δυ-σωνύμοις (49) δαίμων ἕτερος (50) εὐφημισμοῦ (51) κατὰ συνεκδοχὴν (52) νεκροῦς (53) Μακαρίτας (53) πλείονας (54) μετάληψις (55) Βεβίωκε Βεβίωκε (56) εὐφημισμῷ (57) πόρνας. (58) εταίρας 59 ερωμεναι. 60 οἰκέτας 61 δωροφόρους 62 χρυσωνήτους 63 κλαρώτας: vel κληρώτας 64 διὰ τὸ κληρωθῆναι 65 χαίρειν 66 Αἱ βόες αἱ λευκαὶ Μάρκῳ τῷ Καίσαρι χαίρειν Ἢν δὲ σὺ νικήσεις ἄμμες ἀπολλύμετα.

CAPVT SEXTVM.

De Troporum, affectionibus.

PRæter (1) *metalepſim*, de qua ſupra dicebamus ſunt aliæ quattuor primariorum (2) *troporum* affectiones, nempe (4) *catechreſis*, (4) *allegoria*, (5) *hyperbole*, *& emphaſis*, quarum (4) *catechreſis* (7) *tropi* qualitatem ſpectat, eſt enim (7) *tropi* duricies: aliæ tres attenduntur penes quantitatem; ſiquidem (4) *allegoria* vti & (8) *metalepſis*, oritur ex (2) *troporum* coniunctione: (8) *metalepſis* quidem in eadem voce, (4) *allegoria* verò in pluribus: coniunctio verò, & numerus, ad rei pertinent quantitatem. (5) *Hyperbole* autem, (6) *& emphaſis*, reſpiciunt rei magnitudinem, ſiquidem vtrâque rei exprimitur exceſſus, & ita etiam attenduntur ſecundùm quantitatem: quapropter conuenienter iſtas nominauimus (2) *troporum* affectiones.

Itaque (3) *catechreſis* abuſionem ſonat; quæ accidit, quotiès alicuius vocis ſignificationem duriùs, ad aliam deflectimus, longè à propria recedentem, & propterea (3) *catechreſis* appellatur etiam (9) *acyron*, ſeu (10) *acyria*, & (11) *acyrologia*, vel (12) *acyriologia*. Ita calamus vulgò ſumitur pro pluma, vel penna, quum hæc auium ſit propria, ille ex arundine fiat. Ita patres, fratres, & quoſlibet obuios, appellauerunt Dominos, quum tamen vox iſta, pro ſuo correlatiuo ſeruum reſpiciat, & propterea

propterea Auguſtus, Tiberius, & multi alij Imperatores, & ipſe etiam impius Iulianus Apoſtata, hanc ſummopere auerſabantur in ſalutatione. Sanè ſtante Romanâ Rep. tantum abeſt, vt ingenui, quoſcumque alios, Dominos appellarent, vt ipſi etiam ſerui, ſuos Dominos, ſæpe quidem heros, ſed non rarò nominibus compellabant proprijs, vt videre eſt apud Plautum, Terentium, & alios. Ita (14 *catechreſis* fuerit illa Terentij

Hunc comedendum, & deridendum vobis propino.

Vt, & in illo Iulij Capitolini: *Venenatam partem fratri edendam propinans* A quo non multum abludit Auſonius dicens *Vini, cibique abſtemius* Similis eſt in illo Perſij:

Cantare credas Pegaſæium nectar,

pro quo alij ſcribunt melos: nectar autem Pegaſæium, dictum videtur, ſicut Martianus Capella ait, *Poſt hos honoratior fontigenarum virginum chorus, Pegaſeæ vocis nectare diffluebat.*

Eſt verò alia (14) *catachreſis*, quæ ligatæ tantum permittitur orationi, & alia, quæ etiam ſolutæ, quæ ſcilicet adhibetur neceſſitatis cauſâ, quamuis etiam oratores, nullâ adacti neceſſitate, quandoque vocabulis abutantur. In his eſt, quum ædificare, alijs quam ædificijs accommodatur, vt ædificare claſſem &c. Et quum defendere ſumitur pro arcere, vt, à ſe, vel à ſuis arcere iniuriam, pro propulſare, & *Vim vi defendere omnes leges, omniaque iura permittunt*, ait Paulus ff. ad Legem Aquiliam. Sic Parricida dictus, non tantum, qui Principem, parentem, aut patronum occidiſſet, ſed etiam, qui quemcumque cognatorum, immò & quicumque, occidendo, capitale commiſiſſet: vnde Tullius, Clodium, quod M. Papirium interfeciſſet, parricidam vocat: & in Numæ legibus ſcriptum erat, *Si quis hominem liberum morti duit, parricida eſto.* Parricida autem propriè dicitur quaſi patricida, vel parenticida, & (13) *per ſyncopem* parricida, vt ex hominicida, homicida, itaque (14) *catbecbreſis* eſt. In illis verò eſt, quod Martialis diem ſerenum appellat ſine fæce, ideſt ſine nubibus: & quòd vadum, aut gurgitem pro mari ponunt.

Nec in ſolius metaphoræ duritie (14) *catacbreſis* accidit; ſiquidem parricidæ nomen, quod propriè ei tantum conuenit, qui alterutrum ſuſtulit parentem, quum ei tribuitur qui capitale quodcumque commiſit ſenecdochica catachreſis, aut catechreſtica metonimia eſt adiuncti, ratione obligationis ad pænam.

Similiter catachreſis metonimica eſt, quum ſerui, eſto ſeniores, pueri vocantur; & eadem fuerit, ſi pro perſona ponatur adiunctum, quod non eſt, ſed aliquando fuit, vt Matthæi 11. dicitur *Cæci vident, claudi ambulant:* & capite 26. eiuſdem Matthæi Simon leproſus denominatur, qui talis fuerat. Senecdochica autem catachreſis eſt in illo Virgilij.

Ferretque Eumenidum thalami,

Quum tamen Eumenides numquam nupſerint, ideoque thalamos habere non potuerint, quum thalamus propriè ſit, vxoris, ac mariti cubile: Similiter per ſenecdochicam catachreſim virginis nomen ijs tribuitur, quarum eſt iam libata virginitas, quomodo Maro, Paſiphaën, quæ iam. Ariadnes, Phædræ, ac Androgei mater erat, virginem vocat. A nonnullis creditur maiori abuſione, virginis nomen tribui viris Veneris expertibus, quia reuera, quod in ſequiori ſexu eſt virgo, id in digniori dicitur inueſtis, ſi Tertulliano credimus libro de virginibus velandis, dicenti. *Mater familias vocatur, licet virgo, & pater familias, licet inueſtis.* Et ibidem. *Si virgo mulier non eſt, nec vir inueſtis erit.* Sed nolumus ab vſu iam recepto recedere, quum ſatiũ ſit errare cum multis, quàm ſapere cum paucioribus, maximè, quum Eccleſia, Virginis vocabulum viris etiam attribuat, quos virginitatis corona ornatos dicit.

(14) Catachreſis etiam, alia eſt (15) commutabilis, ſeu (15) *reciproca*, alia (16) *irreciproca*, & (16) incommutabilis. (15) Reciproca erit, quum, omnis ponitur pro toto, & totum pro omni quum tamen totum reſpiciat quantitatem continuam, omne verò, diſcretam. (15) *Commutabilis* etiam eſt, quum pæna ponitur pro pretio, & pretium pro pœna. Ita Catullus inquit.

Magno cum pretio, atque malo.

Et Horatius.

Et peccare nefas, aut pretium eſt mori.

E contra verò, Propertius ait.

At poſtquam ſer.i captiua, eſt reddita pæna.

(16) Incommutabilis verò erit, quum plurimus, quod propriè dicitur de quantitate diſcreta, tribuitur continuæ, vt 1. Georgicorum:

Quum ſe nux plurima ſyluis,
Induet in florem,

Ideſt longa. Et libro 3.

Gnr

Cui plurima ceruix,
Ideſt longa, & toroſa, & 1: Æneidum de colle.
Qui plurimus imbri
Imminet.

Ariſtoteles autem hìc, Lycophronem reprehendit, quòd (17) *Cœli faciem*, & (18) *vniuerſalem faciem* dixerit, quia eſto (14) Catachreſis ſit (7) *tropi* duricies, duricies tamen iſta, modum excedere non debet. Quòd ſi quando durior exciderit, vtile fuerit eam aliquo vnguine mollire, vt Tullius fecit in 1. de legibus dicens. *Nec arboris, nec equi virtus, quæ dicitur (in quo abutimur nomine) in opinione ſita eſt, ſed in natura.* Hoc igitur, vel ſimili remedio, eam linire debemus.

(4) *Allegoria* verò dicitur, quia (19) *aliud dicit, aliud verò intelligit*, & ad verbum ſonat Diuerſiloquium. Illud verò (20) *aliud*, quod (4) *allegoriam* conſtituit, non debet ita laxè accipi, vt extendatur etiam (21) *ad ironiam*: alioquin, ſi vocis vim attendas, omnis (21) *ironia* erit (4) *allegoria*; ſed debet eſſe (20) *aliud*, ſimile tamen, vel coniunctum, aut amicè conſpirans cum eo, quod dicitur; ideoque non eſt quorumcumque (1) *troporum*, ſed tantum (22) *metaphoræ*, (23) *ſenecdoches*, (24) *& metonimiæ* continuatio. Ita (22) *metaphora* continuantur in hoc Catilinæ apud Saluſtium, *Incendium meum ruina reſtinguam*; Sic de eo, qui redit ad ingenium, dicitur *Anus ad armillum*, nam armillus eſt vas vinarium, ſeu crater, mulieribus autem, vt ferunt, mens eſt in caupona: Similiter de eo, qui ſuis fraudibus, iura, legeſque prætendit, dicitur. *Albo rete aliena bona oppugnare*: nam rete leges ſignat, album verò eſt (25) *honeſti ſpeciem præferens*. Quamuis autem aliqui in (26) *metaphorarum* tantum continuatione allegoriam conſtituant, veriùs tamen videtur, poſſe reperiri etiam in continuatione metonimiæ, vt, *ſine Cerere, & Baccho friget Venus.* Et etiam Senecdoches. Immò quandoque continuantur aliæ figuræ, ſed iſtæ ſunt frequentiores, in quibus ſit allegoria. Verum nihilominùs eſt, allegoriam propriſſimè in metaphorarum tantùm continuatione conſtitui, & ſolum per quamdam appropriationem extendi ad continuationem aliorum troporum. Vbi obſerua allegoriam vt plurimùm, priorem locum in comparatione tenere, vt, Quemadmodum mali corui malum eſt ouum, ita vafri præceptoris vafros oportet eſſe diſcipulos. Abſque tamen comparatione, ſimplex allegoria fuit,

 quum

quum Iudices in cauſa Coracis, & Traſymachi, dixerunt, (27) *mali corui, malum ouum.*

Allegoria alia eſt pura, vt in illo Plauti, *Vtcumque in alto ventus eſt, ex imo velum vortitur* pro eo, quod eſt, prout mutantur tempora, animi quoque, & hominum cupiditates variare debent. Alia mixta, quæ ad maiorem claritatem, proprium adiungit, vt ſi dicas, nubem cruenti belli, victoriæ tempeſtatem, cruoris imbrem, &c. & ita Decimus Laberius Eques Romanus, inuitatus millibus quingentis à Cæſare, vt mimus in ſcenam prodiret, reſpondit.

Si tibi erat libitum, litterarum laudibus
Floris cacumen noſtræ famæ frangere,
Qur quum vigebam membris præuiridantibus,
Satisfacere populo, ac tali quum poteram viro,
Non flexibilem me conſeruaſti, vt carperes.

Sub iſtis (4) *allegorijs* poëtæ, philoſophiæ tàm naturalis, quàm moralis, præcepta tradiderunt; vnde ſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis, *comædiam* (& eadem eſt ratio omnium fabularum) *ſub ludicra larua philoſophari*. Itidem (28) *allegoricè, ac ſymbolicè* intelligenda ſunt pleraque Pythagoræ, ac Platonis dicta, quæ ab Ariſtotele carpuntur, non quoad abditum, & intentum ſenſum, ſed quoad eum, quem prima fronte præ ſe ferunt.

Comprehenduntur ſub (29) *allegoria*, (30) *apologus* (31) *mythos*, (32) *ænigma*, *&* (33) *paræmia*. (30) *Apologus* dicitur, quaſi quod ſit (34) *ſermo ſine ſermone*, & eſt narratio ficta, de re quapiam, cum attributione (35) *affectuum*, *&* *morum*, cum oratione, vel ſine ipſa, vt ad humanam vtilitatem aliquid inde deſignetur. Quantum autem conueniat oratori notitia (37) *apologorum*, cognoſcere licet ex eo, quòd Iudicum 9. Ioathan in reprehendendis Sichimitis (3) *apologo* ſit vſus: & ſimiliter Ioas Rex Iſraël ad Amaſiam Regem Iuda 4 Regum 14 Nec minùs Nazianzenus Theologus epiſtolá ad Cælenſium Præſidem, vt eum à vana abſterreat gloria (39) *apologum* refert de Cycno & hyrundine: Itidem Gerſon in Canticum Magnificat, duos refert (4) *apologos*. Mitto Themiſtoclem, qui vt perſuaderet Athenienſibus, ne mutarentur magiſtratus, vſus eſt (11) apologo de vulpe muſcis obſitâ, quo ad idem vtebatur etiam Tiberius. Demoſthenes quoque (3) apologo de ouibus tradentibus canes lupo, negauit oratores eſſe tradendos Philippo Macedonum Regi.

Mene-

Menenius etiam Agrippa, plebem Patribus conciliauit, (38) apologo de membris humanis, coniurantibus in ventrem. Et ſimilia multa.

Mythos (30) verò, eſt oratio falſa, repræſentans veritatem: vel, eſt oratio ficta, relata ad veritatem, quæ alio nomine appellatur (41) *fabula*, vnde Æſopus (42) *fabulator* fuit appellatus, & (43) *fabulari*, eſt falſos rumores ſpargere; Neque veritatis imago requiritur quod ſit in ipſa re, quæ narratur, ſed ab ea deriuetur ad id, ad quod narratio inſtituitur. Exempli cauſa (30) *mythos* de lupo, & agno ſocietatem ineuntibus, & vitæ computantibus rationes, ſi ipſa (44) *irrationabilia* ſpecies, quum ſint tâm ratione, quàm oratione deſtituta, nulla veritatis imago in tali narratione erit; ſi tamen hominum ſpectes mores, quos ſtudet inſtituere, veritatis habet ſimilitudinem.

Sumitur autem (30) *mythos* aliquando latiùs vt comprehendit etiam (45) *collationem*, ſeu ſimilitudinem, aliquando preſſiùs, vt ipſam tantum (30) *fabulam* importat. Æſopi verò fabulæ latè ſunt ſic appellatæ, vnde in eis eſt (46) *fabula præfatiuncula* ad mores informandos; & (47) *affabulatio*, fabulæ ſubiuncta. Mythos verò, ſi preſsè ſumatur, etiam ab apologo differt; quia apologus eſt (24) *eorum quæ fieri nequeunt*, tribuitur enim ſermo animalibus, aut plantis, quibus non poteſt conuenire. Mythos verò, eſt etiam eorum, quæ fieri poſſunt. Vlterius Apologus eſt aptus (49) *concionibus* ad populum: mythos verò potiùs locum habet in ſcænis ad oblectandum, vel docendum. Item apologi ſemper inſtruunt mores, mytha verò, aliquando etiam naturæ inuoluunt myſteria, vt fertur de fabula Martis in adulterio deprehenſi, quæ ad Aſtrologos pertinet.

Aenigma (32) verò, dici ſolet etiam (50) *gripus* à rete piſcatorio, quod (50) *gripus* eſt, vnde piſcatores appellantur (51) *gripes*, Iuxta Alciatum, ac Cælium Rhodiginum dicitur etiam ſcrupus, & etiam ſcirpus. Nec obſtat, quòd hic ſit enodis, vnde Ennius:

Quærunt in ſcirpo, ſoliti quod dicere nodum;

quia translatio eſt a naſſis, quæ ſcirpi, ſeu ſirpi vocatæ ſunt, quià è ſirpis, hoc eſt iuncis fiebant, vnde ſirpare idem eſt, ac alligare. (52) *Aenigmata* etiam dictæ ſunt *quæſtiones calicibus conuenientes*, quia vt plurimum inter pocula proponebantur, addito præmio ei, qui ſoluiſſet, ac pœnâ non ſoluenti. Quia verò

(52) *anig-*

(52) *ænigmata* dicebantur (53) *quæſtiones conuenientes calicibus*, definitur (31) *ænigma* quòd ſit quæſtio ludicra, iubens, vt per inquiſitionem, acie mentis inueniatur propoſitum, adiuncto honorario, aut multâ. Ex quo colligitur nil æquè ac perſpicuitatem (54) *ænigmatibus* repugnare, quæ propterea dicta ſunt allegriâ obſcuriora vnde ab alijs etiam definitur ænigma, quòd ſit oratio, allegoriæ obſcuritate, rem notam ſignificans: quapropter excludenda venit à ratione (55) *ænigmatis* oratio illa Samſonis *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*, quia res, quam ipſe intelligebat, nullatenus Philiſtæis nota eſſe poterat, vnde certè poſtea ipſe dixit: *Si non araſſetis in vitula mea, non inueniſſetis propoſitionem meam*. Simile eſt illud piſcatorum, qui in Inſula, vermes ſeu pediculos à ſe excuſſerant, ſed interrogati quot nam cepiſſent? reſponderunt, eos quos cepimus non habemus, habemus verò quos nondū cepimus. Nam interrogans quærebat de piſcibus: ipſi vero de pediculis quod factum notum eſſe interroganti, non poterat. Ænigma ergo vt allegoria, metaphorarum, & aliorum troporum continuatione conſtat. Vnde bene dictum fuit (56) *Virum vidi, igne, æs homini conglutinantem*; vbi per æs (poterat etiam dici vitrum) metonimicè aut ſenecdochicè, intelliguntur æreæ, aut vitreæ cucurbitulæ. Rectum etiam ænigma videtur illud, Tu quis æs ducere me potui: vbi, contra quàm primo aſpectu apparet, tàm æs quàm potui, nomina ſunt; quis vero verbum, & hinc eſt obſcuritas.

Obſcuritatis cauſa in (7) *ænigmatibus*, eſt connexio eorum, quæ naturâ videntur impoſſibilia; Vnde Ariſtoteles, de poëtica inquit (8) *ænigmatis* forma hæc eſt, dicentem, quæ inſunt impoſſibilia, copulare. Connectere igitur impoſſibilia, erit forma (8) *ænigmatis*: & propterea Auerroës dixit (2) *ænigma* eſſe orationem comprehendentem ſententias, quarum connexio impoſſibilis videtur, eoque difficultèr redigitur ad certum aliquem ſenſum, naturæ conſentaneum. Scitum illud (2) *ænigma Vidi carnem humanam in campo ligneo, vbi erat mare concretum, oſſibus ludentem*. Quo ſignificatur luſor teſſerarius, cubos, ſeu teſſeras oſſeas, in alueolum ligneum iacientem, adſtante proximè ſalino. Scitum & illud Auſonij

Aut adſit interpres tuus
Ænigmatum, qui cognitor
Fuit meorum, quum tibi

Cad-

Cadmi nigellas filias,
Melonis albam filiam,
Notaſque ſurnæ ſepiæ
Cnidioſque nodos prodidit.

Nam per Cadmi filias intellexit litteras, ſeu caracteres, quas Cadmus, è Phœnicia in Græciam inuexit. Melo vero idem eſt, ac Nilus, vbi naſcitur papyrus, quam intellexit nomine filiæ Melonis: atramentum è ſepiæ ſucco conficiebatur: & inter ſcriptorios calamos, Cnidij erant præſtantiores. Simile eſt illud:

Exarat anſer ouem, cui ſulcos vacca miniſtrat.

Omnia Ethnicorum oracula, ænigmatica erant, & ideo à Luciano appellata ſunt, obliqua, videlicet, quia in vtramque propoſitionis intelligentiam, trahi poterant. Et propterea Apollinem dixere (57) *loxiam* non quaſi eloquentem; nam ita dicendus foret (58) *lexias*, ſed (57) *loxiam*, quia (59) *loxos* obliquum notat, ac diſtortum. Tale oraculum accepere Athenienſes, quum eis Perſicum immineret bellum, de muris ligneis, ideſt nauibus. Tale, quum in Siciliam traijcere vellent, iuſſi adhibere Sacerdotem Erithris, nomine Eſochiam, quo quum ſignificaretur quies, monebantur, vt quieſcerent: Sic Craſſus, qui reſponſum acceperat, tunc ſibi exitium imminere, quum mulus in Perſas imperium obtineret; & talis fuit Cyrus natus patre ignobiliori, nempe Cambyſe obſcuro Perſâ, quaſi aſino, matre verò Mandane Aſtyagis filiâ, quaſi equâ generoſâ, contra quàm naſcatur hynnus, ex equo, & aſina.

Sub allegoria diximus comprehendi etiam (33) *paræmiam*, ita dicta (60) *à via*, quia paſſim per hominum ora feratur. Latinis dicitur adagium, quaſi abagium, vt loquitur Varro, eò quòd orationem ambiat, quaſi circumagium: vel potiùs iuxta Scaligerum, eò quòd à propria ſignificatione ad aliud indicandum agatur; ſicut paræmia dicitur, eò quòd præter primum verbum, & ſenſum, alterum notet. Dicitur etiam prouerbium, eò quòd verbum accedat verbo, ideſt ſententia ſententiæ.

Definitur verò à quibuſdam quòd ſit celebre dictum, quapiam nouitate inſigne. Sed hoc pacto paræmia comprehendit quaſcumque (61) *ſententias*: & ita inter paræmias numerarentur: *Similis gaudet ſimili. Nequicquam ſapit, qui ſibi non ſapit. Conſcientia mille teſtes. Amicorum omnia communia.* Alij verò definiunt, quod ſit oratio vulgata, allegorica, ſiue alludens. Et iſti volunt

ad

ad paræmiam tres exigi conditiones; prima, quòd ſint ſententiæ celebres: altera, vt ſcito quopiam figuræ alicuius inuolucro, aut certè erudito aliquo Laconiſmo, ſecernantur à ſermone communi; & tertia, vt ſalutarem aliquam contineant doctrinam; Talis eſt illa: *Vipera eſt in veprecula*, de eo, qui poſſit ſubito damnum adferre. Item *ſtagna ac ſales emere* pro eo, quod eſt nanciſci aliquod bonum, non tamen abſque hoc, quod malum ſubire oporteat. Cui contraria eſt. ***Sine ſacris hæreditas***, dictum, quum bona obueniunt, ſine malorum appendice, quemadmodum illi, cui accidit hæreditas, ſine cura ſacrorum.

Hyperbole (5), exceſſus, exſuperatio, & ſuperlatio, definitur à quibuſdam, quòd ſit (7) *tropi* audacia. Verum hoc etiam conuenit (63) *Catachreſi*; (5) *hyperbole* verò minuendi, aut augendi gratiâ aliud dicit, quod fieri nullatenus poteſt. Itaque duplex eſt (5) *hyperbole*, alia (63) *augens*, alia minuens, qui exceſſus ad defectum vergens (64) *hypocoriſmus* appellatur, vtroque enim modo (65) *menſura* exceditur. Prioris exemplum eſt in illo Virgilij de Cleopatræ nauibus

Credas innare reuulſas Cyclades,

nam etſi inuſitatæ fuerint magnitudinis, non tamen ſingulæ, inſulis poterant comparari. Poſterioris eſt illud Satyrici, de quadam exigua puella, quæ ob tutulum, ſeu comæ ſuggeſtum, aut turritum verticem, dicta fuit referre à fronte Andromachen, poſt, minorem eſſe virgine pygmæa, nullis adiuta cothurnis. Cui enim veroſimile fuerit, noſtratem virginem ſemper, niſi, quum ſtaturam iuuaret inducendo cothurnos, fuiſſe viſam breuiorem pigmæâ, quarum, vt idem ait, ***tota cohors pede non eſt altior vno***.

Eſt autem hyperbole, quorumuis troporum affectio: ſiquidem metaphora hyperbolica fuerit, ſi Ariſtotelem philoſophorum appelles Deum: metonimia verò hyperbolica erit, ſi quempiam dicas nequitiâ ipſâ nequiorem, accipiendo nequitiam pro adiuncto, non pro forma eſſentiali conſtituente hominem nequam: ſenecdoche etiam hyperbolica eſt, quum ſacrum appello quemcumque improbum: & denique ironia hyperbolica fit, quum cæcum dico Argo oculatiorem. Immò catachreſim hyperbolicam habes in illo Gregorij Magni: ***O felix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem***.

Conuenit verò hic tropus, iuuenibus potiùs, quam ſenibus, eò

eò quòd illi, contra præceptum Chilonis *Ne quid nimis*, in omnibus modum excedere conſueuerint. Conuenit etiam commotis aliqua paſſione: hinc Achilles, in Agamemnonem iratus, eoque illius munera reſpuens, negauit ſe ab eo poſſe placari, etiam ſi donaret quæcumque arenâ maris occuluntur, ac terrâ. Et quum Legati pollicerentur Regis nomine filiam in matrimonium, negauit ſe eam ducturum, etiam ſi formâ cum Cypria, induſtriâ vero cum Minerua contenderet.

Frequens eſt hyperbolis vſus in conuicijs, vt,

Hic alienas oues, cuſtos bis mulget in hora:

quum vix fieri poſſit vt bis in die mulgeantur, hora, per ſenecdochem hyperbolicam ponitur pro exiguo tempore. Vtimur etiam eâ in amplificationibus, vt apud Plautum in Epidico

Pedibus pulmoneis, qui perhibetur,
Prius veniſſet, quam tu aduenisti mihi.

Vbi pedes pulmonei dicti ſunt pro podagricis. Et quemadmodum his notatur tarditas, ita mira velocitas deſignatur hoc alio eiuſdem Plauti in Amphitruone:

Quadrigas ſi nunc aſcendas Iouis, atque hinc fugias,
Ita vix poteris effugere infortunium:

vel ſi hanc neges eſſe hyperbolem, ob particulam, vix, adiunctam, hyperbolice ſaltem Camillæ velocitas deſcribitur à Virgilio dum ait

Illa vel intactæ ſegetis per ſumma volaret:

vbi alluſit ad id, quod de Orione Neptuni, aut Minois, & Euriales filio, & de Iphiclo Phylaci filio, fabulantur poetæ, quorum illum aiunt, Neptuni beneficio, ſuper fluctus, ſuſpenſis veſtigijs ambulaſſe, haud ſecus, ac ſuper terram: hunc, ita ſuper ariſtas inceſſiſſe, vt eas non confringeret. Notum quod de Lada Alexandri curſore memorant, nempe, quòd veſtigia in puluere non relinqueret.

Sunt aliqui omnem auerſantes hyperbolem, veluti veritati inimicam. Hoc tamen falſum eſt, immò ad hoc tendit hyperbole, vt veritatis notitiam pariat; alioquin Spiritus Sanctus in ſacra ſcriptura eâ non tam frequenter, immò numquam vteretur, quum tamen Deus Abrahæ promittat *Ponam ſemen tuum, vt ſtellas Cœli, & quaſi arenam, quæ eſt in littore maris*: Nam *quis non videat* inquit Auguſtinus 16. de Ciuitate Dei 21. *quàm ſit incomparabiliter amplior pulueris numerus, quam poteſt eſſe omnium ho-*

minum ab ipſo Adam vſque ad terminum ſeculi. Sic Iudicum 7. & alibi *Cameli innumerabiles ſicut arena, quæ eſt in littore maris*, & 1. Regum 13 in exercitu Philiſtæorum dicuntur fuiſſe triginta millia currus, & ſex millia equites, & reliquum vulgus, *ſicut arena quæ eſt in littore maris*. Hyperbole etiam eſt, quum Deus populo ſuo promittit terram fluentem lacte, & melle, ideſt admodum fæcundam. Et quum Exodi 10. dicuntur fuiſſe tenebræ in terra Ægypti, vt quiuis tenebras palparet, ideſt denſiſſimæ. Quemadmodum autem metaphoræ duriores ſunt leniendæ, ita & audaciores hyperbolæ, per aliquam vocem, vt inſtar, propè &c. velut fecit Sappho, quæ de quodam, priùs dixerat

Ingreditur æqualis Marti

ſed deinde, quaſi reprehendens ſeipſam, quòd vſa foret hyperbole impoſſibili, illicò ſubdidit,

Viro magno multo maior.

(66) *Emphaſis* verò, ſiue efficacia eſt, quum vocabulum adhibitum, ſingularem habet vim, ſeu,eſt vox modificata, orationis vim magis intendens, quàm ſi propriâ vſi fuiſſemus, Vnde non eſt affectio vnius tropi: metaphora namque emphatica eſt, incenſus irâ, inflammatus cupiditate, & in legibus duodecim tabularum, ſi telum manu fugit, quo ſignificatur, emiſſum per imprudentiam; Et apud Mantuanum de haſta Æneæ dicitur

Volat atri turbinis inſtar

Exitium dirum haſta ferens,

nam breuius, ac planiùs proprijs exprimi non potuit,vt factum eſt vno tranſlato. Auguſtus etiam apud Suetonium inquit *Forum aleatorium calefecimus*; id enim maiorem habet energiam, quàm ſi dixiſſet, diu, ſtudioſè,multumque aleâ luſimus (67) *Senecdoche emphatica* eſt in eo, quòd Iudas ait: *Tradidi ſanguinem iuſtum*, nam maiorem videtur habere vim, quod quis ſanguinem, quàm, quod hominem iuſtum prodat. Ironia etiam emphatica eſt in Adelphis Terentij

Tu quantus quantus es,

Nil niſi ſapientia es

nam hoc maiùs eſt, quàm dicere: Tu ſummâ ornatus es ſapientiâ. Aliquando etiam in proprijs vocibus eſt emphaſis,vt apud Virgilium, quum Dido ait:

Proh Iuppiter. ibit

Hic ait, & noſtris illuſerit aduena regnis.

Et

Et apud Terentium in Phormione *Hominem commonſtrarier mihi iſtum volo*: nam vtrobique, pronomen odium ſignificat. Apud Hebræos emphaſim habet vox geminata, vt *Amen amen, comedendo comedes, morte morieris, multiplicans multiplicabo*. Quum ergo ſermo tali modo emphaticus, ſpiritui ſancto ſit familiaris, errant, qui putant energiæ intentum eſſe, vt res maior videatur, quam reuera ſit. Aſſerit Plutarchus emphaſim eſſe, quum occulto ſenſu intendimus ſignificationem eius, quod dicitur: vt quum Homerus ait *In equum deſcendimus*, nam deſcendendi verbo, equi magnitudo ſignificatur. Et in hoc ſenſu definitur à Fabio, quod ſit virtus altiorem præbens intellectum, quam quem verba per ſeipſa declarant. Vnde tunc erit, quum ex aliquo dicto eruitur quippiam latens, vt Myrrha apud Ouidium ait:

O felicem coniuge matrem;

Et Virgilius de Cyclope

Iacuitque per antrum
Immenſum,

quo ſignificatur prodigioſa magnitudo:

(1) μετάληψιν (2) τροπῶν (4) ἀλληγορία (5) ὑπερσολὴ (6) καὶ ἔμφασις (7) τρόπȣ (8) μετάληψις (9) ἄκυρον (10) ἀκυρία (11) ἀκυρολογία (12) ακυριολογία (13) κατ' συνκοπὴν (14) κατάχρησις (15) ἀκόλȣτος (16) ἀνακόλȣτος (17) ȣρανȣ͂ πρόσωπον (18) πολυπρόσωπον (4) ἀλληγορία (19) ἄλλο μὲν ἀγορεναι, ἄλλο δὲ νοεῖ (20) ἄλλο (4) ἀλληγορίαν (21) εἰρωνείαν (2) τροπῶν. (22) μεταφορῆς (23) συνεκδοχὴς, καὶ μετωνυμίας (22) μεταφορά (24) εὐπρόσωπον (25) μεταφορῶν (26) κακȣ͂ κόρακος κακὸν ὠὸν (27) ἀλληγορῶν (28) ἀλλυγορνκῶς καὶ συμβολικῶς (29) ἀλληγορίας. (30) ἀπόλογος (31) μῦθυς. (32) ἄινιγμα. καὶ (33) παροιμία (35) παθῶν καὶ ἠθῶν (36) ἀπολογῶν (37) ἀπόλογȣ (38) ἀπόλογον (39) ἀπόλογȣς [34] λόγος ἀπόλογȣ

λόγου (31) Μῦθος (41) λόγος. (42) λογόποιος (43) λογοποιεῖν (44) ἄλογα (45) παραβολὴν (31) μῦθον (46) προμύτιον (47) ἐπιμύθιον (48) τῶν ἀδυνάτων (49) δημιγορίαις (32) ἄνιγμα (50) γρῖφος (51) γριπεῖς (52) αἰνίγματα (53) κυλίκειν ζητήματα (54) αἰνίγμασι (55) αἰνίγματος (56) ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρα κολλήσαντα (57) λοξίαν (58) λεξίας (59) λοξό; (33) παροιμίαν (60) ἀπὸ τοῦ οἴμου (61) γνώμας (5) ὑπερβολὴ (7) τρόπου. (62) κατάχρηση (63) αὐξητικὴ (64) ὑποκορισμὸς (65) τὸ μέσον (66) ἔπφασις (67) συνεκδοχὴ ἐμφατικὴ.

CAPVT SEPTIMVM.

De his, quæ falsò inter tropos numerantur.

DIximus in omni tropo vocis mutationem, quoad ſignificationem, requiri, vt ex definitione, à principio huius tractatus tradita, manifeſtè colligitur. Qua propter à tropi ratione in primis reijcimus (1) *ſarcaſmum*, qui tamen à multis inter tropos numeratur, eò quod ſit ſpecies irriſionis, quam putant eſſe eamdem cum (2) *ironia*. Verum eſto (2) *ironia* fiat ſemper cum irriſione, irriſio tamen fieri poteſt abſque (2) *ironia*, quia non ſemper in irriſione ſignificamus contrarium, quod in (2) *ironia* requirebatur, ideoque (3) *ſarcaſmus* (4) *tropus* non eſt.

Eſt autem (3) *ſarcaſmus* hoſtilis irriſio, quæ fit diducto rictu, oſtenſiſque labris: nam (5) *ſarcazo* nempe carnes detraho, propriè dicitur de canibus, quum, rictu diducto, oſſa carne denudant, & inimicè ſuper oſſe mutiunt: inde animantia, vt oues, capræ, equi, boues, & ſimiles (6) *ſarcazin* dicuntur, quum prata tondent, quando labra inter ſeſe tam vehementer committunt, vt auellere, & abſcindere aliquam graminis partem valeant. Vnde Iulius Cæſar Scaliger 3. de re poetica 86. docet, (1) *Sarcaſmum* eſſe hoſtilem irriſionem ſuper iam mortuo, aut certè

mox

mox morituro, qua propter bene aliqui apud Galenum in Gloſſis Hyppocratis, pro (7) *irridere cum labiorum morſu*, legunt (8) *irridere cum labiorum monſtratione*; quandoquidem vt (9) *ſoma & ſarca* propriè dicitur de inanime, & cadauere, vnde (10) *ſarcophagus* eſt ſepulchrum, ita (11) *deſmos* aut (12) *dema* propriè dicitur de viuente, nam eſt (13) *à deo* nempe vincio, quia eſt quaſi (11) *deſmos* hoc eſt vinculum. (3) *Sarcaſmos* ergo erit in illo Turni

En agros, & quam bello Troiane petiſti
Heſperiam, metire iacens.

Item in illo Iudæorum ad Chriſtum Crucifixum *Vah qui deſtruis templum Dei. Alios ſaluos fecit, ſeipſum ſaluum faciat, Si filius Dei es, deſcende de Cruce.*

(14) *Diaſyrmus* etiam, qui eſt aſperitate par cum (15) *ſarcaſmo*, quamuis extra cædem, enumeratur inter tropos à nonnullis, falſo tamen, quum vocis ſignificationem non mutet. Talis eſt in illo Didonis

I, ſequere Italiam ventis
Pete regna per vndas, & in illo apud Terentium:
Noua nunc religio in te iſthac inceſſit, cedo.

Oroſius etiam in Apologetico de arbitrij libertate, Pelagium deridet, quod putaret portare ſe poſſe onus Diuinæ legis, dicens. *Sed tibi ſpecialis inde portandi oneris fortaſſe fiducia eſt, quòd balneis, epuliſque nutritus, latos humeros geſtas, robuſtamque ceruicem, præferens etiam in fronte pinguedinem.* Itaque. (14) *diaſyrmus*, ſeu eleuatio, definitur ab Aquila Romano, quòd ſit tropus, quo ludentes ſoluimus, quæ ab aduerſarijs dicuntur. Eo vſus eſt Tullius pro Muræna contra Sulpicium de Iure Ciuili. Eo, ex Gorgiæ conſilio, vtendum erit, quotiès vix eſt, quod argumentis aduerſæ partis reſpondeamus, & ipſe hoc ſchemate vtebatur, aſſumens etiam inuſitata, ac peregrina vocabula, vt refert hic Ariſtoteles, qui, vt & Demoſthenes pro Cteſiphonte, (16) *diaſyrmun* vſurpant pro aſtutè eleuare, atque extenuare aduerſariorum argumenta.

(17) *Charientiſis* vox, videtur eſſe à (18) *carientizeſte* nempe carinari; nam ſicut (19) *gephyrizin* propriè eſt è ponte conuicia in aliquem, & ſcommata iacere, (20) *à gephyras* hoc eſt ponte; ita (18) *carientizeſte* propriè videtur eſſe è carina, infima nauis parte, conuiciari; eſto (21) *ſimpliciter* ſumatur pro obiectare

tare

tare probra, Fortaſſe tamen meliùs dicemus, quòd (18) *carientizeſte* ſit ex eo, quod (22) *charientes* dicantur ſalſi, vt (23) *charites* ſunt ſales, vnde (24) *charientiſmus* erit irriſio, cum amœnitate mordax; qualis eſt in illo Tullij: *Facite vt vultum ipſius, & illam vſque ad talos demiſſam purpuram, cogitetis &c.* Alijs (24) *charientiſmus* eſt, quum dura gratioſis verbis molliuntur, vt, *Bona verba quæſo*, vel (25) *Meliùs ominare*. Sic Plautus in Perſa *Bona pax ſit potiùs*: &, *Di meliora ferant*.

(26) *Aſteiſmus* eſt iocus vrbanus, ſeu feſtiuitas, & vrbanitas, dictas (28) *ab aſteos*, quæ eſt Vrbs, & antonomaſticè Athenæ. Talis eſt iocus Athenæi: *Si quis eſt tàm prodigus ſui honoris, vt eum iſtiuſmodi res ſcriptis conſignare non pudeat, is per me liceat eiſdem ſe delectet futilibus, ac manifeſtis mendacijs, quibus Hanno Carthaginenſium Dux ſuam in Atlantico Oceano nauigationem deſcripſit, & nouas inibi refert ſe reperiſſe inſulas*. Talis (3) *aſteiſmus* eſt in illo Maronis.

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui.

Tullius quoque, breuem Lentuli generis ſui ſtaturam irridens, dixit. *Quis generum meum ad gladium alligauit*.

(29) *Mycteriſmus* (dictus (30) *à mycteros* nempe naſo, vnde idem eſt apud Lucianum (31) *Acticon myctera*, quod apud Senecam, naſus Acticus, propter Acticam mordendi acerbitatem) quamuis non ſit ſpecies ironiæ, vt nec aliqua ex ſupradictis irriſionis ſpeciebus, ſi ironiam propriè accipiamus, ſi tamen laxè hac vtamur voce, pro quacumque irriſione, non admodum refragabor. Certè, ſi non quicquid eſt (32) *dicterium*, id continuò eſt (33) *ironia*, ſed tunc demum eſt (33) *ironia*, quum intelligimus contrarium, eò minùs mycteriſmus erit ironia, quum nec verbis fiat, ſed geſtu naſi, quem irriſioni propterea ſacrum eſſe dicebant. Inde Martialis, Tongilianum quemdam pauperem, ſed acrem aliorum cenſorem, ſic ridet:

Tongilianus habet naſum, ſcio, non nego, ſed iam
Nil præter naſum Tongilianus habet.

Et alibi

Naſutus ſis vſque licèt, ſis denique naſus,
Quantum noluerit ferre rogatus Atlas
Et poſſis ipſum tu deridere Latinum
Non potes in nugas dicere plura meas,
Ipſe ego quàm dixi &c.

Ab aliquibus (29) *myĉteriſmus* putatur eſſe idem, ac (34) *ſanna*, ſed puto (35) *ſannæ* plura eſſe genera, quorum præcipua ſunt illa tria, quorum meminit Perſius Satyrâ primâ dicens

O Iane à tergo, quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis alba;
Nec lingua quã tum ſitiat canis Appula tantum.

(36) *Ironiæ* quoque ſpeciem faciunt (37) *mimeſin*, immeritò tamen, quia in ea id intelligitur, quòd verba propriè ſonant; non enim (38) *mimeſis* eſt aliud, quam directa oratione aliorum verba referre, vt *Dirumpamus vincula eorum, proÿciamus à nobis iugum ipſorum. Qui habitat in Cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit illos.* Primò enim Dauid aduerſariorum recitat verba, deinde eis reſpondet. Sic Venuſinus

O ciues, Ciues quærenda pecunia primum eſt,
Virtus poſt nummos. Hæc Ianus ſummus ab imo,
Prodocet,

ideſt palam docet; Si autem foret oratio obliqua, vt ſi diceretur: Fœneratores, ac negotiatores à ſummo Iano ad imum, ſuo exemplo docent, primùm pecuniæ habendam eſſe rationem, poſt curandam virtutem (14) *Mimeſis* non foret. Nec rectiùs ſub ironia locant *apophaſin*, quâ negamus quod agimus, vt, Non dicam, quæ libidinosè egerit in legatione. Vel (40) *cataphaſin*, quâ agimus quod negamus, vt, Mitto, quæ libidinosè egit in legatione, Sed de his iterum in ſchematologia.

Numerant etiam inter tropos (41) *onomatopiam*, quæ non eſt aliud, quàm nominis fictio, ſeu fabricatio, & propriè dicitur de vocabulis ita fictis, vt rei ſignificatæ ſonum repræſentent, ac exprimant. Verum quia in ea non mutatur propria vocis ſignificatio, non eſt inter tropos recenſenda; Non enim aſſentimur Patri Fonſecæ, qui libro 1. Inſtitut. Dialect. videns (42) *onomatopiam* non immutare vocis ſignificationem, aſſeruit non omnem tropum neceſſariò eam mutare: quin potiùs, vt definitio ſartatecta ſeruetur, qua dictum eſt, tropum eſſe verbi, aut ſermonis à propria ad impropriam ſignificationem, cum virtute, mutationem, dicendum eſt, *onomatopiam* non eſſe tropum, ſiquidem eam non mutat.

Onomatopia (42) ergo erit in illo Perſij, quum exprimit ſonum, quem inflatæ, colliſæque buccæ edere ſolent, dicentis

Nec ſclopo tumidas intendis rumpere buccas.

Sic

Sic baubari (2) *onomatopia* eſt canum latrantium ab au, au: mutire verò eſt eorundem canum factum à mù: grunnire verò eſt ſuum, à grù. Sic Varrone teſte, à ſonis facta ſunt vocabula vpupæ, vlulæ, cuculi, bubonis; hirundinis, anſeris, pauonis &c. de quibus videndus Naſo in Haulieutico. Extenditur ab aliquibus (41) *onomatopia*, ad quamcumque nominis fictionem, etiam ſi rei ſignificatæ ſonum non repræſentet, & ita, (41) *onomatopiam* dicunt eſſe in eo, quòd Dionyſius Syracuſanus Virginem appellauit (43) *menandropum*, quia videlicet virum expectaret; & idem, murium receptacula, appellabat (44) *myſteria*, quia mures ſeruarent. Huius etiam generis eſt, quòd bombardam appellant (45) *telebolon*, quaſi dicas procul iaculantem, immò ipſa bombardæ vox, etiam eſt facta à bombo, & ardeo, quandoquidem bombi vox, non tantum de apum dicitur ſtrepitù, & de ſerici vermibus, qui propterea bombices appellantur, verùm etiam tonitruo tribuitur, cuius ſonum imitantur bombardæ, vt propterea fictitia vox ſit, & ad onomatopiam pertineat.

Onomatopia (2) ergo trium eſſe dicitur generum: ſiquidem quædam voces ſunt nouatæ, quæ ſonum quidem exprimunt, ſed ex inſtituto nihil ſignificant, qualis eſt illa Ariſtophanis in Ranis (46) *Brecececex Coax, coax*, & aliæ ſimiles, ac pleræque interiectiones, quæ riſum ſignant, aut fletum, quæ efferuntur quidem (47) *per ſoni imitationem*, ſed (48) *ex inſtituto* nihil ſignificant. Aliæ verò ita exprimunt ſonum, vt etiam (8) *eſt inſtituto* ſignificent, vt diximus de baubari, grunnire, belare, bombarda &c. & huiuſmodi voces factæ, propriæ per (1) *onomatopiam* dicuntur; Vnde Iſidorus (41) *onomatopiam* eſſe dicebat, *nomen fictum ad imitandum ſonum vocis confuſæ*. Aliæ tandem ſunt voces nouitèr confictæ, & ſignificant (8) *ex inſtituto*, ſed non referunt ſonum, qualis erat vox (3) *menandropos* de Virgine, vel (4) *myſterium* de murium receptaculo, vel (45) *telebolon* de bombarda, quæ dicuntur voces nouatæ, de quibus etiam præcedenti tractatu diximus.

Epitheton (49), inter tropos à quibuſdam numeratur, nullo tamen ſuo merito, ſiquidem locum habet tum in verbis proprijs, & primænæ ſignificationis, tum in quibuſcumque tropis. In verbis ſiquidem proprijs eſt, quum dicitur *patula fagus, tenuis auena, formoſa Amaryllis, dulce fauum, impius miles*, & alia huiuſmodi,

iuſmodi. Propriè quoque dicuntur *Athenæ Atticæ* apud Plautum, Athenis natus, altus, educatuſque Atticis, ad differentiam Athenarum Boeoticarum, quæ dictę fuerunt (50) *orchomenes*, & aliarum ſitarum in inſula Eubœa, quæ appellabantur (51) *Diades* & aliarum. Similitèr propriè dicitur nix alba, & olor candidus. Nec obſtat, quòd tàm nix quàm olor aliquando dicti fuerint purpurei, ſiquidem tunc vox purpureus, non ſignificat colorem, ſed Græcorum more, quicquid pulchrum, aut ſplendidum eſt. Addo dari genus purpuræ albæ, de quo Plutarchus in Alexandro.

In translatis verò eſt (49) *epitheton*, vt cruda viridiſque iuuentus, vel matura ſenectus, aut

Diſcordia ſemina rerum.

Similiter quòd Naſo Iſidem appellat lautam, eò quòd illi ſacrificaretur anſer, vnde Faſtorum; ait

Nec defenſa iuuant Capitolia, quominùs anſer
Det iecur in lances Inache lauta tuas.

Metaphora etiam eſt in illo Plauti

Eme die cœcâ hercle oliuum, id vendito oculatâ die;

Nam dies cœca eſt, quum ſolutio differtur: dies verò oculata eſt, quum mercamur Græcâ fide, nempe præſenti pecuniâ. *Epitheton* (52) *metonymicum* eſt, quum dicitur *pallida mors*, aut *iners bruma*, vel *præceps ira*. (53) *Synecdochicum* etiam (49) *epitheton* eſt, *Chaonia glans*, pro quauis. *Acheloia pocula* pro aquea, *maſſica vina &c.* (54) *In ironia* etiam ſunt epitheta vt, quum Iuno ait Veneri

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis.

Vel quum apud Plautum Hegio ita compellat Stralagmum ſeruum fugitiuum in Captiuo;

Age tu illuc procede bone vir, lepidum mancipium meum.

Obſerua autem hîc ex Ariſtotele, non decere oratorem vti epithetis longis, aut intempeſtiuis, aut crebris, contra quod præceptum frequentèr peccarunt antiqui ſcriptores Itali, maximè Ioannes Boccacius; Vnde etſi poëtis concedatur dicere lac candidum, aut vinum humidum, vt ſunt talia epitheta frequentia, maximè in Homero, reuera tamen talia crebra, grandiora, & non neceſſaria, frigidam reddunt orationem, vt conſultius ſit ab eis abſtinere.

Ecaſiam (56) etiam, ſiuè (57) *icon*, recenſent inter tropos id-

que putant voluiſſe Ariſtotelem hic, quum ait; Eſt verò (57) *imago* quoque (58) *metaphora*: ſed iſti non aduertunt id, quod immediatè deinde ſubiungit, nempe, *Eſt verò imago quoque metaphora; nam parum ab ea differt*; Si ergo parum ab ea differt, reuera (58) *metaphora* dicenda non erit, quippe quæ ab ea ſaltem differt additione: ſiquidem (58) *metaphora* eſt in eo, quod Tacitus ait, *Etiam ſapientibus cupido gloriæ nouiſſima exuitur*: (57) *imago* verò eſt, quum ait Plato: *Cupidinem gloriæ, ceu vltimam tunicam, anima ſolet deponere*. Similiter (58) *metaphora* eſt, quum dicimus, Franciſcum Primum ſignum ſuſtuliſſe ad benè ſperandum de re litteraria; (56) *icaſia* verò, ſiue (57) *imago* erit, apud Tullium pro Marcello. *Ad bene ſperandum de omni Repub. quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti*. (58) *Metaphora* etiam fuerit, ſi Socratem appelles Silenos Alchiadis, (57) *imago* verò erit ſi Socratem dixeris, ſimilem Silenis Alcibiadis: qui erant imagines exteriùs quidem ridiculæ, interiùs verò Diuina repræſentantes; Quum itaque (56) *icaſia*, ſiue (57) *icon* nempè imago, ſignificationem non inuertat, non poterit inter tropos numerari, ſed erit aſſimilatio quædam.

Periphraſis (60) eſt, quando rem vnam pluribus ambimus, & circumloquimur verbis, Ita veneni (61) *periphraſim* habes apud Plautum:

Di faciant, vt bibatis quod vos numquam tranſeat.

Piſcium (60) *periphraſis* eſt in Liuio Andronico, eos appellante *laſciuum Nerei ſimum pecus*, niſi malis delphinos deſcriptos, qui naribus omninò deſtituuntur, & ideo ſpecialiter Simones à Plinio libro 8. capite 9. dicti; Caſei (60) *periphraſis* eſt in Naſone 14. metamorphoſeos *Cum lacte coagula paſſo*: Sacræ etiam litteræ paſſim (61) *periphraſim* admittunt, vt Iudicum 5. *Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos, & ſedetis in iudicio, & ambulatis in via, loquimini*, ideſt Reges, aut Princeps, iudices, ac mercatores. Cauſa verò vſurpandi (61) *periphraſim* eſt, vel ad vitandam fœditatem, vel ad hoc, vt ſplendidiùs aliquid proferatur.

Sed quum (60) *periphraſis* nonnumquam fit in verbis proprijs, non bene numeratur inter tropos. Quis enim tropus eſt in eo, quod ait Maro:

Quo ſæpe ſolemus,
Paſtores ouium teneros depellere fœtus.

Teneri enim fœtus ouium, agnorum periphraſis eſt. Quis etiam

trò pus

tropus erit, ſi Ciceronem Romanorum eloquentiſſimum, aut eorundem Romanorum doctiſſimum Varronē, (62)*periphraſticè* dicas? Aliqui periphraſim agnoſcunt in eo, quod Ennius inquit

His pernas ſuccidit iniqua ſuperbia Pœni:

& in illo Horatij:

Virtus Scipiadæ, & mitis ſapientia Læli:

reuera tamen non video in his periphraſim.

Antiphraſis(63) verò dicitur eſſe dictio contrarium ſignificans, & ita non differt (64) *ab ironia*; Quod ſi, vt vult Plutarchus, antiphraſis ſit in eo, quod Homerus ait

Haud, vt eos vidit, eſt lætatus Achilles,

ideſt indoluit: iam antiphraſis non differt à (65) *Tenuitate*; ſiue *exilitate*. Si autem antiphraſis nomine intelligas, priuæ vocis deductionem, ad contrarium eius, quod nomen ſignificat, iam nec tropus, nec ſchema fuerit. Vt apud Hieronymum epiſtola C. ad Bonoſum. *An ideo tibi bellus videris, quia fauſto vocaris nomine, quaſi non, & lucus ideo dicatur, quia minimè lucet, & Parcæ, quod nequaquam parcant, & Eumenides, quod non ſint benignæ, & vulgo Aethiopes vocantur argentei.* In cuiuſmodi vocibus (66) *ethymologiæ* ſunt mendaces, eſto (67) *ethymologia* nomen verò loquium, aut veram orationem ſonet.

Denique inter tropos referunt (68) *hypallagem*, quam alij (69) *enallagen* dicunt; hæc tamen potiùs, quam rhetoricorum tropus, grammaticorum cenſetur ſchema; ſiquidem ipſâ, verborum ordo, ac ſtructura ita inuertitur, vt res contrario modo, ac ſe habet, referri videatur. Vt Tullius pro Marcello *Vidimus tuam victoriam, prœliorum exitu terminatam, gladium vaginâ vacuum in Vrbe non vidimus*, pro vaginam gladio vacuam: ſic Maro

Nec dum illis, labra admoui,

quum potiùs pocula labijs admoueantur: ita

Et ſteriles platani malos geſſere valentes,

Caſtaneæ fagos,

quum potiùs caſtaneæ fertiles, ſterilibus fagis inſerantur. Sic Naſo.

Spectat Aonios Actæis Phocis ab arvis

quum Aonia, ſiue Bœotia interiecta ſit inter Attica, & Phocida. Sic Perſius

Purgatas inſeris aures

Fruge Cleanthea

pro inſeris purgatis auribus frugem Cleantheam. Aliquando autem in (70) *hypallage* nulla eſt caſuum commutatio, ſed tantum ſtructuræ inuerſio, reſeruato priori caſu, vt apud Ouidium

In noua fert animus mutatas dicere formas,
corpora

pro, corpora mutata in nouas formas. Incepit autem ab (63) *hypallage* quæ obſcuritatem adfert, quia loquens de conuerſione, conſultum putauit orationem conuertere. Alius (68) *hypallage* modus eſt, quum verbum mutatur in participium, & è contra vt

ſubuerſaſque obrue puppes,

prô obrutas ſubmerge. Et hæc de tropologia, ad ſchematologiam nunc properamus.

(1) σαρκασμόν (2) εἰρωνεία (3) σαρκασμὸς (4) τρόπος (5) σαρκάζω (6) σαρκάζειν (7) χειλῶν δήξεως χλενάζειν (8) χειλῶν, δείξεως χλενάζειν (9) σῶμα καὶ σάρκα (10) σαρκόφαγος (11) δεσμὸς (12) δεμά (13) δέω (14) διασυρμὸς (15) σαρκασμȣ̀ (16) διασύρμειν (17) χαριεντισμȣ̃ (18) χαριεντίζεστε (19) γεφυρίζειν (20) ἀπὸ τὴς γέφυρας (21) ἁπλῶς (22) χαρίεντες (23) χάριτες (24) χαριεντισμὸς (25) ἔυφημα φῶννὲς (26) ἀστεϊσμὸς (28) ἀπὸ τὴς ἄστεως (29) Μυκτηρισμός (30) ἀπὸ τȣ̃ μυκτὴρος (31) Ἀττικόν μυκτὴρα (32) σκῶμμα (33) εἰρωνεία (34) μῶκος (35) μώκȣ (36) εἰρωνείας (37) μίμησιν (38) Μίμησισ (39) ἀπόφασιν (40) κατάφασιν (41) ονοματοποιίαν (42) ὀνοματοποιία (43) μενάνδρειον (44) μυστέρια (45) τηλέβολον (46) βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοαξ (47) κατὰ μίμησιν ἐκφέροντα (48) κατὰ συνθήκην (49) ἐπίθετον (50) ὀρχομενὸς (51) Διάδες 52 μετωνύμικον (53) συνεδόχικον (54) εἰρωνεία (56) Ἠκασίαν (57) εἰκὼν (58) μεταφορά (58) μεταφορά

φορὰ (56) Ἠκασία (57) εἰκὼν (60) Περίφρασις (61) περίφρασιν (62) περιφραστικῶς (63) Ἀντίφρασις (64) ἀπὸ τῆς ειρωνειας (65) λιτότης (66) ἐτυμολογίαι (67) ἐτυμολογίας (68) ὑπαλλαγὴ (69) ἐναλλαγὴν (70) ὑπαλλαγῆς.

TRACTATVS TERTIVS.

De Schematologia.

S*Chematis* vox propriè, vel veſtem notat externam, vt ſagum, togam, paludamentum, vel pallium; vel corporis geſtûs, & actiones, maximè ſaltatorum, ſeu mimorum, quibus reſpondent muſicorum inſtrumentorum modi, ſeu modulationes; Vnde Ariſtoteles in poëtica huiuſmodi geſtus appellauit rythmos (2) *ſchematicos*. Sumitur etiam aliter ſchema, ſed hæ duæ acceptiones ſunt ad propoſitum, & intentum: nam ſi (3) *ſchema* ſumitur pro veſte, & geſtibus, quum verba ſint quaſi corpus orationis, ſententia verò velut anima, à qua geſtus, & motus proficiſcuntur, verborum quidem (4) *ſchemata*, ſimilia erunt veſtibus, ſine queis, oratio erit nuda: (4) *ſchemata* verò ſententiarum reſpondebunt geſtibus artificioſis, ſine quibus erit oratio ſimilis homini, qui naturali tantum motu moueretur. Appellantur autem huiuſmodi, orationum deliciæ, nedum habitus, & geſtus, quod (1) *ſchematis* vox ipſa deſignat, ſed etiam orationis formæ, lumina, pigmenta, flores, ſtellæ, vt videre eſt in Tullio libro de Claris oratoribus, vbi quum varijs tranſlatis (1) *ſchematis* vocem reddat, nuſquam meminit figuræ, quod poſterioris æui rhetores faciunt.

Definitur verò ſchema à quibuſdam, quòd ſit, arte nouata quædam ſcribendi, vel dicendi ratio. Ab alijs verò, quòd ſit eloquutio, quâ orationis habitus, à recta, & ſimplici conſuetune mutatur. Verum hoc etiam tropis conuenire poteſt, & maximè (5) *allegoriæ*: quum autem definitio non debeat conuenire alteri à definito, nulla ex iam poſitis eſt rectè tradita. Ideo ab alijs definitur, quòd ſit immutatio orationis in melius, ratione, ſiue verborum, ſiue ſententiarum abſque tropo, Id eſt etiam ſi

tropus

tropus non adſit; Et id in ſoluta oratione accidere poteſt, etiam cum ſolius numeri mutatione, numerus enim oratorius diuerſus eſt à poëtico, vt in primo tractatu huius libri dictum eſt.

Obſeruamus etiam, (6) *ſchematum* alia pertinere ad materiam, & corpus orationis, quæ appellari ſolent (7) *ſchemata verborum*: alia ad formam, & quaſi animam, quę dicuntur *ſchemata ſententiarum*; quorum, illa, pereunt, variato verborum ordine, aut voce aliâ, etiam eiuſdem ſignificationis ſubſtituta: hæc verò manent, quantumcumque verba mutentur, dummodo eadem ſententia perſeueret. de vtriſque videndum, ſed priùs de ſchematibus verborum, vtpote facilioribus, & quia vt rerum cognitio eſt potior, ita verborum naturaliter eſt prior.

(1) Σχῆματος (2) εσχηματισμένοι ῥυθμοὶ (3) σχῆμα (4) σχήματα (5) ἀλληγορίᾳ (6) σχημάτων (7) σχήματα λεξεος (8) σχήματα διανοίας.

CAPVT PRIMVM.

De Schematibus orationem ſubticentia, vel exceſſu figurantibus.

SChematum verborum quattuor ſtatuo claſſes; verba enim figurantur, vel ratione eſſentiæ, vel ratione quantitatis, vel qualitatis, vel ſitus. Quæ figuram accipiunt ratione naturæ, vel eſſentiæ, ea figurantur vel ſubticentiâ, vel exceſſu, vel repetitione eiuſdem vocis, vel ſaltem vſu verborum ſimilium.

Subticentiâ orationem figurant, (2) *ellipſis* & (3) *aſyndeton*, quorum illud eſt à verbo Græco (4) *lipo*, quod nos vertimus relinquo, & importat præteritionem, ſeu prætermiſſionem: hoc verò eſt à verbo (5) *deo* nempe ligo, ſignificans diſſolutum, aut non ligatum. Et quamuis de iſtis, vt de alijs quamplurimis, Grammatici etiam pertractent, non tamen eodem fine, ſicut Rhetores: Grammatici ſiquidem ea conſiderant, vt orationis ſtet puritas, concinnitas, ac caſtitas, orator verò in eiſdem conſiderat affectum, ad quem impellere, ſeu quem mouere conatur.

natur. Exemplum (6) *ellipſis* ſit illud Ciceronis in Verrem dicentis *Huncine hominem, hancine impudentiam, hancine audaciam?* ſubticetur, ferremus. Et in illo Maronis Eclog. 3.

Nouimus & qui te, tranſuerſa tuentibus hircis,
Et quo, ſed faciles Nymphæ riſere ſacello deeſt, ſubagitabat. Huiuſmodi ergo (6) *ellipſis* eſt in vſu Grammatici ratione puritatis orationis: rhetoris verò & poëtæ ratione affectuum pudoris, iræ, vel ſimilis.

In (7) *aſyndeto* orator duplicem ſpectat vſum, primum, vt volubilis, & concitata oratio, rerum etiam indicet velocitatem; vt in *Veni, Vidi, Vici* Cæſaris apparet: & in illo Maronis,

Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.

Aut in hoc Silij Italici:

Ite citi, ruite ad portas, propellite vallum
pectoribus.

Alterum, vt ſignificantiùs, & maiori cum efficacia res exprimatur, quod fit per (8) *ſynonyma* vel pene (9) *ſynonyma*, vel per (10) *enumerationem rerum diuerſarum*, vt in illo Tullij in Catilinam *Abijt, exceſſit, erupit, euaſit.* Vel in hoc Terentij

In me quid vis horum conuenit, quæ ſunt dicta in ſtultum,
Caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

Enumerationem certè diuerſorum habes in quarta Philippica: *Ceſſatis, ſumptus facitis, cui res mandetis quæritis, ſuccenſetis, & vos mutuò accuſatis.* Et in illo Comici.

Video ſentum, ſquallidum, ægrum, pannis, anniſque obſitum.

Et in eodem

Ignotum eſt, tacitum eſt, creditum eſt.

Et iterum

Ego ille agreſtis, ſæuus, triſtis, parcus truculentus, tenax &c.

Eodem vtitur ſchemate ſæpè Tullius maximè in Maniliana, & pro Archia.

Exceſſu verò orationem figurant (11) *pleonaſmus*, & (12) *polyſyndeton*, quorum primum opponitur (6) *ellipſi*, & fit ad emphaſim, & euidentiam, vt *His te oculis egomet vidi*; *Soſtrata, his auribus audiui*: ſic, *Ore loquutus eſt.* Secundum verò opponitur (7) *aſyndeto* &, vt orationem, ita & rem amplificat: ſiquidem, quum idem, aut pene idem dicas, plura tamen, ac diuerſa videris dicere. Habet etiam locum, quum dicimus diuerſa, vt ea retardata ſermonis curſu, plura, & ampliora videantur, ma-

giſque

giſque animum alliciant. Sic Plautus

Vbi fidemque, remque, teque properat perdere.

Sic Tullius in Maniliana: *Aſia verò tam opima eſt, & fertilis, vt & vbertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine paſtionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat.* Sic Demoſthenes in j. Olinthiaca *Licebit vobis cum exercitu hybernare Lemni, & Thaſi, & Sciathi, & in alijs illius loci inſulis, in quibus & portus, & frumentum, & omnia ſunt, quæ exercitus exigit.*

Sunt etiam alia ſchemata, quæ vel eamdem ponunt vocem, vel, quamuis diuerſam, ſimilem tamen. Vox autem dicitur eadem, vel ſono tantum, & ſolâ appellatione, vel ſolâ ſignificatione, vel vtrâque. Si vox ſit eadem ſono, & appellatione, ſignificatione tamen diuerſa, ſchemà iſtud appellabitur (13) *antanaclaſis*, aut (14) *dilogia*, quæ in hoc differt à (15) *ſyllepſi*, quòd in (15) *ſylepſi* vox ambigua ſemel poſita in vtraque ſignificatione accipitur; in (16) *antanaclaſi* verò vox repetita aliter in primo, quàm in poſteriori ſumitur loco. Itaque (16) *dilogia*, ſeu (9) *antanaclaſis* eſt in illo Ioannis 2. *Multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius quæ faciebat; ipſe autem Ieſus non credebat ſemetipſum eis*, nam aliter accipitur credere in primo, ac in ſecundo loco. Sic Plautus in Curculione

Idem ego, is hoc quum credebam, credidi,

hoc eſt arbitrabar, quum tibi pecuniam committerem. Sic Varro *Sectius es hoſtibus, cum focys bellum ita geris, vt bella omnia domum auferas.* In quibus exemplis, vides eiuſdem verbi repetiti, in eadem ſententia, multiplicem ſignificationem, & hæc eſt (13) *antanaclaſis*, niſi velis (17) *antanaclaſim* preſſiùs accipere, vt ſignet non quamlibet ſignificationum diuerſitatem, ſed eam dumtaxat, quâ neutro loco mores ſignificentur, qualis eſt in illo Plauti de voce matris

Et nati ſunt filij duò gemini;
Ita ſimili forma pueri, vt mater ſua
Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat
Neque adeo mater ipſa, quæ illos pepererat.

Si autem vox repetita nunc perſonam, vel quaſi perſonam ſignificet, nunc mores aut aliam qualitatem, (18) *Copulatio* fuerit, quæ eſt ſpecies contenta ſub (9) *antanaclaſi* laxè ſumpta, vt

Talis erat mater, ſi modò mater erat.

vel

vel *Amici procul habitantes, non ſunt amici.*

Sic Plautus:

Bacchides non ſunt bacchides, ſed bacchæ ſunt acerrumæ.

Eſſe verò (18) *plochum*, ſeu (18) *copulationem* non ſolum perſonarum, liquet ex illo, Plauti

Nam mare haud eſt mare, vos mare acerrumum,

hoc eſt Vos magis maritimis eſtis moribus, ideo in definitione (20) *plochis* adieci, Vel quaſi perſonam. Quod verò addidi, Vel aliam qualitatem, feci, quia non ſemper alterutro loco mores ſignificantur, vt patet, quum dico *Mulier, quæ mulier fieri non poſſit.*

Voces verò non appellatione, ſed ſignificatione eaſdem, coniugunt (23) *Synonymia*, & (24) *exergaſia*, nempè interpretatio, & expolitio. (23) *Synonymia* eſt, quum iunguntur plura idem, vel penè idem ſignificantia, quòd (25) *ſchema* appellatur etiam (26) *dittologia*, (27) *parallelum*, (28) *aridelοſis*, (29) *epanalepſis*, & (30 *anadiploſis*. Immò quæ communiter (31) *Synonima* appellantur, ab alijs (32) *polyonyma* dicuntur, quia ſunt plura nomina eiuſdem rei, retinemus tamen nomen (33) *Synonymia*, quia illud ſyn ſignificat coniunctionem, coniunguntur verò vel plures res cum eodem nomine, quæ dici ſolet (34) *omonymia*, vel plura nomina cum eadem re, quam dicimus ſynonymiam.

Exemplum itaque (33) *ſynonymiæ* fuerit illud Plauti

Quicumque vbi vbi ſunt, quique futuri ſunt poſt hac,
Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, buccones, blenni,
Ego longe antecedo ſtultitia, & moribus indoctis.

Et illud Catulli:

Illa tempeſtate, ferox, quo tempore Theſeus,

& in Marone

Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos,

nam vallum, & ſudes idem ſunt: (25) *Schema* iſtud poetis magis, quàm oratoribus permittitur, quandoquidem voces idem ſignificantes, orationem reddunt longiorem, quàm ſit opus. Non negamus tamen etiam iſtis concedi, & vt Gellius docet, eo vtuntur, tum vt orationem modulatiorem reddant, & aptiorem, tum vt onerandi, vel exprobrandi criminis gratiâ, exaggerationem aliquam ſpecioſam faciant: quæ enim cum graui verborum copia dicuntur, quamquam eadem ferè ſint, & ex vna ſententia cooriantur, plura tamen eſſe putantur, quoniam au-

res, & animum ſæpiùs feriunt: tum denique ad orationis acrimoniam &c.

(24) *Exergaſia* verò, ſiue expolitio eſt, quum coniunguntur orationes idem ſignificantes, vnde ſicut (23) *ſynonymia* eſt, quando coniunguntur ſingulæ dictiones, ita (24) *exergaſia*, (quæ & (35) *palilogia* dicitur à quibuſdam) quando coniunguntur ſententiæ, & orationes; vnde refertur propriè ad (36) *ſchemata ſententiarum*, quia in eo repetuntur eædem ſententiæ, ſicut (23) *ſynonymia* eſt (37) *ſchema verborum*, quia in eo replicatur eadem dictio.

Exemplum (38) *exergaſiæ* eſt illud Tullij pro Milone *Veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum, minimè video*. Et illud Statij,

Exerce formam, & fugientibus vtere donis.

Familiare eſt hoc ſchema ſacris litteris, adeout Magnus Gregorius dixerit, morem eſſe ſacri eloquij, rem ſemel dictam, ad eiuſdem confirmationem, iterum replicare, quod maximè videmus in Canticis Canticorum, in pſalmis, & thrænis Hieremiæ. Immò Ionas propheta, hoc vtitur quum ait. *Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudiſti vocem meam*. Locum verò habet (24) *exergaſia*, ſicut & (23) *ſynonymia*, vt aliquid lucis accedat ijs, quæ primò dicta, minùs aperta, & expoſita videbantur.

Ad exergaſiam etiam pertinet (39) *epimone*, quod tunc accidit, quando idem diuerſimode exprimitur, ad diutiùs retinendum auditorem, vel quò hic diutiùs in eadem commoretur ſententia ita tamen, vt aliud, atque aliud ſibi audire videatur: ſic Hecuba apud Naſonem

Nata iaces, videoque meum, tua vulnera, pectus.
Et ne perdiderim quemquam ſine cæde meorum
Tu quoque vulnus habes, At te quia fœmina, rebar
A ferro tutam, cecidiſti & fœmina ferro.

Quòd ſi immodicè (23) *ſynonymia*, (24) *exergaſia*, aut (40) *epimone* vtamur, (41) *battologiæ* vitium incurremus, à quo eſt cauendum &c.

(1) σχεμάτων λέξεως (2) ἔλλειψις καὶ (3) ἀσύνδετον (4) λείπω (5) δέω (6) ἔλλειψις (6) ἔλλειψις (7 ἀσύνδετου

δετου (9) συνώνυμα (10) ἀναρίθμησιν (11) πλεονασμός καὶ (12) πολυσύνδετον (6) ἐλλειψόι (7) ἀσύνδετῳ (13) ἀντανάκλασις (14) διλογία (15) συλλήψιος (16; ἀντανάκλάσιος (17) ἀντανάκλασιν (18) πλοχή (19) ἀντανάκλασου (18) πλοχὶν (20) πλοχῆς (23) συνωνυμία καὶ (24) ἐξεργασία (25) σχῆμα (26) διττολογία (27) παράλληλον (28) ἀριδήλωσις (29) ἐπανάληψις καὶ (30) ἀναδίπλωσις (31) συνώνυμα (32) πολυώνυμα (33) συνωνυμίας (34) ὁμώνυμία (35) παλιλογία (16) σχήματα διανοίας (17) σχήματα λέξεως (18) ἐξεργασίας (19) ἐπιμονὴ (40) ἐπιμονῆς (41) βαττολογίαν.

CAPVT SECVNDVM.

De Schematibus repetentibus vocem, appellatione, & ſignificatione eamdem.

REpetitio vocis eiuſdem, tàm appellatione, quàm ſignificatione fieri poteſt, vel ſimpliciter, ac ſine mutatione, vel partibus mutatis. Primi generis repetitio, vel erit diſiuncta, vel coniuncta. Diſiuncta, vel eſt in locis eiuſdem generis, vel in locis generis diuerſi. Repetitio diſiuncta in locis eiuſdem generis appellatur (1) *anaphora*, vel (2) *epiphora*. Diſiuncta verò in locis generis diuerſi dicitur (3) *Epanalepſis* vel (4) *anadiploſis*

(1) *Anaphora* ab aliquibus nominatur (5) *epanaphora*, ab alijs (6) *epibole*, a nonnullis (7) *diploſis anaphorica*, aut (8) *pariſoſis* a Magiſtro Herenniano generatim dicit, repetitio: & eſt illa repetitio quæ fit in principijs ſententiarum, aut membrorum, vt eſt in illo Silij.

Mantua mittenda certauit pube Cremonæ
Mantua Muſarum domus;

Vel in hoc Martialis

Hermes Martia ſæculi voluptas,

Hermes omnibus eruditus armis,
Hermes, & gladiator, & magiſter.

Adfert autem hoc ſchema in primis venuſtatem, vt patet in illa Græca cantilena *Vbi mea roſa, vbi mea lilia, vbi meum pulchrum apium. Vbi mea roſę illæ, vbi mea lilia illa, vbi meum pulchrum apium.* At non modò venuſtatem, ſed grauitatem quoque cum acrimonia adfert anaphora, in querela Ariadnes apud Catullum.

Siccine me patrijs aduectam, perfide, ab oris
Perfide, deſerto liquiſti in littore, Theſeu?
Siccine diſcedens? &c.

Auget quoque, & acrimoniam dat, apud Maronem
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,
Et *Sanguine placaſti diuos, & virgine cæſa*
Sanguine tentandi reditus.

Talis (1) *anaphora* eſt in odoaſtico illo, quod integrum nunc damus.

Eſſe ferunt medium, qui per mare voluitur amnem,
Is tamen æquorei nil trahit inde ſalis.
Nos mundi pelagum, nos vaſtum currimus æquor,
Nos tenet in ſalſo Doris amara ſinu.
Omne latus furit vnda, furit celer æſtus arenis
Ah quid agat tantas riuulus inter aquas?
Alme Deus liceat, nulla ſalſugine tinctis
Reddere corpus humo, reddere corda tibi.

Aliquando (1) *anaphorâ* plures repetuntur voces, vt, *Niſi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Iſrael, niſi quia Dominus erat in nobis.* Sic,

Vir ſeruus ignorat, quod opus Dominus agat,
Vir ſeruus ignorat &c.

Sic Cicero in oratione pro P. Quintio, tres inchoat periodos ab his verbis *Ad vadimonium non venit, quis? Propinquus: ſi res iſta grauiſſima ſuâ ſponte videretur, tamen eius atrocitas, neceſſitudinis nomine leuaretur. Ad vadimonium non venit: quis? Socius: etiam grauius aliquid ei deberes concedere, quicum te aut voluntas congregaſſet, aut fortuna coniunxiſſet, Ad vadimonium non venit. Quis? Is qui tibi præſto ſemper fuit &c.* Alternatim etiam repetuntur voces: quæ (1) *anaphora*, ſi res opponantur, vim habet magnam, vt apud Tullium pro lege Manilia, alterna cola incipiunt ab, *Vos*, &, *Il-*

&c, *Illi*. Elegans etiam erit (1) *anaphora*, ſi vox flectatur, vt apud Tullium: *Nulla contentiones, nulla libertas*. Et pro Archia *Plenæ omnes ſunt libri, plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas*. Sic Maro

Bellum ò terra hoſpita portas:
Bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Sic Naſo de Narciſo:

Multi illum iuuenes, multæ petiere puellæ
Sed fuit in tenera tam dura ſuperbia forma
Nulli illum iuuenes, nullæ tetigere puellæ.

Sic Catullus de flore:

Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.
Idem quum tenui carptus defloruit vngue,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.

(10) *Epiphora* vero appellatur etiam (11) *epiſtrophe*, (12) *anaſtrophe*, & (13) *antiſtrophe*, Latinè autem dici poteſt Conuerſio, aut Reuerſio, & eſt (14) *ſchema*, quo repetitio fit in clauſulis, vt *Hebræi ſunt? & ego: Iſraëlitæ ſunt? & ego. Semen Abrahæ ſunt? & ego &c.* Sic Cicero in 2. Philippica. *Doletis tres exercitûs populi Romani interfectos? interfecit Antonius. Deſideratis clariſſimos ciues? eos quoque eripuit nobis Antonius: Authoritas huius ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius. Omnia denique, quæ poſtea vidimus (quid autem mali non vidimus?) ſi rectè ratiocinabimur, vni accepta refereremus Antonio: vt Helena Troianis, ſic iſte Reip. cauſa belli, peſtis, atque exitij fuit.* Sic Virgilius

Surgamus, ſolet eſſe grauis cantantibus vmbra:
Iuniperi grauis vmbra, nocent & frugibus vmbræ
Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

Sic Ouidius libro de medicamine faciei

Rure latent, leguntque comas, licet arduus illas
Celet Athos, cultas altus habebit Athos.

(11) *Epiſtrophe* etiam erit, aut Conuerſio ſi integer repetatur verſus, vt apud Naſonem.

Impia quid dubitas Deianeira mori,

quando videlicet huiuſmodi verſus intercalaris claudit ſententiam: Nam ſi eam inchoet, vt apud Maronem.

Incipe Menalios mecum mea tibia verſus,

erit (1) *Anaphora*. Regius pſaltes ſæpiſſimè (15) *Anaphoris*, ac

Epi-

(16) *Epiphoris* gaudet, vt de iſtis patet tum alibi, tum præcipuè toto pſalmo 136. & pſalmo 105. repetitur verſus intercalaris. Confiteantur Domino miſericordiæ eius & mirabilia eius filijs hominum & dicto pſalmo 136. clandit omnes verſus per verba.

Quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Habet autem hoc ſchema non minorem acrimoniam, quam (1) *Anaphora*, vt patet in verbis obiectis Cæſari Maximino. *Qui ab vno non poteſt occidi, à multis occiditur: Elephas grandis eſt, & occiditur: Tigris violenta eſt, & occiditur: Leo fortis eſt, & occiditur. Caue multos, ſi ſingulos non times.*

(17) *Symphoche* (1) *Anaphoram*, & (2) *Epiphoram* comprehendit: eſt enim repetitio, quæ fit in clauſulis ſimul, & in principijs. A Latinis dicitur; Complexio: Appellatur etiam Clinotis: Fit autem vt plurimum interrogatione, vt apud Ciceronem oratione pro lege agraria ad Quirites *Qui legem tulit? Rullus: Quis maiorem partem populi ſuffragijs priuauit? Rullus. Quis tribus quas voluit, vocauit, nullo cuſtode ſortitus? Rullus. Quis Decemuiros quos voluit, renunciauit? Idem Rullus. Quem principem renunciauit? Rullum. Quis comitijs præfuit? Rullus. Quis &c.* Magiſter etiam Herennianus hoc dat exemplum. *Qui ſunt qui fœdera ſæpe ruperunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui crudele bellum in Italia geſſerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt, qui Italiam deformauerunt? Carthaginenſes. Qui ſunt qui ſibi poſtulant, ignoſci? Carthaginenſes.* Et hoc ſchemate vtimur, quum vehementer aduerſarium vrgere volumus, & ad ciendos affectus, obiurgandum, adhortandum, &c. maximam enim habet acrimoniam. Poteſt etiam fieri variatis caſibus, & citrà interrogationem, ſed tunc minorem habet vim.

(18) *Epanalepſes*, ſiue dicere malis; (19) *Epanadiploſis*, eſt repetitio, quæ fit initio præcedentis, & fine ſequentis ſententiæ, vt apud Tullium pro Marcello ad C. Cæſarem *Vidimus tuam victoriam, prœliorum exitu terminatam, gladium vaginâ vacuum in Vrbe non vidimus:* Sic Plautus: *Virtus omnia in ſe habet, omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus.* Sic Virgilius

Ambo florentes ætate, Arcades ambo:

Et idem

Victus amore tui, cognato ſanguine victus.

Iteratur autem aliquando geminum verbum, vt fecit Propertius, dicens

Huius

Huius ero viuus, mortuus, huius ero.

Et Ouidius

Vna dies Fabios ad bellum miſerat omnes:
Ad bellum miſſos, perdidit vna dies.

Sic Martialis

Rumpitur inuidia quidam, chariſſime Tuli
Quod me Roma legit, rumpitur inuidia.

Aliquando etiam tres voces repetuntur, quæ poſſunt eſſe pars (20) *membri*, vt

Balnea, vina, venus, corrumpunt corpora noſtra:
Conſeruant eadem, balnea, vina, Venus:

& poſſunt ſententiam abſoluere, vt apud Naſonem

Ilia, pone metum, tibi Regia noſtra patebit,
Teque colent omnes: Ilia pone metum.

Sic Martialis

Phoſphore redde diem, quid gaudia noſtra moraris,
Cæſare venturo: Phoſphore redde diem.

Aliquando denique idem verſus inchoat, & terminat epigramma, vt apud Catullum.

Quid eſt Catulle, quid moraris emori?
Sella in curuli ſtruma Nonius ſedet
Per conſulatum peierat Vatinius,
Quid eſt Catulle, quid moraris emori.

Sic Martialis, verſu,

Ohe iam ſatis eſt, ohe libelle.

inchoat, & terminat longum epigramma: & aliud etiam longum inchoat, & terminat Iacobus Sannazarus, verſu:

O dulce, ac lepidum Marine factum.

(4) *Anadiploſis*, ſeu (21) *Epanaſtrophe*, vel (22) *Palilogia*, quæ à Latinis Reduplicatio dicitur, eſt repetitio, quæ fit in fine præcedentis, & principio ſequentis ſententiæ; vnde eſt repetitio continua, ſeu contigua, quæ ſuauitatem habet, ac emphaſim orationi adiungit, vt patet in illo pſalmi: *Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus inuocantibus eum in veritate.* Et etiam: *Stantes erant pedes noſtri, in atrijs tuis Hieruſalem, Hieruſalem quæ ædificatur vt ciuitas:* & alibi ſæpe. Sic eſt in illo Ciceronis *Hic tamen viuit, viuit, immò & in Senatum venit.* Geminat etiam pro C. Rabirio Poſthumo dicens: *Gabinius illud quoque conſilio fecit, fecit certe ſuo: quæcumque mens illa fuit, Gabinij fuit: ſiue ille, vt*

ipſe

ipſe dicebet, gloriam, ſiue vt tu vis, pecuniam quæſiuit, quæſiuit ſibi. Sic de Diuinatione.

Canit de pectore carmen,
Et Matutinis, accredula vocibus inſtat,
Inſtat, & aſſiduis vocibus iacit ore querelas.

Fit etiam hæc repetitio interferendo minutulam voculam, vt pro Q. Ligario *Principum dignitas erat pene par, non par fortaſſe eorum qui ſequebantur*. Poteſt etiam variari caſus, vt pro Roſcio Amœrino: *Iniuriam nouo ſcelere conflatam, putant oportere defendi, defendere ipſi propter iniquitatem temporum non audent*.

Poſſunt in repetitionibus, ſeu duplicationibus huiuſmodi, media reſpondere tum principijs, ſeu vocibus poſitis in principio ſententiæ, tum medijs, nempe alijs vocibus poſitis in medio, tum etiam vltimis: primis reſpondet vt eſt illud apud Maronem.

Te nemus Angitiæ, vitrea te Ficinus vnda:

& Ouidius

Oſcula dat ligno, refugit tamen oſcula lignum.

Medijs verò reſpondent apud Ciceronem in Miloniana *Quæ in Senatu ſæpe ab inimicis, ab improbis ſæpe iactata ſunt*. Et pro Quintio eſt repetitio plurium verborum hoc modo *Etenim quum artifex eiuſmodi ſit, vt ſolus dignus videntur eſſe, qui in ſcena ſpectetur, tum vir eiuſmodi eſt, vt ſolus dignus videatur, qui eò non accedat.* Vltimis denique reſpondent apud Ciceronem in Verrem *Hæc nauis onuſta præda Sicilienſi, quum ipſa quoque eſſet ex præda*. Elegantiſſimæ verò ſunt repetitionum mixturæ, quæ à Græcis (23) *Plocha* appellantur, de quibus conſulendus Quintilianus libro nono ſuarum inſtitutionum capite 2.

(24) *Epizeuxe* eſt iteratio, ſeu repetitio vehemens eiuſdem verbi, quæ pertinet ad repetitionem continuam. Hanc quidam ſubijciunt (14) *Anadiploſi*: hoc tamen falſum eſt, ſiquidem (4) *anadiploſis*, ſemper eſt in diuerſis (20) *membris*, (24) *epizeuxe* verò ſemper in eodem: eſt enim (14) *ſchema*, quo dictio geminatur, abſque aliarum interiectione, vt, *Age, age, Adeſte, adeſte ſceleris vltrices Deæ*. Sic Cicero pro Milone *Excitate, excitate eam, ſi poteſtis ab inferis*. Sic Virgilius

Me, me, adſum, qui feci:

Sic Anaxarchus, quum à Cypriorum Tyranno Nicocreonte ferreis malleis contunderetur, imperterritè, ac generosè apud Laertium

tium dicebat (25) *Tunde tunde Anaxarchi follem, Anaxarchum autem non tundis*. Continua etiam cenſeri poteſt, quando breuis inſeritur vocula, vt in Catilinaria Ciceronis *Viuis, & viuis, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam*. Immò nec (26) *parentheſis*, nec (27) *parembole* continuationem repetitionis impediunt, quum neutra ſit de orationis eſſentia, vt apud Ciceronem pro Marcello: *At verò eius gloriæ Cæſar, quam es paulò ante adeptus, ſocium habes neminem, totum hoc, quantumque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum*. Sic in verſibus Sapphûs: quum primū ſponſa diceret *Virginitas virginitas, quò, me linquens, abis?* mox illa reſpondet eadem figurâ: *Non amplius veniam ad te, non amplius veniam*. Illa verò repetitio, quæ eſt apud Naſonem, quum ait Battus

Sub illis
Montibus inquit erant, & erant ſub montibus illis.

Et *Me mihi perfide prodis,*
Me mihi prodis ait;

Non eſt (28) *epizeuſis*, nec (4) *anadiploſis* ſed tantum (29) *mimiſis*, nempe imitatio aut (30) *Battologia*.

(31) *Climax*, quæ alitèr dicitur (32) *climacoton*, & (33) *epicodomeſin*, vel (34) *epiplocim*, Latinis appellatur gradatio, vel aſcenſus. Ea fit, quum verbum aliquod, inferiora ſuperioribus connectit, vt Darius apud Herodotum dicebat: *Quum quiſque velit eſſe Princeps, ad ingentia inter ſe odia veniūt, ex quibus fiunt ſeditiones, ex ſeditionibus verò cædes, è cædibus autem ad vnius deuenitur imperium*. Sic Cicero pro Roſcio Amœrino. *In omni Vrbe luxuries gignatur, ex luxuria exiſtat auaritia neceſſe eſt, ex auaritia erumpat audacia, inde ſcelera ac maleficia gignuntur*. Sic idem 12. Philippica: *Quid enim per Deos immortales poteſt Reip. prodeſſe noſtra legatio? prodeſſe dico? quid ſi etiam obfutura ſit? obfutura? quid ſi etiam nocuit*. Sic Ouidius

Mars videt hanc, viſamque cupit, potiturque cupita.

Sic Claudianus

Sic Medus ademit
Aſſyro, Medoque tulit moderamina Perſa,
Subiecit Perſen Macedo, ceſſurus & ipſe Romanis.

Poëtæ enim non ſeruant ordinem naturalem gradationis, immo nec oratores illum perpetuò ſeruāt. Neque neceſſe fuerit pluries fieri repetionem; eſt enim (4) *Climax* etiam ſi ſemel tantum ponatur,

natur, vt apud Ciceronem pro lege Manilia *Ab eo bello Syllam in Italiam Reſp. Murenam Sylla reuocauit*; Vnde quidam dixerunt (31) *Climacem* eſſe (17) *anadiploſim*, pluribus gradibus continuatam.

Vtitur hoc ſchemate Tertullianus libro de ſpectaculis, dicens *Vbi voluntas, ibi & ſtudium: vbi ſtudium, ibi & æmulatio: vbi æmulatio, ibi & furor, & bilis, & ira, & dolor*. Et idem libro de velandis virginibus ait: *Vbi gloria illic ſollicitatio: vbi ſollicitatio, illic coactio: vbi coactio, illic neceſſitas: vbi neceſſitas, illic infirmitas*. Apud eumdem etiam Tertullianum libro de cultu fœminarum dicitur: *Sperando timebimus, timendo cauebimus: cauendo ſalui erimus*. Immo creber (31) *Climacis* vſus eſt in ſacra ſcriptura: ſic Apoſtolus Romanorum 3. ait: *Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit*. Sic apud eumdem Paulum in Epiſtola ad Romanos capite 8. ſunt hæc verba: *Quos præſciuit hos & prædeſtinauit, quos prædeſtinauit, hos & vocauit: quos vocauit, illos & iuſtificauit: quos iuſtificauit, illos & glorificauit*. Et capite 10. eiuſdem Epiſtolæ *Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? quomodo verò credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient, ſine prædicante? Quomodo verò prædicabunt, niſi mittantur*. Innumeri ſunt alij loci, in quibus ſacra ſcriptura gradatione vtitur, ſed adducti ſufficiunt. Si ergo verum eſt, quod Clamax ſit in vſu ſacræ ſcripturæ, falſum erit, quod rhetorum nonnulli affirmant, hoc ſchema minimum præſeferre grauitatis, adeoque parciùs oratori adhibendum, quia ludicro tantum conuenit argumento; Certè quum hoc ſchema ſit valde conſpicuum, nocere poſſet cauſæ, non quia grauitatem non habeat, ſed quia ars occultanda eſt, quando adeſt aduerſarius. Falſum autem eſt, eſſe ſchema leue, quum, Demetrio teſte, aſſumi poſſit in graui charactere.

(35) *Epanodus*, Latinè, Reditus, ſchema eſt, quo recurrimus per eadem, vel quaſi eadem verba, illa relegentes ordine inuerſo, vt

Nec ſine ſole ſuo lux, nec ſine luce ſua ſol.

Vel,

Nox breuis nimis, ab nimis breuis nox.

Sic Ariſtoteles apud Stobæum ait. (36) *Quandoquidem res non fiunt, vt vellemus, velimus, prout fiunt*. Eiuſdem Ariſtotelis fuiſſe dicitur, quum in Chalcidicum Euripum inſiliret. (37)

Quan-

Quandoquidem Ariſtoteles non cepit Euripum, Euripus capiat Ariſtotelem. Vetus dictum eſt, (38) *Sors artis inuentrix fuit, haud ars ſortis.* Bias etiam, aut Chilon dicebat. (39) *Sic amaueris, tamquam oſurus, ſic oderis, tamquam amaturus.* Rectiùs tamen dixiſſet, Ama tamquam numquam oſurus, oderis tamquam aliquando amaturus. Theocritus etiam, Stobæo teſte, quum rogaretur, quur nihil ſcriptis mandaret, reſpondit, *Quia vt volo, non poſſum, vt poſſum, non volo.* Cicero in Maniliana. *Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè diuiſum, atque diſperſum, quis vmquam arbitraretur, aut ab omnibus Imperatoribus vno anno, aut, omnibus annis, ab vno Imperatore confici poſſe.* Ouidius 4.Metamorphoſeos:

Vt in aquore ſummo.
Vmbra viri viſa eſt, viſam fera ſæuit in vmbram.

Et Amorum libro 2.

Quodlibet eueniat, nocet indulgentia nobis.
Quod ſequitur, fugio, quod fugit, ipſe ſequor.

Seneca de Conſolatione ad Heluiam. *Vomunt vt edant, edunt vt vomant.* Sic.

Vt viuam eſſe decet, viuere non vt edam.

Seneca alius, nempe Tragicus:

Genitor en gnatos premo, premorque gnatis.

Marcus Minucius in Octauio: *Iſis perditum filium, cum Cynocephalo ſuo, & alijs ſacerdotibus, luget, plangit, inquirit, & Iſiaci miſeri, cadunt pectora, & dolorem infœliciſſimæ Matris imitantur; mox inuento paruulo, gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, Cynocephalus inuentor gloriatur. Nec deſunt annis omnibus, vel perdere quod inueniant, vel inuenire, quod perdant. Nonne ridiculum eſt, vel lugere, quod colas, vel colere, quod lugeas?* Iulius Auſonius. *Beatus eſt, non tàm, qui habet, quod cupit, quàm qui non cupit, quæ non habet.* Decimus verò Auſonius ait:

Infœlix Dido, nulli bene nupta marito.
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Virgilius:

Crudelis mater, magis, an puer improbus ille:
Improbus ille puer, crudelis tu quoque mater.

Sedulius:

Noxia tu coniux magis, an Draco perfidus ille?
Perfidus ille Draco, ſed tu quoque noxia coniux.

Ad quod pertinet etiam illud. (40) *Vel Plato Philonizat, vel Philo Platonizat*, ad cuius imitationem dictum eſt, *Vel Eraſmus Luterizat, vel Lutherus Eraſmizat*.

(41) *Tautòtis* eſt, quum quaſi neglecto cultu, temerè eadem vox repetitur, vt in illo Ennij.

Qui lepidè poſtulat alterum fruſtrari.
Quem fruſtratur fruſtra, eum dicit fruſtra eſſe.
Nam qui ſeſe fruſtrari quem fruſtra ſentit,
Qui fruſtratur, is fruſtra eſt, ſi non ille eſt fruſtra.

Sic idem Plautus in Captiuis actu 2 ſcena 2.

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet; quum etiam cauet;
Etiam quum caviſſe ratus eſt ſepe is cautos captus eſt.

Cæſar libro 1. de bello Gallico, *Vnos ex omnibus Sequanos, nihil earum rerum facere, quas cæteri facerent.* Et libro 2. de bello Ciuili. *Quæ volumus, & credimus libenter, & quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire ſperamus.* Liuius libro 9. *Arma, viris in arma natis, auferre feſtinant.* Tiberius apud Tacitum 6. Annalium. *Quid ſcribam vobis Patres Conſcripti, aut quomodo ſcribam, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, Dij me, Deæque peius perdant quàm perire quotidie ſentio, ſi ſcio.* (41) *Tautòtis* etiam eſt, quum integra repetitur ſententia, vt apud Naſonem in Epiſtola Sapphûs.

Si niſi quæ facie poſſit te digna videri.
Nulla futura tua eſt, nulla futura tua eſt.

Nec enim eſt hic: (42) *Anadiploſis*, quum in (43) *Anadiploſi* quæ repetuntur non poſſint, ſaluâ ſententiâ, abeſſe. Nec obſtat, quòd in (44) *Tautoteti* ſermo non videatur recedere à communi loquendi vſu; Nam quum quid vno tantum modo dici poteſt, ſchema non eſt: at quum aliter dici poſſit, ſi ob ſimplicem quandam elegantiam varietur, (1) *Tautotis* erit.

(45) *Polyptoton*, quæ Latinis dicitur Traductio, accidit, quum iteratur eadem vox, variatis caſibus, & comprehendit etiam variationem terminationis vocis, ratione numeri, vel generis, aut modi, ſiue temporis, aut aliorum. Iſta etiam repetitio aliquando eſt coniuncta, aliquando verò disiuncta: quandoque eſt vnius tantum verbi, quandoque verò diuerſorum: Et, vel ſemel, vel ſæpiùs eamdem repetit vocem.

Simplex vnius verbi, & continua repetitio, eſt, quum dicimus. *Vero verius.* Simplex verò, vnius verbi, ſed disiuncta re-

petitio

petitio eſt in illo Senecæ, *Vix tota vita ſufficit, vt hoc vnum diſcas, vitam contemnere.* Et Septimius Florens Tertullianus ait: *Non eſt Religionis, cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet.* Sæpiùs repetitur eadem vox in hoc Sophoclis. (46) *Labor labori laborem adfert.* Et in hoc Euripidis non minùs. (47) *Haud quiſquam cuiuſquam quicquam audit.* Apud Perſium eſt.

De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.

Quæ coniunctæ ſunt repetitiones, niſi quòd in hac Perſiana interſeritur minutula vox. Diſiuncta verò in eodem Perſio eſt:

Vſque adeo ne;

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter.

Quod dixit etiam Caluus, *Factum eſſe ambitum omnes ſcitis, & vos hoc ſcire, omnes ſciunt.*

Continua diuerſarum vocum repetitio eſt apud Naſonem 15. metamorphoſeos:

Heu quantum ſcelus eſt, in viſcere viſcera condi,

Congeſtoque auidum pingueſcere corpore corpus.

Sic Homerus deſcribens hortos Alcinoi dixit.

(48) *Pirum ſub piro matureſcit, pomum ſub pomo,*

Sed ſub vua, vua, ac ficus ſub fico.

Notum etiam illud Heſiodi.

(49) *Et figulus odit figulum, & faber fabrum,*

Et Mendicus Mendico inuidet, & cantor cantori.

Diſiunctim verò, iterantur plures voces in dicto Scipionis Africani, dicentis; Numquam ſe minùs otioſum fuiſſe, quàm, quum otioſus, nec minùs ſolum, quàm quum ſolus. Geminum (45) *polyptoton* diſiunctum, præter coniunctum, habes, in hoc Martialis.

Vero verius ergo quid ſit audi:

Verum Gallice, non libenter audis.

Vtitur & Paulus hoc ſchemate ad Coloſſenſes. *Omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* Frequens huius (5) *Schematis* vſus eſt in bellorum deſcriptionibus, vt apud Statium in 8. Thebaides.

Iam Clypeus clypeis, vmbone repellitur vmbo,

Enſe minax enſis, pede pes, & cuſpide cuſpis.

Cicero, & Oratores parciùs iterant, & quàm coniuncto, diſiuncto potiùs gaudent (51) *polyptoto*, vt in prima Catalinaria. *Sed quur tandiu de vno hoſte loquimur, & de eo hoſte qui iam fate-*

ſateatur ſe eſſe hoſtem. Et pro lege Manilia. *Non modo à calamitate, ſed etiam à metu calamitatis defendenda eſt*. Poëtæ autem, & in primis Plautus, non tam ſtudent ſimplicitati, quàm oſtentationi, vt in Prologo Pſeudoli.

Suadete hodie mihi, bona in ſcenam adfero.
Nam bona bonis ferri reor æquom maxumè,
Vt mala malis, vt qui mali ſunt, habeant mala,
Qui boni bona: bonos quòd oderint mali,
Sunt mali: Malos quòd oderint boni, bonos
Eſſe oportet: voſque ideo eſtis boni, quandoquidem,
Semper odiſtis malos & lege, & legionibus:
Hos fugitaſtis, qui rite ſucceſſit bonis.
Huic vos nunc pariter bonam boni operam date gregi.
Qui bonus eſt hodie, ad bonos adfers bona.

Et in Amphytruone.

Optumè, optumo, optumam operam das, datam pulchrè locas.

Et in Epidico.

Pollicaar lubens, verum
Aliquid aliqua aliquomodò alicunde aliquibus aliqua
Tibi ſpes eſt fore mecum fortunam;

Idque repetijt Stratiphocles poſt duos tantum verſus. Eodem vtitur ſchemate Ioannes Picus Mirandulanus dum ait,

Nanque tua eſt noſtris maior clementia culpis,
Ea dare non dignis, res mage digna Deo.
Quamquam ſat digni, ſi quos dignetur amare,
Qui, quos non dignos inuenit, ipſe facit.

(1) ἀναφορά (2) ἐπιφορά (3) ἐπανάληψις (4) ἀναδίπλωσις (5) ἐπαναφορα (6) ἐπιϐολή (7) διπλωσις ἀναφορικὴ (8) παρίσωσις (9) Πῦμοι τὰ ῥόδα, πῦμοι τὰ ἴα, πῦμοι τὰ καλὰ σέλινα. πῦμοι ταδὶ τὰ ῥόδα πῦμοι ταδὶ τὰ ἴα, πῦμοι τὰ καλὰ σέλινα (10) Ἐπιφορά (11) ἐπιςροφὴ (12) ἀναςροφὴ καὶ (13) ἀντιςροφη (14) σχῆμα (11) επιςροφὴ (1) ἀναφορά (15) ἀναφοροῖς (16) ἐπιφοροῖς (17) Συμπλοχὴ (1) ἀναφορὰν; καὶ (2) ἐπιφορὰν (18) Ἐπανάληψις (19) ἐπαναδίπλωσις (20)

κώλυ

κώλου (4) ἀναδίπλωσις 21) ἐπαναςροφὴ (22) παλι-
λογία (23) πλοκαὶ (24) Ἐπίζευξη(4) ἀναδίπλωσις
(20) κώλου (14) σχῆμα (25) Πίστε πίστε τὸν Ἀνά-
ξαρχου θύλακον, Ἀναξαρχον δὲ οὐ πλήττεις 26 παρέν-
θεσις (23) παρεμβολή(2) ἐπίζευξις (20) μίμησις (30)
βαττολογία (31) Κλίμαξ (22) κλιμακωτὸν (33) ἐποι-
κοδόμησιν (34) ἐπιπλοκὴν (4) ἀναδίπλωσιν (31) κλί-
μακος (35) Ἐπάνοδος (36) ἐπειδὴ μὴ γίνετε τὰ πράγ-
ματα ὡς βουλόμεθα, δεῖ βούλεσθαι ὡς γίνετε (37) ἐπειδὴ
Ἀριςοτέλης οὐκ᾽ ἔλε, τὸν εὔριπον, εὔριπος ἐχέτω τὴν
Ἀριςοτέλην (38) τύχη τέχνην εὕρηκεν, ἡ τέχνη τύχην
(39) Δεῖ φιλεῖν ὡς μισήσοντας, δεῖ μισεῖν ὡς φιλήσοντας.
(40) ἢ Πλάτων φιλωνίζει, ἢ φίλων Πλατωνίζει. (41)
ταυτότης (41) ταυτότης (42) ἀναδίπλωσις (43) ἀναδί-
πλωσει (44) ταυτότητι 45 Πολύπτωτον (46) πόνος πό-
νῳ πόνον φέρει (47) οὐδεὶς οὐδενὸς οὐδὲν ἄχθει (48) ὄχνη
ἐπ᾽ ὄχνη γηράσκου, μῆλον δ᾽ ἐπὶ μήλῳ Αὐτὰρ ἐπὶ ςαφυ-
λῇ ςαφυλή, σῦκον δ᾽ ἐπὶ σύκῳ (49) Καὶ κέραμεὺς κερα-
μεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτον, καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθο-
νέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ (50) σχήματος (51) πολυπτώτου.

CAPVT TERTIVM.

De Schematibus ſimilitudinis vocum.

SEntiunt nonnulli rhetorum, familiam inter hæc ducere (1) *proſpieſim*, nempè alluſionem, quod etiam ſchema appellarunt (2) *paronomaſiam*; Verum ſi (3) *omioptoton*, hoc eſt ſimiliter cadens, & (4) *omioteleuton*, ideſt ſimiliter deſinens, pertineat ad

(5) *ſche-*

(5) *ſchemata* variata ſecundum qualitatem, ad eadem referri debet (6) *paranomaſia*, ſeu alluſio, quum vtrobique ſpectetur qualitatis ſimilitudo: æquè namque ſimilis eſt ſonus in hoc, quod dico: Inceptio eſt amentium, haud amantium, ac in illo: Perditiſſima ratio eſt, amorem perdere, pudorem fugere, diligere formam, negligere famam &c. vbi eſt (:) *omioptoton* Ideo cenſeo, agendum primo loco de (7) *paregmeno*, in quo attenditur ſimilitudo, non quidem accidentalis, & ſecundum qualitatem, ſed quodammodo eſſentialis, quæ neceſſariò ineſt ab ortu, & optimè ſubijcitur (8) *polyptoto*, de quo in calce præcedentis capitis actum, nam proximè abit ab illo; Quum enim dico: littora, littoribus: rumpitur, rumpatur: eamdem vſurpo vocem; nomen enim, aut verbum, variato caſu, haud alitèr differt, quàm Socrates ſtans à ſeipſo ſedente. At in (7) *paragmeno*, iungũtur primogeniũ, & deriuatum, vt auarus, auaritia, cuſtos cuſtodire, quæ ipſa (9) *eſſentiâ* ſimilia ſunt: ſed in (6) *paranomaſia*, & (10) *omioptoto*, eſt ſimilitudo, qualis foret Itali, & Hiſpani, caſu in lineamentis, figura, colore, conuenientium.

Paregmenon (11) ergo, nempe (11) *deriuatum* eſt, non ſolum, quando coniunguntur voces, quarum vna originem trahit ab altera, ſed etiam, quando illæ iunguntur, quæ ab eodem fonte deriuantur; Vna quidem deriuatur ab altera, vt Pinſo, & piſtor, memor, & memoria, pius & pietas: ambò verò ab altera, vt piſtor, & piſtrinum; memoria & immemor; pietas, & piare. Hoc ſchemate vſus eſt Homerus, quum ait (12) *Mater mea mala mater, immitem habens animum*, & Iulianus Apoſtata apud Sozomenum, quum dixit, (13) *Legi, intellexi, damnaui*; Cui ſapienter reſpondit Baſilius: (14) *Legiſti, ſed non intellexiſti; ſi enim intellexiſſes, non damnaſſes*. Sic inter Latinos, Actius: Is demum miſer eſt, cuius nobilitas miſerias nobilitat. Et Boetius. *In omni aduerſitate fortunæ, infœliciſſimum genus infortunij eſt, fuiſſe felicem*. Sic Lucillius:

Quem ſumptum facis in luſtris, circum oppida luſtrans.

Sic Varro:

Nec piſtorem vllum noſſent, niſi eum, qui in piſtrino pinſeret farinam.

Sic Maro:

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis

Et *Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent*

Tecti auro, fuluum mandent ſub dentibus aurum.

Sic

Sic Naſo:

Pieridum ſtudio ſtudioſe teneris
Ingenioque faues ingenioſe meo.

Sic Plautus in prologo Amphytruonis:

Iuſtam rem, & facilem eſſe oratum à vobis volo
Nam iuſtè à iuſtis iuſtus ſum orator datus;
Nam iniuſta ab iuſtis impetrari, non decet,
Iuſta autem ab iniuſtis petere inſipientiaſt.

Et in Aſinaria

Metuo in commune, ne quam fraudem frauſus ſiet.

Et ibidem

Piem pietatem iſto more moratam.

Et in Captiuis

Ita hic me amœnitate amœna amœnus onerat dies.

Et in Caſina:

Nunc amici an ne inimici ſis imago.

Alia ſunt in eodem, & quidem pleraque duriora, & affectata, vt eſt etiam iſtud Ennij:

Stultuſt qui cupida cupiens, cupienter cupit,

vbi triplex eſt (11) *paregmenon*, nempe cupit, & cupidus, cupidus, & cupiens, cupiens & cupienter. Oratores parciùs vtuntur hoc ſchemate, vtuntur nihilominùs, vt Tullius pro Roſcio Amerino. *Etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur.* Idem in 2. Philippica: *Non tractabo vt Conſulem, ne ille quidem me vt Conſularem etſi ille nullo modo Conſul, vel quod ita viuit, vel quod ita Remp. gerit, vel quod ita factus eſt Conſul ego ſine vlla controuerſia Conſularis.* Auguſtinus etiam. *Quid eo pelago vult mergi Pelagius, vnde per petram liberatus eſt Petrus?*

Non defuere Rhetores, qui Atticiſmum etiam dicerent eſſe ſchema ſubiectum (15) *paregmeno*, quod dicunt, vel iungere nomen actionis cum verbo, vt iurare, & iuſiurandum, aut furere cum furore: vel iungere epitheton cum nomine ex eo deducto, vt apud Plautum *Certè ædepol equidem te ciuem ſine omni mala malitia ſemper ſum arbitratus, & nunc arbitror.* Verum hec referri debent ad ſchema (16) *paregmeni*. Atticiſmus verò ex ſua natura non eſt ſchema, ſed dialectus, quo (17) *meneleos* aut (18) *Poleos* aliaque Atticè dicuntur. Et iſta de ſchematibus figurantibus orationem ſecundum naturam, & eſſentiam.

(1) προσποίησιν (2) παρανομασίαν (3) ὁμοιόπτωτον (4) ὁμοιοτελεύτον (5) σχήματα (6) παρανομασία (7) παρηγμένῳ (8) πολυπτώτῳ (9) ὁσία (10) ὁμοιοπτώτῳ (11) παρηγμένον (12) Μῆτερ ἐμὴ δύσμητερ, ἀπήνεα θημὸν ἔχουσα (13) ἀνέγνων ἔγνων κατέγνων (14) ἀνέγνως ἀλλ' οὐκ ἔγνως, εἰ γὰρ ἔγνως, οὐκ ἂν κατέγνως (15) παρηγμένῳ (16) παρηγμένου (17) Μενέλεως (18) πόλεως.

CAPVT QVARTVM.

De Schematibus figurantibus ſecundum quantitatem.

POſt *naturam*, & *ſubſtantiam* rei ſequitur quantitas, quæ illam proximè attingit. In his ergo, quæ orationem figurant ſecundum quantitatem, familiam ducunt (1) *iſocolon*, & (3) *pariſon*; (2) *Iſocolon* erit, quando vtimur paribus, ſed non pugnantibus (4) *membris*; ſi enim (5) *membra* pugnarent, dicerentur antitheta. Quod ſi neque pugnent, neque ſint omnia paria, ſed vnum excedat alterum; ſiue in dictionibus, ſiue in ſyllabis, dicetur (6) *megalocolon*. Scio, quoſdam dicere: pariſon eſſe, quum ſyllabæ ſimiliter deſinunt; quod vt non negauerim, placuit tamen Iulij Cæſaris Scaligeri in 3. de re poëtica ſententiam ſequi. Exemplum ſit illud Auſonij:

Parcite dum propero, mergite dum redeo,

vel illud Ouidij ad Helenam,

O Ioue digna viro, ni Ioue nata fores:

aut alterum eiuſdem:

Semibouemque virum, ſemiuirumque bouem;

quod certè venuſtius eſt, quàm illud

(7) *Equus ructabat hominem, homo autem cacabat equum.* Quæ ad (2) *iſocolon* pertinent; (3) *Ad pariſon* verò quattuor illi pentametri, quos Virgilius ſubiecit hexametro:

Hos ego verſiculos feci, tulit alter honores.
Sic vos non vobis mellificatis apes:
Sic vos non vobis, nidificatis aues.

Sic vos non vobis, vellera fertis oues:
Sic vos non vobis, fertis aratra boues.

Secundum quantitatem etiam figurat (8) *hendiadyo*, ſeu (9) *hendiadyin*, quod barbarè dicitur ab aliquibus hendiadys, quod ſchema accidit, quum vna res in duo diuiditur: nec oportet addere, metri cauſa, alioquin eo vti non poſſent oratores, quod tamen falſum eſt, quum eo vſus fuerit Cicero libro j Epiſtolarum ad familiares epiſtola 7. ad Lentulum dicens *Hæc profectò vides quantò illuſtriora, quantòque expreſſiora futura ſint, quum aliquantulum ex Prouincia, atque ex imperio laudis acceſſerit*, ideſt ex Prouinciæ imperio. Sunt id genus alia apud oratores; verum tamen eſt, hoc ſchema familiariùs eſſe poëtis. Sic eo vtitur Perſius:

fibris ouium ergennaque iubente,

nempe iubente Ergenna, ex inſpectione fibrarum. Sic Horatius

Qui non moderabitur iræ.
Infectum volet eſſe, dolor, quod ſuaſerit, & mens.,

ideſt dolor mentis. Sic Maro hoc ſchemate rem auget dicens:

Molemque, & montes altos
Impoſuit,

ideſt molem altorum montium: Et quum *canerem Reges & prælia*, pro Regum prælia.

[10] *Tmeſis*, ſiue [11] *diacope*, & [12] *diareſis*, vel [13] *dialyſis*, apud Latinos idem valet, ac ſectio, vel diuiſio, aut intercißio, eſt autem ſchema, quo vna vox, per quippiam interiectum, diuiditur, vt apud Tullium pro Marcello: *Me certè in omnibus rebus ſatis noſtræque coniunctioni, amorique facturum*, pro, ſatisfacturum. Idem pro Sextio: *Quod iudicium cumque ſibi erat*, pro, quodcumque. Varro de re ruſtica *Arebos facias*, pro, *areſacias*. Crebior huius ſchematis vſus eſt apud poëtas; in primis id vſurpat Lucilius, vt meritò Auſonius dixerit:

Reſciſſo diſce componere nomine verſum,
Lucilij vatis ſic imitator eris.

Sic Plautus in Amphitruone:

Quid ego feci, qua iſthæc propter verba dicantur mihi.

Sic Terentius:

Thais maximo te orabat opere:

Sic Lucretius:

Quod numquam ſine perniciali diſſidio potis eſt ſeiungi, ſeque gregari.

Sic Maro *ſeptemque triones*. Et idem:

Et multum nebula circum
Dea fudit amictu,

pro circumfudit. Sic Horatius:

Quem fors dierum cumque dabit.

Sic Martialis

Argique letum multus obſidet ſutor.

Auſonius:

Villa Lucani mox potieris âca

Pro Lucanica, ſed hæc diæreſis durior eſt, vt & illa Ennij

Telo transfigit corpus ſaxo, cere comminuit brum:

& illa Sempronij Gracchi apud Calpurnium:

Perfractè oblatam ſtultum eſt medi ſpernere cinam.

[14] *Diæreſi* opponitur [15] *ſynthеſis*, ſeu [16] *ſymplocos*, quod ſchema accidit, quum ex duobus, aut pluribus verbis, fit vnum præter, vulgi morem, vt eſt *Incuruiceruicumpecus*: Et hoc ſchema Græcis familiarius eſt, quam Latinis: apud hos tamen eſt *ſemperflorens*, aut *ſemperfurens*, vel *ſempercruentus*. Sic Seneca *ſemperalienumiouem*, & Maro, Auguſtum dicit *ſemperdeum*, vt Iſis fuit dicta *Iamdea*, vel *nuncdea*, aut *Iamnumen* Et ſic de alijs.

(1) ὕσιαν (2) ἰσόκωλον καὶ (3) πάρισον (4) κῶλον. (5) κῶλα (6) μεγαλόκωλον (7) ἵππος ἐρεύγετε ἄνδρα, ἀνὴρ δ᾽ ἀποπέρδετε ἵππον (8) Ἔνδια δύο (9) ἓν διὰ δυοῖν (10) Τμῆσις (11) διακοπὴ (12) διαίρεσις (13) διάλυσις (14) διαίρεσι (15) σύνθεσις (16) συμπλοκή.

CAPVT QVINTVM.

De Schematibus orationem figurantibus ſecundum qualitatem.

TAlia ſunt, in quibus inuenitur ſimilitudo, vel par orationis flexus, cuiuſmodi appellantur [1] *paronomaſia*, [2] *omiocatalecton*, [3] *pariſon*, & [4] *parechеſis*. [1] *Paronomaſia* autem à Lati-

Latinis dicitur Annominatio, vel Alliteratio, quæ aliam reddit ſententiam, vnius, aut plurium elementorum immutatione, adiectione, detractione, aut tranſpoſitione. Adiectione contingit apud Hyppocratem in vocibus [5] *ora, & chora*, quarum prima, anni ſignificat tempeſtatem, altera, loci ingenium. Sic Timæus ob maledicentiam dictus fuit [6] *epitimeos*, nam [7] *epitiman* Græcis eſt, repræhendere. Idem eſt in illis Sybillinis: [8] *Erit & Samos arena, erit Delus ignota, & Roma vicus*, ſed Latinè non apparet ſchema, quod eſt in verbis Grecis [9] *Samos, ammos*, [10] *Delos adelos*, [11] *Rome ryme*, vbi eſt detractio cum immutatione. Terentius:

ſibi erunt parata verba, huic homini verbera.

Sic Tullius:

Video me à te non conueniri, ſed circumueniri.

Sic Martialis:

Vigilare leue eſt, peruigilare graue.

vbi eſt etiam [12] *paregmenon*, vt & in hoc Statij:

Venies chariſſima coniux, præueniesque etiam.

[13] *Simplex* autem adiectio eſt in illo Auſonij

Poſſes ornatus, poſſes oneratus haberi;

& in eodem eſt Faſtorum, & faſtidiorum. Et in Apuleio: *vbi vber, ibi Tuber*. Simplex etiam adiectio fuerit, ſi eos, qui in alienas commigrant terras, vt ibi habitent, dicas, eos mutare, [14] *topon non tropon*, nempe locum, non morem, Cœlum, non animum, & tantùm ſolum, non mentem paſſionibus mancipatam.

Detractione vero [1] *paranomaſia* eſt in illo Plauti Bacchid.

Magis illectum tuum, quam lectum metuo;

& in illo Ciceronis *Res mihi inuiſæ viſæ ſunt Brute*. Martialis quoque luſit in vocibus: Sabellus, & bellus, & Claudianus de ſene, qui nunquam fuerat egreſſus è villa, ait:

Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

In veteri quodam lapide concurrit cum [15] *Polyptoto*, nam dicitur:

Hoſpes quod dico paullum eſt, adſta, ac pellege:
Heic eſt ſepulchrum, haud pulchrum, pulchrai fœminai.

Tranſpoſitione etiam eſt in veteri Grçco epigrammate, ratione vocum [16] *chile, & lichi*, quarum prima labia, ſecunda lingit,

git, ſignificat. Et apud Senecam fit etiam cum detractione, vt *minimum decet liberè, cui nimium licet*. Et apud Ciceronem libro 1. epiſtolarum ad Atticum 10. *Conſul autem ipſe parno animo, & prauo, facie magis, quàm facetijs ridiculus*. Et hæc [1] *paranomaſia*, quæ fit litterarum traiectione, appellatur etiam [17] *anagrammatiſmus*, vel [18] *metatheſis*, aut [19] *hypertheſis*.

Fit etiam [ ]*paranomaſia* immutatione, vt quum Antiochum cognomento [20] *Epiphanem*, nempè illuſtrem, appellabant [21] *epimanemt* hoc eſt, furioſum: aut, quum [22] *Democritum*: dicebant [23] *Lirocritum*: quaſi nugarum venditorē. Sic Cato Fuluium Nobiliorem, appellabat Mobiliorem. Sic Claudius Tiberius Nero, quia merum calidâ mixtum affatim bibebat; dictus fuit Caldius Biberius Mero. Sic *Iulianus* Apoſtata, quòd Chriſtianorum templa euerteret, Gentilium reſtitueret, dictus eſt *Idolianus*. Et hæ vocum mutationes dicuntur (24) *ſcommata paragramma*, vel (25) *parapepiemena*. Eſt etiam huiuſmodi ſchema in vſu ſacræ ſcripturæ, cuius multa adferre poſſem exempla, quæ paſſim ſunt obuia, illud tantum ſufficiat, quòd quum Deus Accaronitarum, ab Accaronitis appellaretur *Baalzabachim*, quaſi diceres, Deus immolationum, ſeu victimarum, ab Hebræis dicebatur *Beelzebub* nempe Deus muſca.

Sunt & alia apud authores huius ſchematis exempla, vt apud Herodotum eſt *pathemata*, [26] *mathemata*, ideſt quæ nocent, docent. Apud Ariſtophanem [27] *tamias*, nempe promicondus, ſeu diſpenſator, aut œconomus, appellatus fuit [28] *lamias*, quia ſicut lamiæ, ſeu ſtriges ſanguinem ſugunt, ſic ille pecuniam. Plautus ait: *Multa ego poſſum docta dicta, & quamuis facundè loqui*. Et iterum

Malim iſtius modi mihi amicos furno, quam merſos foro,

ideſt, obrutos ære alieno, quandoquidem trapezitæ in foro forent: Et alibi

Hoccine eſt amare? arare mauelim, quam ſic amare.

Sic Martialis:

Artemidorus amat, Calliodorus arat.

Sic Auſonius:

Cui felle multo, & melle multo mens madens.

Liuius Druſus dicebat: *Nihil ſe ad largitionem vlli reliquiſſe, niſi ſi quis aut Cælum diuidere vellet, aut cœnum*. Cicero pro Roſcio Amerino *Terret etiam nos, ac minatur tribus prædijs*, hoc eſt, præ-

mijs,

mijs. Et Philippica 3. *En quur magiſter eius ex oratore arator factus ſit*. Liuius libro 22. *Itaque plebiſcitum, quo oneratus magis ſum quam ornatus, primus antiquo, abrogoque*. Sic Martialis:

Sed dum ludit aper, lædere nouit aper.

Caracalla de Geta fratre ſuo, à ſe occiſo, quem Aſtrologi Diuū nempe Imperatorem futurum, prædixarant, inquit,

Sit Diuus, dummodo non ſit viuus.

Auſonius:

Orta ſalo, ſuſcepta ſolo, patre edita Cœlo,
Æneadum genitrix, hic habito alma Venus

Idem

Optabam vt placeam, ſin minus, vt taceam

Idem.

Siue legat quæ dabo, ſiue tegat.

Oroſius *Lex imperat, fides impetrat*.

(29) *Paronomaſiæ* etiam ſpeciem faciunt illud [28] *pariſon*, quò idem vſurpatur verbum, variatum præpoſitionibus, aut ſyllabis appoſitis, ſeu demptis, aut mutatâ ſignificatione, vel quantitate. Sic Tullius ad familiares libro 2. epiſtolâ 9. *Tu verò, vt me, & appelles, & interpelles, & obloquare, & colloquare velim*, Et pro Roſcio Amœrino *T. Roſcius non paullum neſcioquid in rem ſuam conuertit, ſed hanc funditus euertit bonis*. Sic dictum eſt *Auium dulcedinem ad auium ducere*, vbi quantitas tantum mutatur; Vnde Virgilius 2. Georgicorum

Auia tum reſonant auibus virgulta canoris.

Sic Plautus

Edepol ne ille oblongis malis, dedit mihi magnum malum

Cicero ad Atticum: *Fuerunt Iudices, quos fames magis, quam fama commouerit*. Sic tandem *Iucundum eſt amari, ſi curetur ne quid inſit amari*.

(31) *Omiocatalipton* dicitur, quum voces ſimilitèr deſinunt, quod ſchema vocatur etiam [32] *Gorgion*, vel [33] *Gorgiaon* propter Gorgiam Leontinum, qui ipſum frequentauit, & [34] *antitheta*, & [35] *iſochola* & [36] *pariſa*, quorum nouitate, tantopere delectabantur eius orationibus auditores, vt dies, quibus ille orationem aliquam habiturus eſſet, [37] *feſti* haberentur, & orationes dicerentur [38] *lampades*, ipſique aurea, ſeu deaurata ſtatua, Delphis conſtituta fuerit. [39] *Omiocatalecti* ergo ſpecies ſunt, [40] *omioptoton* & [41] *omiotelenton* hoc eſt [40] *ſimiliter cadens*,

dens, & [41] *ſimiliter deſinens*: quas quidam dicunt eſſe idem ſchema, eo quòd in dictione idem ſit [42] *ptoſis*, nempè caſus, & [4] *teleuti*, hoc eſt, exitus; Sed poteſt eſſe idem caſus, cum diſſimili terminatione, vt, Pollet authoritate, circumfluit opibus, abundat amicis. Et poteſt eſſe ſimilis exitus, in diſſimilibus caſibus, vt non eguiſti calcare, ex quo cepiſti virtutem amare: vnde in primo erit tantum [40] *omioptoton*, in ſecundo verò dumtaxat [41] *omioteleuton*. Quando verò fuerint ijdem caſus cum conſimili etiam exitu, tunc erit ſimul [40] *omioptoton*, & [41] *omioteleuton* qualis eſt in illa Laberij

Non mammoſa, non annoſa, non biloſa.

Et in illo Ennij apud Tullium in Tuſculanis

Hæc omnia vidi inflammari,
Priami vi vitam euitari,
Iouis aram ſanguine turpari.

Hoc ſchemate maximè gaudet Auguſtinus illius enim eſt hoc exemplum. *Tot conuicta miraculis, perſiſtebat impietas: tot vexata ſupplicijs, non cedebat infirmitas, agnoſcatur ergo operata Diuinitas.* Et alia innumera ſunt apud ipſum, vt apud Ambroſium, & alios ex noſtratibus. Quamuis autem, quando concurrit vtrumque ſchema, vulgò appelletur (41) *ſimiliter deſinens*, melius tamen nomine generis dicetur (31) *Omiocatalecton*, quò vtrumque comprehendatur, nempe tam [41] *ſimiliter deſinens*, quàm [41] *ſimiliter cadens*.

(44) *Parechesis* accidit, quum vna, ſiue plures ſyllabæ [45] *vocis antecedentis*, vel contiguè, vel exiguo poſt interuallo, repetuntur in alia voce, ſiue ſeruetur quantitas, ſiue mutetur. Exemplum ſubminiſtrat Plautus.

Perire me malis malim modis.

Et etiam Ennius.

Sed mage ferrorem repetunt, Regnumque petunt,

Sic Auguſtinus libro 1. contra Iulianum, qui Auguſtinum appellauerat tractatorem Pœnum, inquit: *Magna tibi eſt pœna, diſputator hic Pœnus.* Sic Parmenio Macedo libro 1. Antologiæ ſic loquitur. [46] *Cimices vſque ad ſatietatem ſatiati ſunt me, ſed ego ſatiatus ſum vſque ad ſatietatem cimices extimicans*, ideſt, occidens.

Supereſt ad qualitatem pertinens abſque vocum ſimilitudine, ſchema appellatum [47] *herotesis* quod etiam dicitur [48] *penitus*

peutis, & [49] *pyſma*, à Latinis autem nominatur Interrogatio, cui vt plurimùm ſubijcitur reſponſio, ſed tunc tantùm eſt ſchema, quum licitum eſt rectâ oratione vti, quam tamen inflectimus ad illi vires, atque aculeos ſubminiſtrandos; Talis eſt apud Ciceronem. *Quouſque tandem abutêre patientiâ noſtrâ Catilina?* Et apud eundem. *Patere conſilia tua non ſentis?* Sic Ouidius apud Quintilianum:

Seruare potui, perdere an poſſim rogas?

Quando verò interrogatio procedit modo naturali, vt,

Dic mihi Dameta, cuium pecus, an Melibai.

Vel.

Quo te Meri pedes?

Aut,

Qui genus; vnde domo? pacem ne adfertis, an arma?

Schema non eſt. Schema iſtud vſurpari ſolet in rebus manifeſtis, & confirmatis; tunc enim maximam habet vim ad probandum, ſiquidem iudicant auditores, numquam Oratorem eo vſurum fuiſſe, niſi res foret manifeſtiſſima. Cauendum tamen, ne eo, aut aliquo ex ſuperioribus, immodicè vtamur, alioquin faſtidium generaret, & fidei admodum obeſſet.

1 ϖαρονομασία 2 ὁμοιοκατάληκτον 3 ϖάρισον καὶ 4 ϖαρήχησις 5 ὄρα καὶ χώρα 6 ἐπιτίμαιος 7 ἐπιτιμᾶν 8 ἔσται καὶ Σάμος ἄμμος, ἔσεται Δῆλος ἄδηλος, καὶ Ῥώμη ῥύμη 9 Σάμος ἄμμος 10 Δῆλος ἄδηλος 11 Ῥώμη ῥύμη 12 ϖαρηγμένον 13 ἁϖλῆ 14 τόϖον οὐ τρόϖον 15 ϖολυϖτώτῳ 16 χείλη καὶ λείχει 17 ἀναγραμματισμὸς 18 μετάθεσις 19 ὑϖέρθεσις 20 Ἐϖιφανῆν 21 Ἐϖιμανῆν 22 Δημόκριτον 23 Λιρόκριτον 24 σκώμματα ϖαράγραμμα 25 ϖαραϖεϖοιημένα 26 ϖαθήματα μαθήματα 27 ταμίας 28 λαμίας 29 ϖαρονομασίας 30 ϖάρισον 31 ὁμοιοκατάληκτον 32 γοργίον. γοργεῖον 33 γοργίαιον 34 ἀντίθετα καὶ 35 ἰσόκωλα, καὶ 36 ϖάρισα 37 ἑορταὶ 38 λαμϖάδες

πάδες 39 ὁμοιοκαταλὴκτου 40 ὁμοιόπτωτον, καὶ 41 ὁμοιοτέλευτον 42 πτῶσις 43 τελευτὴ 44 Παρήχησις 45 ἀντολογίας 46 Οἵ κόρις ἄκρι, κόρου κορέσαντο μοῦ ἀλλ' ἐκορεσυν Ἄκρι κόρου καυτὸς ουκ' κόρις ἐνκορίσας 47 ἐρώτησις 48 πεῦσις καὶ 49 πύσμα.

CAPVT SEXTVM.

De ſchematibus figurantibus orationem ſecundùm ſitum.

POſſunt & verba diuerſimodè diſponi, & alium, atque alium occupare locum, aut ſitum, vnde diuerſa exurgat orationis venuſtas, ſeu pulchritudo. Quæ verò orationem ſecundùm ſitum figurant, ſunt [1] *Hyperbaton*, [2] *epembole*, [3] *parentheſis*, atque [4] *Zeugma*. [1] *Hyperbaton* autem eſt verbi tranſgreſſio, & contingit, quum ad claudendam ſententiam longiorem, verbum ad calcem vſque differimus. Sic fecit Maro 12. Æneidos vbi, quum ſententiam inchoaſſet. *Interea Reges*, hemiſtichium, & totos ſequentes ſeptem verſûs interſerit, priùſquam ſubiungat: *procedunt caſtris* dicens.

Interea Reges (Ingenti moles Latinus.
Quadriiugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis ſex radij, fulgentia cingunt
Solis aui ſpecimen. Bigis it Turnus in albis
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Hinc pater Æneas Romanæ ſtirpis origo
Sidereo flagrans clypeo, & Cæleſtibus armis
Et iuxta Aſcanius, magnæ ſpes altera Romæ)
Procedunt caſtris. Longius eſt illud Horatij.
O Diua gratum, quæ regis Antium.
Præſens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel ſuperbos
Vertere funeribus triumphos:

Poſtin-

Poſt inde alias ſeptem ſubiungit ſtrophas, ac tandem verbum apponit, quod ſententiam regit.

Serues iturum Cæſarem in vltimos.
Orbis Britannos.

[2] *Epembole*, quam alij appellant [5] *Metaxilogiam*, & [6] *hypoſtrophem*, &. [7] *Cataplochen*, & [8] *parembolem* accidit, quum in orationis medio inſeritur rei cauſa, vel circumſtantia. Vt, quum Cicero pro Marcello ait: *Diuturni ſilentij, Patres Conſcripti, quo eram his temporibus vſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim verecundiâ, finem hodiernus dies attulit*. Hoc enim venuſtius fuit, quàm ſi dixiſſet: Finem hodiernus dies attulit diuturni ſilentij, quo eram his temporibus vſus. Poterat etiam Virgilius 1. Æneidos dicere.

Hunc lætum Tyrijſque diem, Troiâque profectis
Iuppiter eſſe velis; nam te dare iura loquuntur
Hoſpitibus.

Sed prætulit.

Iuppiter, hoſpitibus; nam te dare iura loquuntur,
Hunc lætum Tyrijſque diem, Troiâque profectis,
Eſſe velis.

Poterat etiam ibidem dicere.

Æneas rapidum ad naues præmiſit Achatem,
Namque haud paſſus amor patrius conſiſtere mentem:

Sed dicere potiùs elegit;

Æneas, neque enim patrius conſiſtere mentem
Paſſus amor, rapidum ad naues præmiſit Achatem.

[3] *Parentheſis* eſt, quum in Orationis medio interponitur aliquid, totâ materiâ alienum; vt eſt apud Maronem Georgicorum 3.

Ipſique ſuos iam morte ſub ægra
(Di meliora pijs, erroremque hoſtibus illum)
Diſciſſos audis laniabat dentibus artus.

Et idem Ecloga 1.

Namque, (fatebor enim,) dum me Galathea tenebat.

Inuenitur paſſim apud authores, tàm ſacros, quàm prophanos. Vtrumque autem hoc ſchema nempe [2] *Parembole* & [3] *parentheſis*, ſi longiùs protrahatur, ſententiam nedum obrumpit, ſed diſtrahit, ideoque Orationem reddit obſcuram. Vnde conſultum fuerit, raró, & breuibus his ſchematibus vti.

[9] *Synanteſis*, & [4] *Zeugma*, nempè occaſio, & iugatio; conueniunt in materia, quia ambo certo quodam ordine Orationis partes diſponunt, itaut aliquæ aliquibus reddantur: differunt tamen in forma, quia [10] *in ſynanteſi* redditio incipit à poſteriori & deſinit in priori, [11] *in Zeugmate* verò è contra. Exemplum [10] *Synanteſis* eſt apud Virgilium Ecloga 7.

Compulerantque greges, Corydon & Tyrſis in vnum.
Tyrſis oues, Corydon diſtentas lacte capellas.

Exemplum verò [11] *Zeugmatos* habetur Æneidos 2.

Diuellimur inde
Iphitus, & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo
Iam grauior, Pelias & vulnere tardus Vlyſſei.

Sic Ouidius 3.Triſtium Elegia 4.

Illa meos caſûs ingrauat, illa leuat.
Ingrauat hoc, quod abeſt, leuat hoc, quod præſtat amorem.

Sic paſſim apud alios. Et hæc [12] *de ſchematibus verborum*.

(1) ὑπερβατὸν (2) ἐπεμβολὴ (3) παρένθεσις καὶ (4) ζεῦγμα (5) μεταξιλογίαν (6) ὑπὸςροφην (7) καταπλοχὴν (8) παρεμβολὴν (9) Συνάντησις (4) ζεῦγπα (10) ἐν συναντήσου (11) ἐν ζεῦγματος (12) κατὰ σχήματος λέξεως.

CAPVT SEPTIMVM.

Do ſchematibus ſententiarum, quæ plus dicunt.

Schemata [1] *ſententiarum*, non in verbis, verum in rebus ipſis ſuam inueniunt dignitatem, & vt monuimus, in hoc [2] *à ſchematibus verborum* differunt, quia quibuslibet vtamur verbis, inuariata, & inconcuſſa permanent, dummodo eadem perſeueret ſententia. Talium, verò ſchematum, quædam ſunt, quæ plus, quædam, quæ minus, alia, quæ æqua dicunt. De quibus nunc eſt agendum.

Inter

Inter ea, quo plus dicunt, in primis occurrit [3] *auxeſis*; non illa quidem, quâ gradibus quibuſdam peruenimus ad ſummum, alioquin non differret ab incremento, de quo in ſequentibus eſt agendum; ſed illa, quâ rem ſupra veritatem extollimus, itâ tamen, vt fidei limites non excedamus, in quo differt auxeſis ab [4] *hyperbole*. Iſta autem [3] *auxeſis* poteſt eſſe troporum affectio; vnde [5] *metaphora auxetica* erit, ſi quempiam leuitèr adhortantem alium ad ſcelus, dicas, illum ad ſcelus inflammaſſe. Quod ſi aliquem integræ vitæ, ſceleriſque purum, appelles ſanctum, erit [5] *metonimia auxetica*, ſiquidem, quum ſancire (vnde deriuatum eſt ſanctus) ſit reddere aliquem inuiolabilem, idem erit ſanctus, ac inuiolabilis: innocentiam autem vitæ, decet inuiolabilem, & ab iniuria tutam eſſe. Quapropter etiam ſi quiſpiam in fortuitis, aut naturalibus deficiat, dummodo vitæ ſeruet integritatem, ſanctus poterit dici, & propterea inuiolabilis erit. [7] *Synecdoche* autem *auxetica* erit, quum dicimus ſacerrimum pro improbo, ac nefario; ſacrum enim propriè idem erat, ac Deo dicatum, vnde illi tantum improbi, ſacri dicebantur, quorum capita, ex legum præſcripto, Ioui, aut Dijs manibus, ob patrata ſcelera deuota, ac dicata erant, talitèr vt, cuicumque liceret ea impunè auferre, eoſque è viuis tollere. Conuenit autem [8] *auxeſis* accuſanti ad crimen exaggerandum; patroni verò erit, eam reprehendere, & ad viuum
„ omninò reſecare, vt fecit Tullius pro M. Celio, quum ait. Si
„ quæ mulier non nupta, domum ſuam patefecerit omnium
„ cupiditati, palamque ſeſe in meretricia vita collocauerit; vi-
„ rorum alieniſſimorum conuiuijs vti inſtituerit: Si hoc in Vr-
„ be, ſi in hortis, ſi in Baiarum illa celebritate faciet: ſi deni-
„ que ita ſe geret, non inceſſu ſolùm, ſed ornatu, atque comita-
„ tu, non fragrantia oculorum, non libertate ſermonis, ſed
„ etiam complexu, oſculatione, aquis, nauigatione, conui-
„ uijs, vt non ſolùm meretrix, ſed etiam procax videatur: cum
„ hac ſi quis adoleſcens forte fuerit, vtrum hic tibi L. Herenni,
„ adulter, an amator? expugnare pudicitiam, an explere libi-
„ dinem voluiſſe videatur?

Aliud ſchema plus dicens, eſt [8] *parecbaſis*, ſeu [9] *diexodos*, vel [10] *ecbole*, aut [11] *Ecbaſis*, quod à Latinis appellatur digreſſio, vel ſimpliciter, vel ſaltem à propoſito-

dicitur

dicitur etiam egreſſio, vel exceſſus; De hoc autem ſchemate immeritò, dubitat Fabius, num ab aliorum conſortio ſit amouendum, propterea quod non videatur pars cauſæ. Hoc tamen nihil eſt, nam, quum non habeat certum locum in Oratione, & plerùmque non ad rem explicandam, ſed ad rem expoliendam, ornandamque aſſumatur, non eſt, quur è ſchematum numero arceatur.

Fit verò digreſſio, quum aliquid additur præter propoſitum, itaut a noſtro excedamus inſtituto, vnde definitur, quòd ſit Alienæ rei, ſed ad cauſæ vtilitatem pertinentis, extra ordinem percurrens tractatio, vt apud Ciceronem pro Roſcio Amærino, eſt digreſſio de L. Sylla: & idem pro M. Cælio, digreditur in mortem Metelli, & pro L. Cornelio, adeſt parecbaſis de laudibus Pompei.

Quemadmodum autem errant, qui omnem omninò digreſſionem refugiunt, in qua auditoris animus paullulùm conquieſcat, & reficiatur, maximè poſtquam rebus aſperioribus, aut ſubtilioribus diſputationibus fuerit laſſatus; Ita quoque illi falluntur, qui prolixis adeò vtuntur, vt, quæ dicta fuerant, è memoria elabi ſinant, vt eſt narratio de Pſyche in metamorphoſi Lucij Apulæi; Fugiendę ergo illæ digreſſiones, quæ (11) *nihil ad rem*, vt ſi in leuioribus cauſis, antiquæ adferantur hiſtoriæ, quæ (12) *nihil ad rem* facerent, Quem morem ironicè taxat Lucianus dicens *Si de contumelioſo aliquo, aut mœcho ſis Athenis dicturus, ea, quæ in India, vel Ecbatanis fiunt, refer: in omnibus vero ſit Marathona, & Cinegyrus, ſine quibus nihil fiat: ſemper etiam nauigetur Athos, & Helleſpontùs pedibus tranſeatur, & ſol Perſarum ſagittis inumbretur.* Hinc Martialis

Non de vi, nec de cæde, nec veneno,
Sed lis eſt mihi de tribus capellis,
Vicini queror has abeſſe furto;
Hoc iudex ſibi poſtulat probari:
Tu Cannas, Mitridaticumque bellum,
Et periuria Punici furoris,
Et Syllas, Marioſque, Mutioſque
Magna voce ſonas, manuque tota:
Iam dic Poſthume de tribus capellis.

Decet etiam breuiorem eſſe initio, aut fine orationis, quàm in medio, vbi curandum, ne ſit prolixa. Quòd ſi neceſſe fuerit

eâ

eâ vti longiuſculâ, conueniet aliquo vti remedio, quo ad illam via præmuniatur, Ciceronis exemplo digredientis in laudes Scipionis Africani, & deſcribentis Proſerpinæ raptum in Verrinis. Poëtæ tamen paſsim longioribus vtuntur, adeò vt, aliquando ad inſtitutum non reuertantur ſermonem. Cuius diſparilitatis ratio in mundo eſt, quia oratoris eſt docere, ideoque, ſi aliquando relaxandi animi cauſa, digrediatur, ſtatim ad propoſitum regredi debet, quum intelligit auditorem iam delectatione perfuſum, & alacrem redditum: Poëtę autem vix aliud ſpectant, quàm delectationem, & propterea multotiès omittunt [13] *regreſſum*, vt videri poteſt in Virgilio, digrediente in tertio Georgicorum, ex ſolis Eclypſi, ad mortem Cæſaris; & ea librum terminante. Regrediendi verò non inuenuſta forma eſt apud Plaütum, nempe, *Sed hoc agamus*. Talis eſt apud Cornelium Nepotem: *Sed illuc reuertor*. Simplicior eſt illa; *Verum, vt cæpi dicere*: Ea ambitioſior; *Non obtundam diutius*. Tacitus libro 2. hiſtor, ſic reuertitur: *Sed me, veterum, nouorumque morum reputatio, longiùs tulit, nunc ad rerum ordinem venio*. Illud hic addendum, excurſionem valere, nedum ad oblectandum auditorem, & ad rem amplificandam, ornandamque, verum etiam ad auditorum animos à nimia criminis conſideratione auertendos, tunc, quàndo attentio eſt minuenda. Et etiam, quòd tunc egrediamur, quando occaſio ſeſe obtulerit, ne egreſsio fiat violentè.

(14) *Metabaſis* à Latinis appellatur Tranſitio, quam Quintilianus etiam negat eſſe ſchema. Fit autem, quum breuiter monemus quid dictum ſit, quidue dicendum ſuperſit; non quòd in omni [15] *tranſitione* debeat vtraque pars interuenire, nam ſufficit ſi adſit tantum vna. In (15) *tranſitione* quidem perfecta, adeſt vtrumque, vt in illo Ciceronis: *Vni epiſtolæ reſpondi, ad aliam venio*. Et Magiſter Herennianus *De exordio ſatis dictum, deinceps ad narrationem*. Varro: *Hæc de hominibus, hic quod ſequitur de pecore*. Idem: *Cauſam quare ab impoſitis nominibus declinarint, oſtendi, ſequitur, in queis voluerint declinare, aut noluerint*. Virgilius:

Hæc Damon, Vos quæ reſponderit Alpheſibæus
Dicite Pierides.

Tacitus de moribus Germanorum: *Hæc in communi de omnium Germanorum origine, ac moribus accepimus; nunc ſingularum gen-*

tium

tium inſtituta, ritúſque, quatenus differant, quę nationes è Germania in Gallias commigrarint, expediam. Tranſitio verò imperfecta eſt, quum exprimitur tantum id, quod dictum eſt, vel quum tantum id, quod dicendum ſupereſt: Vt Cicero: *Quoad definitiones, hactenus: reliqua videamus.* Idem: *Quaſturam iſtius demonſtraui, reliqua attendite*: Saluſtius: *De Africa eiuſque incolis, ad neceſſitatem rei, ſatis dictum. Poſtquam diuiſo Regno &c.* Exponitur verò, quòd ſupereſt dicendum apud Tullium: *Age nunc illa videamus Iudices, quæ conſequuta ſunt.* Et: *Nunc reliquorum oratorum ætates videamus*: Ad Herennium: *Tempus eſt ad cæteras partes orationis proficiſci.* Varro: *De his nunc iam, quæ hominum cauſa conſtituta, videamus.* Maro:

Protinus aerij mellis cœleſtia dona
Exequar.

Vnde non requiritur in tranſitione expoſitio tam eius, quod dictum eſt, quam eius, quod ſupereſt, ſed ſufficit ſi vnum tantum.

(1) σχήματα διανοίας (2) τοῖς σχήμασι λέξεως (3) ἀυξέσις (4) ὑπέρβολή (5) μεταφορὰ.ἀυξετικής (6) μετωνυμία ἀυξετική (7) συνεκδοχῆς ἀνξετική (8) παρέκβασις (9) διέξοδος (10) ἐκβολὴ (11) ἔκβασις. (12) ὁδὲν πρὸς ἔπος (13) ἐπάνοδον (14) Μετάβασις (15) μετάβασου.

CAPVT OCTAVVM.

De ſchematibus minus dicentibus.

INter hæc primum ſibi vendicat locum illud, quòd Græci appellant (1) *Tapinoſis*, vel (2) *mioſis*, à Latinis autem dicitur Diminutio, vel Imminutio, aut Extenuatio, quod rei minuit grauitatem, vt ſi quis lachrymulam dicat pro multis lachrymis. Hac figura Verres ſcelera ſua obtegebat: ea appellans ſtudia, vt Cicero dicit. Eâdem, quod accuſatores, Ligarij ſcelus dicebant, id,

id, Tullius errorem nominat; Eadem vel potiùs (3) *hyperbolica tapinoſi* Cicero appellat acûs puncturam id, quod accuſatores Milonis dicebant, ictum gladiatorium. (1) *Tapinoſis* etiam eſt, quum mare appellant gurgitem, vt quum Catullus de Nereidibus dicit eas apparuiſſe *Nutricumtenus extantes è gurgite vaſto*. Idem ſchema eſt in eo, quod Horatius inquit:

O quæ beatam Diua tenes Cyprum, &
Memphim carentem Sithonia niue
Regina ſublimi flagello
Tange Chloen ſemel arrogantem.

Nam tangere apud antiquos propriè eſt lædere, pungere, aut percutere. Quòd ſi (4) *exaggeratio* non eſt (5) *ſchema ſententiarum*, nec (2) *extenuatio*, tale erit, Certè (1) *diminutio* vulgò cognoſcitur in eo, quod Lucretius pro mari dixit Lacunas ſalſas; hanc tamen (6) *metaphoram* eſſe, nemo inficias ierit. (7) *Senecdoche* verò generis eum (8) *metonymia* adiuncti erit, quum (9) *perduelles* appellant hoſtes, quum tamen hoſtium nomine, propriè peregrini ſignificentur, quos Spartani (10) *Xenos* dicebant. Sed nihil prohibet idem, pro diuerſo conſiderationis modo, nunc (5) *ſchema* eſſe *ſententiarum*, nunc (11) *troporum affectionem*.

(12) *Apoſiopeſis*, vox eſt è caſtris adſcita in rhetorum ſcholas; nam, qui in prælijs occubuiſſent, eo quod non numerarentur in recitatione catalogi, iudicabantur numerati (13) *per apoſiopeſim*, quemadmodùm è contra, prælio interfuiſſe credebantur, illi, quorum nomina (14) *Ordinum ductor* in numeros retulerat. A Latinis hoc ſchema dicitur Reticentia, ſiue obticentia, deciſio, aut interruptio. Videtur autem eſſe idem cum (15) *Ellipſi*, ſiue (16) *Eclipſi*, quum propriè (17) *Eclipſis* ſit ſolis defectus, vt Lunæ deliquium propriè dicitur (18) *cathereſis*. Alij tamen diſtinguunt [19] *apoſiopeſin* ab (16) *Eclipſi* in eo, quòd (17) *Eclipſis* ſit verbi ſuppreſſio, (12) *apoſiopeſis* verò totius rei defectus: alij oppoſitum putant. In tanta diuerſitate, promiſcuè vtroque vtemur nomine Itaque (20) *Ellipſis* ſiue (12) *apoſiopeſis* fuerit in illo Chryſoſtomi: *Quomodò contra Dei voluntatem amamus, dixerit aliquis? Quum Chriſtum inopiâ tabeſcentem deſpicimus, liberis autem, amicis, & cognatis, ſuprà quam neceſſe ſit, elargimur: Quum: ſed quid attinet oratione longiùs progredi, nam ſi ſuam quiſque conſcientiam examinauerit, pluribus certè in rebus hoc à nobis fieri inuenerit.* Sic Iuuenalis:

Tune duos vna ſæuiſſima vipera cœna? Tune duos.

Sic Maro:

Quos ego: Sed motos præſtat componere fluctus.

Sic Silius

Quin inter cætera noſtra
Haud laude abſuerit, modò qui,
Sed parcere dictis ſit melius.

Verbum verò abeſt in illo Tullij *Brutus Mutinæ vix iam ſuſtinebat, qui ſi conſeruatus erit, vicimus: ſin, quod Dij omen auertant, omnis omnium eſt curſus ad vos.* Et in illo Naſonis

Me tibi venturam comitem quocumque vocaris,
Siue, quod ben timeo, ſiue ſuperſtes eris.

[21] *Hypoſiopeſis* verò, eo, ab [22] *apoſiopeſi* differt, quòd hac, res omnino ſubticetur, illâ verò dicitur, ſed obſcurâ verborum ambage, quò vitetur offenſa.

[23] *Paralipſis* Latinis idem valet, ac præteritio, ea fit, quum ſimulamus nos id omittere, quòd maximè dicimus, quod ideò fit, quia res, vel ſunt paruæ, vel notę, vel ingratæ, ac moleſtæ, quas tamen præterire nolumus, quia ſunt nobis vtiles. Vnde tali ſchemate vtimur, quando aliqua vehementer conducentia; ſiue ad probandum, ſiue ad refellendum, eiuſmodi ſunt naturæ, vt ſi eis inſiſtamus, ſatietatem potiùs, quàm voluptatem putentur allatura. Quod ſchema partim ſpectat ad ea, quę plus partim ad ea quæ minus dicunt; quia quamuis orator dicat, ſe minùs dicturum quàm ſit in re, plus tamen dicit, quam ſe dicturum receperat. Vt apud Lucilium:

Non tango, quòd auarus homo eſt, quodque improbu' mitto.

Sic Cicero libro 15. epiſtola ad Trebonium: *Vt illa omittam, quæ in Ciuitatę feciſti &c.* Et ad Atticum: *Omitta illo vetera, quod iſtum in Remp. ille aluit, auxit, armauit &c.* Et in Vatinium.

„ Atque illud tenebricoſiſſimum tempus ineuntis ętatis tuę patiar latere, licet impune per me parietes in adoleſcentia perfoderis, vicinos compilaueris, matrem verberaueris; habeat hoc præmium tua indignitas, vt adoleſcentiæ turpitudo obſcuritate, & ſordibus tuis obtegatur.„ Et in Rullum *Non queror diminutionem vectigalium, non flagitium huius iacturæ atque damni*: præter-
„ mitto illa quæ nemo eſt quin grauiſſime, & veriſſime conqueri
„ poſſit, nos caput patrimonij publici, pulcherrimam populi Ro.
„ poſſeſſionem, ſubſidium annonę horreum belli ſub ſigno clauſ-

triſque

„ triſque Reip. poſitum, vectigal ſeruare non potuiſſe Eum deni- „ que nos agrum P. Rullo conceſſiſſe, qui ager ipſe per ſeſe, & „ Syllanę dominationi, & Gracchorum largitioni reſtitiſſet. Non „ dico ſolum hoc in Rep. vectigal eſſe, quod, amiſſis alijs, rema- „ neat, intermiſſis, non conquieſcat, in pace niteat, in bello non „ obſoleſcat, militem ſuſtentet, hoſtem non pertimeſcat, prę- „ termitto omnem hanc orationem, & concioni reſeruo &c. „

Huic vicinum, ſi non idem potius, eſt ſchema appellatum (24) *paraſiopeſes*, ſiue (25) *apophaſis*, quale ponitur eſſe in prima Verrina *Nec ea dico, quæ ſi dicam, infirmare non poſſes*. Et, *Sunt hæc in te, alia falſi accuſatoris ſigna per multa, quibus ego non vtor*. Vicinum etiam eſt ſchema dictum (20) *apodoxis*, quo aliquid remouetur, vel ſimpliciter ab oratione, vel in alium reijcitur locum, ſiue, eſt reiectio, aut reprobatio quarundam rerum, quaſi indignarum quæ in quæſtionem veniant, quod neque potuiſſent ab aduerſarijs poni, nec à nobis quæri, nec à Iudice poſtulari. Sic Cicero pro Cœlio: *Equitis autem Romani eſſe filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his iudicantibus oportuit, neque defendentibus nobis*.

(27) *Periphraſis*, quod partim eſt (28) *Schema verborum*, partim (29) *ſententiarum*, accidit, quum rem deſignatm, pluribus ambimus, ac circumloquimur verbis: quamquam non deſint, qui etiam vnico verbo compoſito, putent confici poſſe (30) *periphraſem*, vt ſi piſcatorem appelles piſcicapum, vel (31) *è mari viuentem* dicas (32) *mareuiuum*. Vtcumque res ſit, frequentior eſt, quum rem pluribus verbis circumloquimur. Adhibetur autem, vel tantùm gratiâ ornatûs, quomodo eſt ſchema verborum, vt ſunt temporum deſcriptiones apud poëtas, in quibus, ſi aliud ſubſtituas verbum, de ornatu quidem fortaſſis multum, de re autem nihil peribit. Cuiuſmodi deſcriptionibus poëticis, etiam inter proſatores delectabantur Lucius Apuleius, & Franciſcus Petrarcha, qui illum imitari maluit, quàm Ciceronem. Apulæi eſt illa in 3. Metamorphoſis *Commodum punicantibus phaleris Aurora roſeum quatiens lacertum Cœlum inequitabat, & me ſecuræ quieti reuulſum, nox diei reddidit*. Adhibetur etiam, vt rem obumbremus, itâ tamen, vt ea cerni poſſit, vt in Miloniana, quum graue foret fateri Clodium à Milone occiſum, Cicero per periphraſem rem molliuit, dicens: *Illi, qui erant cum Clodio, gladijs eductis, partim recurrere ad rhedam, vt à tergo Milonem adorirentur,*

partim, quòd hunc iam interfectum putarent, cædere incipiunt eius ſeruos qui poſt erant: ex quibus, qui animo fideli in Dominum erant, & præſentes fuerunt, fecerunt id ſerui Milonis (dicam enim, non deriuandi criminis gratiâ, ſed vt factum eſt) neque imperante, neque ſciente, neque præſente Domino, quod ſuos quiſque ſeruos, in tali re, facere voluiſſet. Interdum verò, nec augendi, nec minuendi causâ adhibetur, ſed (33) *ſimpliciter* ad quidpiam circumloquendum, quod apertè nominare, vel nolumus, vel non valemus, vt ruſticus ille apud Virgilium Ecloga 3.

In medio duo ſigna, Conon, & quis fuit alter,
Decripſit radio totum qui gentibus orbem.

Ad hoc ſchema referri poteſt illud innominatum, quo per quandam ſuſpicionem, quod non dicimus, intelligi volumus, non quidem contrarium, vt fit in ironia, ſed aliud quidpiam latens, ab auditoris ingenio inueniendum, vt de ſuſpecta nuru, ſi maritus dicat: *Duxi vxorem, quæ patri placuit*. Sic quum Themiſtocles Athenienſibus ſuadere vellet, vt Vrbem ſecus Deos deponerent; durum enim fuiſſet dicere, vt eam omnino inhabitatam relinquerent. Sic quum idem ſuaſit: Vtendum eſſe Victorijs, in quo vt diximus erat (34) *euphemiſmus*; Hoc autem ſchema, quum proprio, ac ſpeciali nomine careat, generis tantum retinet nomen, & ad periphraſim reducitur.

(1) ταπείνωσις (2) μείωσις (3) ὑπερβολικὰ ταπείνως; (4) αὔξεσις (5) σχῆμα διανοίας (6) μεταφορὰ (7) συνεκδοχὴ (8) μετωνυμία (9) ὑποκοριζόμενοι (10) ξένους (11) τροπῶν πάθον (12) Ἀποσιώπησις (13) κατ᾽ ἀποσιώπησιν (14) ταξιάρχος (15) ἐλλείψεως (16) ἐκλείψεως (17) ἔκλειψις (18) καθαίρεσις (19) ἀποσιώπησιν (20) ἔλλειψις (21) ὑποσιώπησις (22) ἀποσιώπησῃ (23) Παράλειψις (24) παρασιώπησις (25) ἀπόφασις (26) ἀποδίωξις (27) Περίφρασις (28) σχῆμα λέξεως (29) διανοίας (30) περίφρασιν (31) οἱ ἐξ ἁλὸς ξῶντεν (32) ἁλίζωον (33) ἁπλῶς (34) εὐφημισμός.

CAPVT

CAPVT NONVM.

De ſchematibus æquè dicentibus, quæ figurantur ratione perſonæ.

SChemata ſententiarum æquè dicentia, orationem figurant ratione, vel perſonæ, vel rei, de qua agitur, vel vtriuſque. Prioris generis nempe figurantium ratione perſonæ, ſunt (1) *dialogiſmus*, (2) *proſopopia*, (3) *apoſtrophe* (4) & *idiotiſmus*, (1) *Dialogiſmus* ab aliquibus tunc eſſe dicitur, quum aliquem introducimus nobiſcum colloquentem: quod ſi foret, (5) *à dialogo* non differret. Alij verò. & meo videri rectiùs, (6) *dialogiſmum* tunc eſſe putant, quum certus tribuitur ſermo alicui perſonæ, quæ præſentis ſit inſtituti, ſiue perſona illa nobiſcum, ſiue cum alio loquatur. Secum loquitur Dido 4. Eneidos:

En quid agam? rurſus ne procos irriſa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia ſupplex,
Quos ego ſum toties iam dedignata maritos?
Iliacas igitur claſſes, atque vltima Teucrum
Iuſſa ſequar? quid me auxilio iuuant ante leuatos?
Et bene apud memores veteris ſtat gratia facti.
Quis me autem, fac velle, ſinet? ratibuſque ſuperbis
Irriſam accipiet? Neſcis, heu perdita, necdum
Laudomentææ ſentis periuria gentis?
Quid tum? ſola fuga naues comitabor ouantes?
An Tyrijs omnique manu ſtipata meorum
Inſequar? Et quos Sidonia vix Vrbe reuelli
Rurſus agam pelago, & ventis dare vela iubebo?
Quin morere vt merita es &c.

Sic Soſia ſecum loquitur:

Quid, malum, nonne ego ſum ſeruos Amphitruonis Soſia,
Nonne hac nocte noſtra nauis ex portu Perſico
Venit, quæ me aduexit? nonne huc herus me miſit meus?
Nonne ego nunc ſto ante ædes noſtras? Non mihi eſt lanterna in manu?
Non loquor? non vigilo? Nonne hic homo modò me pugnis contudit?

Fecit

Fecit hercle, nam mihi miſero etiam nunc malæ dolent.

Quid igitur ego dubito? aut quur non introeo in noſtram domum? Magiſter Herennianus dialogiſmum, quem ipſe Sermocinationem appellat, definit, quod tunc contingat, quum alicui perſonæ ſermo tribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis, nempe ſi ea dixiſſe fingamus, quæ eam cogitare non ſit abſurdum. Cuius tale ſubijcit exemplum: *Quum militibus Vrbs redundaret, & omnes timore oppreſſi domi continerentur, venit iſte cum ſago, gladio ſuccinctus, tenens iaculum: quinque adoleſcentes hominem, ſimili ornatu, ſubſequuntur: Irrumpit in ædes ſubitò, deinde magna voce: Vbi eſt iſte beatus, inquit, ædium dominus, quin mihi præſto ſit? Quid tacetis? Hic alij omnes ſtupidi timore, obmutuerunt. Vxor illius infeliciſſimi, cum maximo fletu, ad iſtius pedes abiecit ſeſe; Parce, inquit, & per ea quæ tibi dulciſſima ſunt in vita, miſerere noſtri, noli extinguere extinctos; fer manſuetè fortunam, nos quoque fuimus beati, noſce te eſſe hominem. At ille: Quin illum mihi datis, ac vos auribus meis opplorare deſinitis? Non abibit. Illi nunciatur interea veniſſe iſtum, & clamore maximo mortem minari; Quod ſimul vt audiuit. Heus, inquit, Gorgia pediſſequa puerorum, abſconde pueros, defende, fac vt incolumes ad adoleſcentiam perducas, Vix hæc dixerat, quum ecce iſte præſto, Sedes, inquit, audax? Non vox mea tibi vitam ademit? Exple meas inimicitias, & iracundiam ſatura tuo ſanguine. Ille cum magno ſpiritu: Metuebam, inquit, ne planè victus eſſem, nunc video in iudicio mecum contendere uis, vbi ſuperari turpiſſimum eſt, ſuperare pulcherrimum. Interficere me vis? Occidar equidem, ſed victus non peribo; At ille. In extremo vitæ tempore, etiam ſententiosè loqueris, neque ei, quem vides dominari, vis ſupplicare. Tum mulier: Immò quidem iſte rogat, & ſupplicat, ſed tu queſo commouere. Et tu per Deos, inquit, hunc emplexare, Dominus eſt, vince tu nunc animum. Quur non deſinis, inquit, vxor, loqui, quæ me digna non ſunt, tace, & quæ curanda ſunt, cura. Tu ceſſas mihi vitam, tibi omnem bene viuendi ſpem, meâ morte, eripere? Iſte mulierem reppulit ab ſe lamentantem, illo neſcio quid dicere incipienti, quod dignum videlicet illa virtute eſſet, gladium in latere defixit.* Et ſubdit: *Puto in hoc exemplo datos eſſe vnicuique ſermones ad dignitatem accommodatos, id quod oportet in hoc genere obſeruare* Hoc idem monet Horatius in arte ad Piſones

Intererit multum, Dauus ne loquatur an herus.

Quod quia neglexit Celſus, meritò ab Origene reprehenditur:

ſeruauit verò Cicero pro Coelio, dicens. *Si autem vrbaniùs me dicere mauis, ſic agam tecum: remouebo illum ſenem.*

„ Durum, ac pene agreſtem, ex hiſque tuis ſumam aliquem, „ ac potiſſimum minimum fratrem tuum, qui eſt in iſto genere „ vrbaniſſimus, qui te amat plurimum, qui propter neſcio quam „ timiditatem, & nocturnos quoſdã inanes metus tecum ſemper „ puſio cum maiore ſorore cubitauit. Eum putato tecum loqui. „ Quid tumultuaris ſoror? Quid clamore exorſa, verbis, paruam „ rem magnam facis? vicinum adoleſcentulum aſpexiſti, candor „ huius te, & procacitas, vultus, oculique perpulerunt, ſæpius „ videre voluiſti, fuiſti nonnumquam in ijſdem hortis viſa nobi- „ lis mulier. Illum filium familias ò patre parco ac tenaci habere „ tuis copijs deuinctum non potes, calcitrat, reſpuit, non putat tua „ dona eſſe tanti? Confer te aliò. Habes hortos ad Tiberim, ac „ diligenter eo loco præparaſti, quo omnis iuuentus natandi „ cauſa venit: hinc licet conditiones quotidie legas. Quur „ huic, qui te ſpernit moleſta es &c.]

(7) *A dialogiſmo* non multum differre putatur (8) *Ethopia*, quæ definitur, quod ſit oratio tributa perſonis, quæ ad huc ſuperſunt, vt apud Ciceronem pro Quintio *Quid ad hæc Neuius? ridet ſcilicet noſtram dementiam, qui in vita ſua rationem ſummi officij deſideremus, & inſtituta bonorum virorum requiramus. Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia, ac diligentia? Viderint, inquit, iſta officia viri boni, de me autemità conſiderent, non quid habeam, ſed quibus rebus inuenerim, quærant, & quemadmodum natus, & quo pacto educatus ſim. Memini, vetus eſt, de ſcurra multò facilius diuitem, quàm patrem familias fieri poſſe. Hæc ille, ſi verbis non audet, re quidem vera palàm loquitur.* Vtimur autem (8) *Ethopia* ad fidem faciendam, quia fide digniores putantur ſermones, relati ex ore aliorum, quam ex ore noſtro.

(10) *Proſopopia* à Latinis dicitur. Conformatio, aut perſonæ fictio, quæ contingere dicitur, quum vel perſonas conſtituimus in rebus, quæ ſunt ſine perſonis, aut quum fingimus actionem, ſeu ſermonem eorum hominum, qui eſſe deſierunt, tamquam ſi viui forent, ac præſentes; Vnde ſchema iſtud duûm eſt modorum, primum, quum è non perſonis perſonas facimus, vt quum rei mutæ ſermonem, ac ſenſum tribuimus, quò noſtram intelligat orationem: ſecundum, quum mortuos loqui fingimus, qui modus à Coelio Rhodigino, ac alijs appellatur (11) *idolopia*.

Huius

Huius ſchematis tale exemplum eſt apud Magiſtrum Herennianum: *Quod ſi nunc Iunius ille Brutus reuiniſcat, & hic ante pedes veſtros adſit, non hac vtetur oratione? Ego Reges eieci, vos Tyrannos introducitis. Ego libertatem, quæ non erat, peperi: vos, partam ſeruare non vultis. Ego, capitis mei periculo, patriam liberaui: vos, liberi, ſine periculo eſſe non curatis.* Sic Tullius pro Coelio veluti ab inferis excitat Appium Cœcum, vt ita Clodiam alloquatur.
„ *Mulier, quid tibi cum Coelio?* Quid cum homine adoleſcentulo?
„ Quid cum alieno? Quur aut tã familiaris huic fuiſti vt aurum
„ commodares, aut tam inimica vt venenũ timeres? Nõ patrem
„ tuum videras, non patruum, non auum, proauum, atauum
„ audieras Conſules fuiſſe. Nõ denique modo te Q. Metelli ma-
„ trimonium tenuiſſe ſciebas clariſſimi & fortiſſimi viri, patriæ
„ amantiſſimi, qui ſimul ac pedem limine extulerat, omnes pro-
„ pe Ciues, virtute, gloriâ, dignitate ſuperabat. Cui, quum
„ ex ampliſſimo, genere in familiam clariſſimã nupſiſſes, quur
„ tibi Cœlius tum coniunctus fuit? cognatus? affinis? viri tui fa-
„ miliaris? Nihil horum. Quid igitur fuit, niſi quedam temeritas
„ ac libido? (10) *Proſopopia*, etiam eſt, quum Vrbs, Reſp. aut Patria fingitur loqui, ſiue illius nomine intelligatur Numen Tutelare, aut genius, ſiue perſonæ quæ eam conſtituunt, vt in 1. Catilinaria Cicero Patriam inducit loquentem hoc modo: *Quæ tecum Catilina, & quodammodo tacita loquitur. Nullum iam tot annos facinus extitit, niſi per te, nullum flagitium ſine te; tibi vni multorum ciuium neces, tibi vexatio, direptioque ſociorum impunita fuit, ac libera: Tu non ſolum ad negligendas leges, & quæſtiones, verùm etiam ad euertendas perfringendaſque valuiſti. Superiora illa quãquam ferenda non fuerunt, tamen, vt potui, tuli: nunc verò me totam eſſe in metu propter te vnum, quidquid increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod à tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe, ſi verus, ne opprimar, ſin falſus, vt tandem aliquando timere deſinam. Hæc ſi tecum, vt dixi, Patria loquatur, nonnè impetrare debeat etiam ſi vim adhiberi non poſſit?* Et inferiùs *Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vitâ meâ multò eſt charior, ſi cuncta Italia, ſi omnis Reſp. loquatur, M. Tulli quid agis? Tu & eum, quem eſſe hoſtem comperiſti: quem Ducem belli futurum vides, quem expectari Imperatorem in caſtra hoſtium ſentis, authorem ſceleris, principem coniurationis, euocatorem ſeruorum, & Ciuium perditorum, exire patieris.*

tieris, vt abs te non emiſſus ex Vrbe, ſed immiſſus in Vrbem eſſe videatur &c. Et infra: *His ergo ſanctiſſimis Reip. vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus pauca reſpondebo &c.* Ex quibus omnibus cognoſcimus, quâ ratione ad (10) *proſopopijam* accedendum, quaue ab eadem ſit recedendum.

Huiuſmodi ergo (10) *proſopopijæ*, etiam oratoribus conueniunt: ſunt tamen aliæ, quæ poëtas potiùs decent; Cuiuſmodi, vel rei ſubſtantiam directè, aut indirectè reſpiciunt: quo modo Ennius vitam, ac mortem colloquentes inducit, & quidam in genere iuridiciali duas ſcripſit orationes, in quarum vna mens corpus accuſabat; in altera verò corpus ſeſe defendit: Ad idem pertinent ſermones mutorum, quomodo apud Plutarchum, Gryllus introducitur cum Vlyſſe diſputans. Vel, ſi non reſpiciunt rei ſubſtantiam, finguntur ſaltem ex accidentibus, vt quum apud Platonem, inducuntur leges loquentes, aut quum virtus, & voluptas, inter ſe contendentes finguntur.

Exemplum verò (10) *proſopopijæ*, quâ, non perſonam, alloquimur quaſi perſonam, eſt in Oratione Ciceronis pro Milone, vbi ait: *Vos enim Albani tumuli atque luci, vos inquam imploro, atque obteſtor, voſque Albanorum obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ, & æquales, quas ille, præceps amentiâ, cæſis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſerat, veſtræ tum aræ, veſtræ Religiones viguerunt, veſtra vis valuit, quam ille omni ſcelere polluerat &c.* Frequens huius ſchematis vſus eſt in ſacra ſcriptura, in qua ſæpe prophetæ Diuino afflati ſpiritu, montes alloquuntur aut colles, ligna, mare, flumina, ſtellas, aliaque muta, & eiſdem quandoque verba affingunt, vt quum in eis eſt *Erubeſce Sidon ait mare*, & ſic multotiès,

(12) *Apoſtrophe* fit, quum ſermonem conuertimus ad perſonam, vel quaſi perſonam aliam, ac inſtituta ferat oratio.
„ Sic in 1. Catilinaria Cicero Patres alloquitur. *Cupio Patres Con-*
„ *ſcripti me eſſe clementem* cupio in tantis Reipubl. periculis non
„ diſſolutum videri. *Sed iam me ipſum inertiæ nequit, æque condem-*
„ *no*. Et deinde orationem conuertit ad Catilinam dicens. *Si*
„ *te iam Catilina comprehendi, ſi interfici iuſſero* credo eſſe veren-
„ dum mihi ne non hoc potius omnes boni ſeriùs à me, quàm
„ quiſquam crudelius factum eſſe dicat. Et in fine eiuſdem ora-
„ tionis, *Polliceor vobis hoc, Patres Conſcripti* tantam in nobis
„ Conſulibus fore diligentiam, tantam in vobis authoritatem,

,, tantam in Equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus
,, bonis conſenſionem, vt Catilinæ profectione omnia patefa-
,, cta, illuſtrata; oppreſſa, vindicata eſſe videatis. Et mox,
,, *Hiſce omnibus Catilina* cum ſumma Reipubl. ſalute, & cum
,, tua peſte ac pernicie,cumque eorum exitio, qui ſe tecum om-
,, ni ſcelere parricidioque iunxerunt, proficiſcere ad impium
,, bellum ac nefariam. Et demum etiam ad Iouem apoſtropha-
,, tur. *Tu, tu Iuppiter* qui iiſdem quibus hæc Vrbs auſpicijs à
,, Romulo es conſtitutus, quem Statorem huius Vrbis atque
,, Imperij vere nominamus, hunc & huius ſocios à tuis aris cæ-
,, teriſque templis, à tectis Vrbis ac mœnibus, à vita, fortu-
,, niſque Ciuium omnium arcebis, & omnes inimicos bono-
,, rum, hoſtes patriæ, latrones Italiæ, ſcelerum fœdere inter ſe
,, ac nefaria ſocietate coniunctos,æternis ſupplicijs viuos mor-
,, tuoſque mactabis. Poëtæ etiam hoc ſchema vſurpant; vnde
Virgilius Mæcenati inquit:

Quid faciat lætas ſegetes, quo ſydere terram:

Et mox.

Vos ò clariſſima Mundi
Lumina, labentem Cœlo quæ ducitis annum
Liber, & alma Ceres, veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutauit ariſta
Poculaque inuentis Acheloia miſcuit vuis,
Et vos agreſtum præſentia Numina Fauni
Ferte ſimul Faunique pedem, Driadeſque puellæ
Munera veſtra cano: tuque ò cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percuſſa tridente
Neptune, & cultor nemorum cui pinguia Coæ
Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci
Ipſe nemus linquens patrium, ſaltuſque Lycæi
Pan ouium cuſtos tua ſi tibi Menala cura
Adſis ò Tegæa fauens, oleæque Minerua
Inuentrix, vncique puer monſtrator aratri
Et teneram ab radice ferens Siluane cupreſſum
Dique, Deæque omnes, ſtudium quibus arua tueri
Quique nouas alitis nonnullo ſemine fruges
Quique ſatis largum Cœlo demittitis imbrem.
Tuque adeo, quem mox quæ ſint habitura Deorum
Conſilia, incertum eſt, Vrbeſne inuiſere Cæſar

Terra·

Terrarumque velis curam, & te maximus Orbis
Auctorem frugum, tempeſtatumque potentem
Accipiat, cingens materno tempora myrto:
An Deus immenſi venias maris, ac tua nautæ
Numina ſola colant, tibi ſeruiat vltima Thule
Teque ſibi generum, Thetys emat omnibus vndis.
An ne nouum tardis ſidus te menſibus addas
Qua locus Erigonem inter, Chelaſque ſequentes
Panditur; ipſe tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius & Cæli iuſta plus parte relinquit.
Quidquid eris (nam te nec ſperent Tartara regem
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido
Quamuis Elyſios miretur Græcia campos
Nec repetita ſequi curet Proſerpina matrem)
Da facilem curſum atque audacibus annue cæptis
Ignaroſque viæ mecum miſeratus agreſtes
Ingredere, & votis iam nunc aſſueſce vocari.
Sic 2. Georgicorum.
Scipiades duros bello, & te maxime Cæſar.
Sic Naſo 4 metamorphoſeos.
Fiſſus erat tenui rimâ, quam duxerat olim,
Quum fieret paries, domui communis vtrique:
Id vitium nulli per ſecula longa notatum,
Quid non ſentis amor? primi vidiſtis amantes.

Quod verò (12) *apoſtrophe* fiat etiam ad quaſi perſonas, notum ex eodem Ouidio ibidem, priùs Thysbem alloquente, deinde leones.

Vna duos, inquit, nox perdet amantes
E quibus illa fuit longâ digniſſima vitâ,
Noſtra nocens anima eſt, ego te miſeranda peremi
In loca plena metûs qui iuſſi nocte venires,
Nec prior huc veni. Noſtrum diuellite corpus,
Et ſcelerata fero conſumite viſcera morſu.
O quicumque ſub hac habitatis rupe leones, &c.

Gaudet etiam ſacra Scriptura (13) *apoſtrophe*: vnde Matthæi 11. Saluator ait: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sydone factæ fuiſſet virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Verùmtamen dico vobis, Tyro & Sydoni remiſſiùs erit in die iudicij, quàm vobis.*

bis. Et tu Capharnaum numquid vſque ad Cœlum exaltaberis, &c. Sic pſal. 114. *Mare vidit & fugit Iordanis conuerſus eſt retrorſum. Quid eſt tibi mare quòd fugiſti, & tu Iordanis quia conuerſus es retrorſum.*

Fit quandoque apoſtrophe ob metri tantùm commoditatem, vt apud Naſonem.

Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, vt eſſet
Tutus ab inſidijs, dire Superbe, tuis.

Adhibetur etiam in principio Orationis, vt in 1. Catilinaria. *Quouſque tandem abutêre Catilina, patientiâ noſtrâ.* Etiam poteſt fieri, ſed raró, per (14) *parentheſim*. Poteſt quoque fieri conuertendo orationem ad ſeipſum, vt,

Ah Corydon Coridon quæ te dementia cæpit?
Semiputata tibi frondoſa vitis in vlmo eſt.

Et, *Inſere nunc Melibæe pyros, pone ordine vites.* Sic pſalmo 26. *Credò videre bona Domini in terra viuentium. Expecta Dominum viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.* Sic pſalmo 42. *Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi.*

Hoc ſchema valde commouet, quum vel inuadimus aduerſarium, vt in Ligariana: *Quid enim ille tuus Tubero diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cuius latus mucro ille petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? Quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas? Nimis vrgeo: commoueri videtur adoleſcens. Ad me reuertor, iiſdem in armis fui. Quid enim aliud egimus Tubero niſi vt, quod hic poteſt, nos poſſemus.* Vel, quum conuertimur ad inuocationem aliquam, vt in Miloniana. *Vos, vos appello fortiſſimi viri, qui multum pro Rep. ſanguinem effudiſtis, vos in viri, & in Ciuis inuicti appello periculo Centuriones, voſque milites; vobis non modò inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic iudicio præſidentibus, hæc tanta virtus, ex hac Vrbe expelletur? exterminabitur? eijcietur? O me miſerum! ò me infelicem!* Vel ad inuidioſam implorationem vt in Verrina 7. *O nomen dulce libertatis! ò ius eximium noſtræ Ciuitatis? o lex Porcia, legeſque Semproniæ! ò grauitèr deſiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia poteſtas, huccine tandem omnia reciderunt?* Et eadem: *O tempus miſerum, atque acerbum Prouinciæ Siciliæ! ò caſum illum multis innocentibus calamitoſum atque funeſtum! ò iſtius nequitiam ac turpitudinem ſingularem! Vna atque eadem nox erat qua prætor amoris turpiſſimi flamma, ac claſſis populi Ro. prædonum incendio conflagrabat.*

Idio-

(15) *Idiotiſmus*, ſiue (16) *anacinoſis* Comunicatio Latinis dictum, eſt deliberatio cum ijs ipſis, apud quos vel contra quos, dicimus. Contingit autem bifariam, nam interdum, quia inficiari, vel culpam transferre non poſſumus, participem Conſilij, ſeu facti noſtri, facimus aduerſarium, cuius exemplum adfert Fabius Quintilianus Domitij Afri pro Cleantilla dicentis: *At illa neſcit, trepida, quid liceat fœminæ, quid coniugem deceat, forte vos in ſollicitudine obuios, caſus miſeræ mulieri obtulit; Tu frater, vos paterni amici, quod conſilium datis?* Interdum verò taliter noſtrum conſilium cum auditoribus communicamus, vt ab ipſis quaſi petamus, vt, *Cedo, ſi vos eo in loco eſſetis, quid aliud faceretis?* Vel communem rem agi putatote, ac vos huic rei præpoſitos eſſe. Sic Petrus, & Ioannes Actorum 4. Principibus Sacerdotum dixerunt *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate.* Ex quo patet poſſe eſſe idiotiſmum, etiam citra interrogationem. Et hoc ſchema valet ad mouendos auditores, nam primus communicationis modus, valet ad extorquendam confeſſionem: vltimus verò ad flectendos auditorum animos, nam beneuolentiam conciliat, & cauſæ oſtendit æquitatem, quã confiſi, de auditoribus benè ſperamus.

1 διαλογισμός 2 προσωποποιία 3 ἀποστροφὴ καὶ 4 ἰδιοτισμός 5 ἀπὸ τοῦ διαλόγους 6 διαλογισμὸν 7 ἀπὸ τοῦ διαλογίσκαι 8 ἠθοποιία 9 ἠθοποιίας 10 Προσωποποιία 11 ηδολοποιία 10 προσωποποιία 12 προσωποποιίαν 10 προσωποποιίαι 4 προσωποποιῆς 12 Ἀποστροφὴ 12 ἀπυστροφὴ 13 ἀποστροφῆς 14 κατὰ παρένθεσιν 15 ἰδιωτισμὸς 16 Ἀνακοίνωσις.

CAPVT DECIMVM.

De Schematibus ſermonem figurantibus ratione rei, & quoad ſubſtantiam.

QVæ ratione rei ſermonem figurant, ea vel reſpiciunt naturam, & eſſentiam rei, vel ſunt rei adiuncta, vel ſunt externa:

terna: & hæc vel ſunt ſimilia, vel oppoſita. Rei ſubſtantiam ſiue eſſentiam reſpiciunt ( ) *ſententia*, definitio, diſtributio, & quædam talia. (1) *Sententia* petitur è loco generis, & eſt dictum generale, & breue de rebus agendis, aut vitandis, ſeu de re ad vitam pertinente; vt eſt illa Tullij 2. de Finibus. *Quid turpius, quam ſapientis vitam, ex inſipientium ſermone pendere*. Eiuſdem de ſenectute: *Quod cuique temporis ad viuendum datur, eo debet eſſe contentus*. Saluſtij in proemio Catilinariæ: *Is demum mihi viuere, atque frui animâ videtur, qui aliquo negocio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit*. Publij Syri Mimi:

Is minimo eget mortalium, qui minimum cupit,

Quod vult habet, qui velle quod ſatis eſt, poteſt.

Plinij Iunioris: *Recta ingenia debilitat verecundia, peruerſa confirmat audacia*. Magiſtri Herenniani. *Difficile eſt, primam virtutem reuereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit vſus*.

Et hæ ſunt (2) *ſententiæ* ſimplices, ſunt item aliæ, quæ confirmationem habent ſubiectam, vt omnes benè viuendi rationes, in virtute ſunt collocandæ, propterea quòd ſola virtus in ſua poteſtate eſt, omnia præter eam, ſubiecta ſunt fortunæ dominationi. Sunt præterea (1) *ſententiæ* duplices, vt: Errant, qui in proſperis rebus, omnes fortunæ impetus fugiſſe ſe putant; ſapienter cogitant, qui temporibus ſecundis, caſus aduerſos reformidant; Quibus etiam ratio ſubijci poteſt, vt, qui adoleſcentium peccatis ignoſci putant oportere, falluntur, propterea quòd ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudijs; at hi ſapientèr faciunt, qui adoleſcentes maximè caſtigant, vt quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſint, eas, in ætate maturiſſima, velint comparare. Docet etiam Cornificius, (2) *ſententias* rarò conuenire interponi, vt, non viuendi præceptores, ſed rei actores eſſe videamur. Et quum rarò interponentur, multum adferent ornamenti: Eccleſiaſtis tamen crebrioribus vti licet.

Definitio diuiditur in quid rei, quæ rei naturam, & eſſentiam explicat, quæ Græcis eſt (3) *ſermo eſſentialis*, & quid nominis, rem explicat per adiuncta, & accidentia, quæ deſcriptio, interpretatio, & ethymologia nominatur. A Græcis dicitur (4) *oros* & eſt etiam duplex, nempè ſimplex, quæ eiſdem eſt (5) *oriſmus* vt, Maieſtas Reip. eſt, in qua continetur dignitas, & amplitudo Ciuitatis, vel, Iniuriæ ſunt, quæ aut pulſatione corpus, aut conuicio aures, aut aliqua turpitudine cuiuſpiam vio-

lant

lant vitam. Sic Cicero definit, quid ſit eſſe optimatem, pro Sextio: *Hac eſt vna via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, & honoris, à bonis viris, ſapientibus, & bene naturâ conſtitutis laudari, & diligi, noſſe deſcriptionem Ciuitatis à maioribus noſtris ſapientiſſimè conſtitutam, qui quum Regum poteſtatem non tuliſſent, ita magiſtratus annuos creauerunt, vt conſilium Senatus Reip. præponerent ſempiternum, deligerentur autem in id Conſilium ab vniuerſo populo, adituſque in illum ſummum ordinem omnium Ciuium induſtriæ ac virtuti pateret, Senatum Reip. cuſtodem, præſidem, propugnatorem collocauerant, huius ordinis authoritati, vti magiſtratus & quaſi miniſtros grauiſſimi conſilij eſſe voluerunt. Senatum autem ipſum proximorum ordinum ſplendore confirmari, plebis libertatem, & commoda tueri, atque augere voluerunt. Hæc qui pro virili parte defendunt, Optimates ſunt, cuiuſcumque ſint ordinis: Qui autem præcipuè ſuis ceruicibus tanta munia atque Remp. ſuſtinent, ij ſemper habiti ſunt Optimatum principes, autores & conſeruatores Ciuitatis.* Et pro lege Manilia definit quid ſit eſſe bonum Imperatorem, quum ait *Non enim ſolum bellandi virtus in ſummo, atque perfecto Imperatore quærenda eſt, ſed multæ ſunt artes eximiæ huius adminiſtræ comiteſque virtutis. Ac primum quantâ innocentiâ debent eſſe Imperatores! quantâ deinde omnibus in rebus temperantiâ! quantâ fide! quantâ facilitate! quanto ingenio! quantâ humanitate!* Et pro lege agraria ad Quirites, definit quid ſit eſſe Conſulem popularem, quum ait. *Quid enim eſt, tam populare, quam pax, qua non modo ij quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta atque agri, mihi lætari videntur? Qui tam populare quàm libertas, quam non ſolum ab hominibus, verum etiam à beſtijs peti, atque omnibus rebus anteponi videtis? Quid tam populare quàm otium, quod ita iucundum eſt, vt & vos, & maiores veſtri, & fortiſſimus quiſque vir, maximos labores ſuſcipiendos putet, vt aliquando in otio poſſit eſſe, preſertim in imperio ac dignitate? qui idcirco etiam maioribus noſtris præcipuam laudem gratiamque debemus, quod eorum labore eſt factum vt impune in otio eſſe poſſemus, Quare qui poſſum non eſſe popularis, quum videam hæc omnia Quirites, pacem externam, libertatem propriam generis ac nominis veſtri, otium domeſticum, denique omnia quæ vobis chara atque ampla ſunt, in fidem, & quodammodo in patrocinium mei Conſulatus eſſe collata?* Legem etiam definit Demoſthenes, dicens: *Lex eſt inuentum, & donum Deorum, decretumque hominum ſapientum, emendatio delictorum, conſultò, vel inconſultò commiſſorum, Ciuitatis commune pactum, iuxta quam omnes conuenit in Vrbe viuere.*

Alia

Alia verò eſt (4) *oros* coniuncta, quæ appellatur (6) *antoriſmus*, dicitur etiam (7) *definitio per diaphoram*, *&* (8) *paradiaſtole*, quæ accidit, quum rei adimitur falſum nomen, ac eidem verum imponitur, vt in 3. Verrina. *Non enim furem, ſed ereptorem. non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, religionumque: non ſicarium, ſed crudeliſſimum carnificem Ciuium, ſociorumque, in veſtrum iudicium adduximus.*

Illuſtratur autem hoc ſchema, per hoc, quod definitioni ſubiungitur ratio, vt, Nolo te ſæpiùs parcum appellare, quum ſis auarus: nam qui parcus eſt, vtitur eo quod ſatis eſt, tu contra propter auaritiam, quò plus habes, magis indiges: ità non tam diligentiæ fructus, quam inopiæ miſeria te conſequitur. Vel, non eſt iſta diligentia, ſed auaritia: ideo quòd diligentia eſt accurata conſeruatio ſuorum, auaritia iniurioſa appetitio alienorum. Similiter: Non eſt iſta fortitudo, ſed temeritas, propterea quòd fortitudo eſt contemptio laboris, & periculi, cum ratione vtilitatis, & compenſatione commodorum: temeritas eſt cum inconſiderata laborum perpeſſione, gladiatoria periculorum ſuſceptio.

Inſtituitur hoc ſchema (9) *per correptionem*, vt in Miloniana. *Quas ille leges, ſi leges nominandæ ſunt, & non faces Vrbis & peſtes Reſp. fuerit impoſiturus nobis.* Huius autem ſchematis vſus eſt non tantùm ad ornandum, verùm etiam ad amplificandum, & illuſtrandam orationem. Vnde Cornificius inquit: *Hæc igitur commoda putatur exornatio, quod omnem rei cuiuſpiam vim, & poteſtatem ità dilucidè proponit, & breuitèr explicat, vt neque pluribus verbis oportuiſſe dici videatur, neque lucidiùs potuiſſe dici putetur.*

(10) *Diuiſio*, quâ pro toto eſſentiali, ſiue genere, ponuntur ſpecies, & quâ pro toto ponuntur partes, quæ eſt partitio, vno nomine diſtributio appellari poteſt. Sic apud Martialem

Dat populus, dat gratus eques, dat thura ſenatus;

In has enim partes vniuerſa Romana Reſpubl. diſtributa cognoſcitur. Sic apud Statium diuiditur tempus in matutinum veſpertinum, & id quòd eſt ante prandium, & cœnam, dum dicitur.

Aſteris, & vatis totum cantata per orbem:
Aſteris ante dapes, nocte Aſteris, Aſteris ortu.

Et apud Pſalmiſtam, in eaſdem partes tempus diuiditur, dum dicitur *Veſpere et mane, & meridie, narrabo, & annunciabo.*

Ad hoc ſchema reducuntur, (11) *enumeratio*, & (12) *congeries*, ſiue

ſiue (12) *coaceruatio*, quibus variæ perſonarum actiones, aut res enumerantur, & in vnum, quaſi aceruum congeruntur, atque condenſantur. Differt autem (12) *congeries*(13) *a ſynonymia*, quòd (14) *ſynonymia* plura (15) *æqua ſignificantia*,(12) *congeries* verò plura diuerſa congerat, vt in Miloniana: *Dura mihi mediusfidius fortuna populi Romani, & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc Remp. inſultare videret, & pateretur: polluerat ſtupro Sanctiſſimas Religiones, Senatus grauiſſima decreta perfregerat, pecuniâ ſe palam à Iudicibus redemerat, vexarat in Tribunatu Senatum, omnium ordinum conſenſu pro ſalute Reip. geſta, reſciderat, me patriâ expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos, coniugem meam vexauerat, Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat, magiſtratuum, priuatorumque cædes effecerat; domum mei fratris incenderat, vaſtauerat Hetruriam, multos ſedibus ac fortunis eiecerat, inſtabat, vrgebat: capere eius amentiam Ciuitas, Italia, Prouinciæ, Regna non poterant. Incidebantur iam domi leges, quæ nos noſtris ſeruis addicerent. Nihil erat cuiuſquam, quod quidem ille adamaſſet, quod non hoc anno ſuum fore putaret.* Et in Maniliana: *Quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna Reipubl. Ciuile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, mixtum ex Ciuitatibus, atque ex bellicoſiſſimis nationibus, ſeruile, nauale, varia & diuerſa genera, & bellorum & hoſtium, non ſolum geſta ab hoc vno, ſed etiam confecta, nullam rem eſſe declarant, in vſu militari poſitam, quæ huius viri ſcientiam fugere poſſit.*

Miram verò adfert elegantiam tum (16) *diuiſio*, tum *congeries*, ſi, rebus enumeratis, quædam ita ſubijciantur, vt ſingula ſingulis reſpondeant, vt pro Cœlio: *Sed ego Atratino humaniſſimo atque optimo adoleſcenti, meo neceſſario, ignoſco, qui habet excuſationem, vel pietatis, vel neceſſitatis, vel ætatis; Si voluit accuſare, pietati tribuo: ſi iuſſus eſt, neceſſitati: ſi ſperauit aliquid, pueritiæ. Cæteris non modò nihil ignoſcendum, ſed etiam acriter eſt reſiſtendum.* Quidam hac figurâ vtuntur cum breuiſſimis colis, vt Plinius libro 2. cap. 63. *Aquæ ſubeunt in imbres, rigeſcunt in grandines, tumeſcunt in fluctus.* Solinus cap. 27. *Manat, vel, vacat fontibus, nemoribus inhorreſcit, rupibus aſperatur, ſqualet ieiunio.* Tertullianus in Apologia cap. 20. *Vani erunt homines, niſi certi ſint, à primordio pluuias de Cœlo ruiſſe, & ſydera radiaſſe, & lumina floruiſſe, & tonitrua mugiſſe.* Sic Cyprianus libro de bono patientiæ, & alij paſſim.

(17) *Coacervationi* affinis eſt (18) *Epitrochaſmus*, quo res magnas atque diuerſas, quadam celeritate percurrimus; vnde ſchema iſtud Latinè dici poteſt Percurſio, qualis eſt in Cęſariano illo, *Veni, Vidi, vici*, in quo ſtatuebamus eſſe (19) *aſyndeton*. Sic etiam, ſi dicas *Cæſar in Italiam euolarat, Corfinium, præſidio deſertum, ceperat, Vrbe potiebatur, Pompeium perſequebatur*. Eſt etiam (8) *Epitrochaſmus* in illo Maronis lib 4. Æneidos:

Faces in caſtra tuliſſem,
Impleſſemque foros flammis, natumque, patremque
Cum genere extinxem, memet ſuper ipſa dediſſem

Similiaque exempla plura ſunt apud poëtas, & oratores, nec deſunt in Sacris litteris.

Incrementum etiam pertinet ad ſchemata huius generis, fit autem, quum per gradùs ab infimis ad ſumma aſcendimus, vt in Roſciana: *Petimus à te M. Fanni, à vobiſque Iudices, vt quàm acerrimè maleficia vindicetis, vt quàm fortiſſimè hominibus audaciſſimis réſiſtatis, vt hoc cogitetis, niſi in hac cauſa quis veſter animus ſit oſtendatis, cò perrumpere hominum cupiditatem, & ſcelus, & audaciam, vt non modò clam, verùm etiam hic in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes veſtros Iudices, inter ipſa ſubſellia, cædes futuræ ſint*: Sic in Rabiriana: *Quamobrem illud maneat, & fixum ſit; quod neque moueri, neque mutari poteſt, in quo æqui ſperaſſe Poſthumum dicunt, peccaſſe iniqui, ipſe etiam inſaniſſe ſe confitetur*. Sic Seneca Epiſtola 1. ad Lucilium: *Turpiſſima tamen eſt iactura, quæ per negligentiam venit, & ſi volueris attendere, magna pars vitæ elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus &c.*

1 γνώμη. 2. γνῶμαι 2 μνώμαις 3 λόγος τῆς ὀυσίας 4 ὅρος. 5 ὁρισμὸς 6. ἀνθορισμὸς 7. ὁρισμὸς κατὰ διαφορὰν 8 παραδιαστολὴ 9 κατ᾽ ἐπανόρθωσιν. 10 Διαίρεσις καὶ μερισμὸς 11 ἀπαρίθμησις καὶ 12. συναθροισμὸς 13 ἐκ συνωνυμίας 14 συνωνυμία 15 ἰσοδυναμοῦντα 16 διαιρέσεις 17 συναθροισμῷ. 18. ἐπιτροχασμὸς 19 ἀσύνδετον.

CAPVT VNDECIMVM.

De ſchematibus ſermonem figurantibus ratione adiunctorum rei.

SVnt iſta (1) *Ratiocinatio*, & (2) *Expoſitio*, nam explicant ea, quæ ſunt in re, quæ tamen ad rei non pertinent eſſentiam, ſiue naturam. (1) *Ratiocinatio* appellata à Q. Cornificio, nempe Magiſtro Herenniano, ab alijs dicitur cauſæ redditio, quæ fit, breui, ac ſententioſâ ratione, ità vt, quòd dubium videbatur, ad certam fidem adduci videatur. Eius tale eſt exemplum apud eumdem Herennij magiſtrum: *Benè maiores noſtri hoc comparauerunt, neminem Regem, quem armis cæpiſſent, vitâ priuarent. Quid ita? Quia quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paullò ante in ampliſſimo ſtatu collocarat. Quid, quòd exercitum contra duxit? Deſino meminiſſe. Quid ita? Quia viri fortis eſt, qui de victoria contendant, eos hoſtes putare, qui victi ſunt, eos homines iudicare, vt poſſit bellum fortitudo minuere, pacem humanitas augere. At, ille, ſi viciſſet, non idem feciſſet. Non profectò tam ſapiens fuiſſet. Quid igitur ei parcis? Quia talem ſtultitiam contemnere, non imitari conſueui.* Hoc ſchemate vtitur Cicero in Verrem, dum ait: *Intelligo quàm ſcopuloſo, difficilique in loco verſer, nam quum omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenij, atque eloquentia multò moleſtiſſima*, vbi ratio ſubijcitur ſententiæ, vt in multis alijs authorum locis.

Interdum verò ratio ſententiam præcedit, vt in Maniliana: *Etenim ſi vectigalia neruos eſſe Reip. ſemper duximus, eum certè ordinem, qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum, rectè eſſe dicemus* Interdum, & medium occupat locum, vt Æneidos 4.

At Regina dolos (quis fallere poſſit amantem)
Præſenſit.

Et citra parentheſim pro lege Manilia: *Hic in illo ipſo malo, grauiſſimaque belli offenſione, veſtro iuſſu coactus, quod imperij diuturnitati modum ſtatuendum veteri exemplo putauiſtis, partem militum, qui iam ſtipendijs confectis erant, dimiſit, partem Glabrioni tradidit.*

Interdum geminatur ratio, vt in eadem Maniliana: *De huius autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac vtar moderatione*

dicendi, vt non in illius poteſtate fortunam poſitam eſſe dicam, ſed vt præterita meminiſse, reliqua ſperare videamur, ne aut inuiſa Dijs immortalibus oratio noſtra, aut ingrata eſse videatur. Immò interdum fit cauſarum connexio, vt pro Plancio: *Quis eſt ergo qui neget ordinis eius ſtudium, fuiſse in honore Plancij ſingulare? Neque iniuriâ, vel quod erat pater is, qui eſt Princeps iamdiu Publicanorum: Vel, quod is ab ſocijs vnicè diligebatur: Vel, quòd diligentiſſimè rogabat: Vel, quia pro filio ſupplicabat: Vel, quia huius ipſius in illum ordinem ſumma officia, Quæſturæ, Tribunatuſque conſtabant: Vel, quòd illi in hoc ornando, ordinem ſe ornare, & conſulere liberis ſuis arbitrabantur.* Quod ſi ratio callidè tantum, & probabiliter afferatur, color dicitur, vt quum Thraſo timore fugiens, videri vult prudenter facere, & ait:

Omnia priùs experiri, quàm armis, ſapientem decet.

Sic Catilinaria 3. *Dum Cethegus qui paullò ante aliquid de gladijs, & ſicis, quæ apud illum itidem erant deprehenſa, reſpondiſſet, dixiſſetque, ſe ſemper bonorum ferramentorum ſtudioſum fuiſſe.*

(1) *Diatypoſis* verò, & (2) *hypotypoſis*, cauſas adferunt, vel etiam effecta, & alia adiuncta. Latini (3) *diatypoſin* appellant ſubiectionem ſub aſpectum, ſiue, quod idem eſt, rerum formam verbis expreſſam. Ea autem fit, quum luculentâ narratione rem ob oculos ponimus, eas maximè partes proſequentes, quæ comprehendunt (4) *ſermonem moratum* in perſonis; in rebus autem earum notabiles diſpoſitiones: A quo ſchemate non differt (2) *hypotypoſis*, niſi, quòd hæc ſit dilutior, ac ſimplicior, illa magis accurata, & propterea orationem reddit magis luminoſam, atque actuoſam; quandoquidem omnia proſequitur, quæ ſunt in re, excepto quòd, in graui dicendi charactere, ſeligit meliora.

Itaque (3) *diatypoſim* habes apud Demoſthenem de falſa legatione, dicentem: *Spectaculum Athenienſes crudele erat, ac miſerabile: Nam quum nuper proficiſceremur Delphos, neceſſe erat videre omnia illa, domos dirutas, mœnia proſtrata, regionem iuuentute orbatam, mulierculas dumtaxat, & pueros paucos, & ſenes, homines miſerandos: Denique nemo verbis aſſequi poſſit, mala, quæ nunc ibi ſunt.* Sic Verrina 7. *Procedit iſte repente è Prætorio, inflammatus ſcelere, furore, crudelitate, in forum venit, Nauarchos vocari iubet, qui nihil metuerent, nihil ſuſpicarentur, ſtatim accurrunt. Iſte hominibus miſeris, innocentibuſque, inijci catenas imperat; illi fidem populi Ro. & quare id faceret*

ceret rogare. Tunc iſte hoc cauſæ dicit, quod claſſem prædonibus prodidiſſent: fit clamor & admiratio populi, tantam eſſe in homine impudentiam atque audaciam, vt, aut alijs cauſam calamitatis attribueret, quæ omnis propter auaritiam ipſius accidiſſet; aut quum ipſe prædonum ſocius putaretur, alijs proditionis crimen inferret; deinde hoc quintodecimo die crimen eſſe natum, poſtquam claſſis eſſet amiſſa. Illuſtre eſt hoc aliud (5) *diatypoſis* exemplum: Quid in hoc arbitrer bonæ ſpei reliquum reſidere, qui omne vitæ tempus vnà, ac diſperatiſſimâ conſuetudine produxit? Nam ſimul atque ex pluribus horis diei, nimiâ cibi, ac vini ſatietate, vix meridiano tempore, plenus crapula eſt experrectus, primùm oculis mero madidis, humore obcœcatis, vino grauidis, lucem conſtanter intueri non poteſt. Deinde confectis viribus, vt potè cui venæ non ſanguine, ſed vino repletæ, ſeipſum erigere non valet. Tandem duobus innixus, languidus, qui cubando ſit defatigatus, tunicatus, ſine pallio, ſoleatus, vt è lectulo, pileolo frigus à capite defendens, flexâ ceruice, ſummis genibus, colore exſangui, protinus, è cubiculari lectulo excitatus, in triclinium trahitur. Ibi præſtò ſunt quotidiani pauci, eodem ſtudio excitati conuiuæ. Hic verò princeps, paullùm illud reliquum, quod habet mentis, ac ſenſûs, poculis extrudere, ex ſe feſtinat, & eos bibendo prouocat, ac laceſſit, perinde ac, ſi in hoſtium prælio, quàm plurimos ſuperarit, atque adflixerit, ampliſſimam ſibi victoriam paratam exiſtimans. Intereà procedunt ſimul, tempus illud, & potatio, oculi vinum lachrymantes caligant, ebrioſum vix ipſi ebrij cognoſcunt; alius ſine cauſa iurgio proximum laceſſit; alius ſonno deditus, vi cogitur vigilare: alius rixari parat: alium turbas vitantem, ac domum reuerti cupientem, retinet ianitor, pulſat, exire prohibet, domum, interdictum demonſtrans: interim alium contumelioſè extra ianuam eiectum, vacillantem puer ſuſtentat, ac ducit, pallium per lutum trahentem. Nouiſſimè ſolus in triclinio relictus, non priùs poculum è manibus emittit, quàm ſonnus oppreſſit bibentem, ac diſſolutis artubus, ipſum poculum ſuaptè naturâ dormienti excidit. Magiſter etiam Herennianus, qui putatur Q. Cornificius, præclaram adfert diatypoſim, quam tamen breuitatis causâ omitto, vt & multas alias ex Diuis Chryſoſtomo, Baſilio, Aſterio, atque aliis ex noſtratibus, maximè Græcis. Hoc vnum moneo, in huiuſmodi deſcriptionibus,

bus, ſeu expoſitionibus locupletandis, illa ſumenda eſſe, quæ rem anteceſſerunt, & quæ ſequuta ſunt, ſed maximè, quæ cum ipſa re fuerunt, non recedendo à circumſtantijs, & concomitantibus.

1 αἰτιολογία 2 διατύπωσις κὶ ὑποτύπωσις 3 διατύπωσιν 4 ἠθολογίαν 3 διατύπωσιν 5 διατυπώσεως.

CAPVT DVODECIMVM.

De ſchematibus ſermonem exornantibus ab extrinſeco ſimili.

ASſimilationis ſpecies ſunt prima (1) *paradigma*, quod Latinè idem eſt, ac (1) *exemplum*: ſecunda (2) *icon*, quod Latinè diceremus (2) *imaginem*· tertia (3) *Syncreſis*, quam (3) *comparationem* appellamus: & quarta eſt (4) *ſymbolum*, quod nominamus (4) *collationem*. Differunt autem (1) *paradigma*, & (2) *icon* nempe (1) *exemplum*, & (2) *imago*, quòd (1) *paradigma* ponatur, vt aliquid fiat, vt in prima Catilinaria: *An verò vir ampliſſimus Publius Scipio Pontifex Maximus, Tiberium Gracchum mediocritèr labefactantem ſtatum Reip. priuatus interfecit, Catilinam verò orbem terræ, cæde, atque incendijs vaſtare cupientem, nos Conſules perferemus?* (2) *Imago* verò ob ipſam tantùm ponitur ſimilitudinem; non enim reſpicit actionem, ſed tantummodò, vt aliqua opinio in hominum animis inducatur, vt: *Os, humeroſque Deo ſimilis.*

Differunt etiam (3) *Comparatio*, atque (4) *Collatio*, quod in (5) *Comparatione* præcedat illud, cui fit aſſimilatio, vt Quemadmodum ij, qui combibi purpuram volunt, priùs lanam quibuſdam ſufficiunt medicamentis: ſic litteris, talibuſque doctrinis ante excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui debent, ac præparari. Sic Decimus Laberius dicebat:

Vt hedera ſerpens vires arboreas necat,
Ita me vetuſtas, complexu annorum enecat;

Et addidit

Sepulcrò ſimilis, nil niſi nomen retineo.

In

In quo eſt etiam (2) *imago* negans. Et quemadmodum (2) *imago*, ita & (3) *comparatio* poteſt eſſe negatiua, vt patet in hoc Herenniani magiſtri: *Neque equus indomitus, quamuis naturâ bene compoſitus ſit, idoneus poteſt eſſe ad eas vtilitates, quæ deſiderantur ab equo: Neque homo indoctus, quamuis ſit ingenioſus, ad virtutem poteſt peruenire. In collatione* verò, (7) *antipodoſis*, ſeu (8) *apodoſis*, nempe id, quod aſſimilatur, antecedit. vt quum apud Virgilium, Iuno non ſe Palladi, ſed Pallada ſibi confert, quam ait Iouis filiam potuiſſe momento, Aiacem Iouis fulmine proſternere, ſe verò, quæ Diuûm incedit Regina, Iouiſque ſit ſoror,& coniux, tot annos vnâ cum Troianorum gente, bellum gerat, nec tamen eos debellaſſe. Ex quo aliud apparet diſcrimen, nempe, quòd (5) *in comparatione* ſemper ſit ſimilitudo: (6) *in collatione* verò poſſit eſſe etiam diſſimilitudo: Diſſimilitudo enim eſt in illo apud Catullum:

Soles occidere, & redire poſſunt,
Nobis, quum ſemel occidit breuis lux,
Nox eſt perpetua vna dormienda.

Et in 3: Philippica *Certus autem dies, non vt ſacrificij, ſic Conſilij expectari ſolet.* Quod ſi ſimilitudo non ſit ſatis aperta, eius eſt ratio ſubijcienda, vt fecit Cicero 1. Officiorum dicens; *Nec quemquam hoc errore duci oportet, vt ſi quod Socrates, aut Ariſtippus contra morem, conſuetudinemque Ciuilem, fecerint, locutiuè ſint, idem ſibi arbitretur licere; Magnis illi, & Diuinis bonis, hanc licentiam aſſequebantur &c.*

1 παράδειγμα 2 εἰκών 3 σύγκρισις καὶ 4 συμβολή 5 ἐν σύγκρισει 6 ἐν συμβολῇ 7 ἀντιπόδοσις 8 ἀπόδοσις.

CAPVT TERTIVMDECIMVM.

De ſchematibus, ſermonem oppoſitione figurantibus.

HOrum quædam ſunt *ſchemata*: (1) *ſententiarum* tantùm, quædam etiam (2) *verborum*: ſchema ſententiæ eſt imprimis (3) *diaporeſis*, ſiue dicas (4) *aporia*, quod Latinè verti poteſt, Dubitatio, ſiue Addubitatio, Et fit, quum è duobus,

bus, aut pluribus, neſcire dicimus, quid nobis agendum ſit, aut dicendum, & ità, quaſi animo ſuſpenſi, nos oſtendimus fluctuantes. Fit autem plerùmque per interrogationem, ſed poteſt eſſe citra eam, vt in Oratore ad Brutum ait Cicero: *Vtrum difficiliùs, aut maiùs eſſet, negare tibi ſæpiùs idem roganti, an efficere id, quod rogares, diù multùmque Brute, dubitaui.* Sic Lyſias: *Nec iam rationem inuenimus, quâ flecti poſſe ſperemus, ità nos omnibus modis tentatos acerbè, ac nimiùm tua facultas affligit.* Interrogatione verò pro Roſcio, *Quid primum querar, aut vnde potiſſimum exordiar, Iudices, aut quòd, aut à quibus auxilium petam, &c.* Sic in Miloniana: *Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? Quid tibi Q. Frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum, &c.* Sic Ouidius 8. metamorphoſeos inducit Altheam deliberantem de filij nece, ac dicentem.

An fœlix Oeneus nato victore fruetur,
Theſtius orbus erit, &c.

Conuenit autem (4) *Dubitatio* exordijs, quia rem amplificat, & auditorem reddit attentum. Deſeruit etiam ad rem diſſimulandam, vt callidè Dauus ait:

Di voſtram fidem, quid turbæ eſt apud forum?

Eiuſdem generis ſchema, nempe oppoſitione figurans, eſt (5) *paradoxon*, ſeu (6) *aporoſdocheton*, vel (7) *paraproſdocia*, quod Latinè diceremus inopinatum, aut ſuſtentatio. Contingit autem, quum ſuſpenſis auditorum animis, ſubiungimus aliquid minimè expectatum. Sic apud Plautum in Perſa.

Ne te indotatum dicas, quoi dos ſit domi.
Librorum enim ecce plenum ſartacum habeo, &c.
Cum hac dote poteras vel mendico nubere.

Lepidum eſt illud Ariſtophanis apud Athenæum. *Age* (8) *cape has amygdalas, & tibi frange caput lapide.* Sic Cicero, teſte Fabio Quintiliano, quum prauum, & mendicum laudare videretur, *Quid, inquit, huic deeſt, niſi res, & virtus.* Sic Domitius Afer, de malo Oratore, inquit: *Homo in agendis cauſis optimè veſtitus*, expectabatur tamen vt diceret, verſatus. Sic quum quidam conuiciator, contumelias in D. Hieronymum iaceret, audiente ipſo, qui in proxima foret cellula, ità vt inter eos, paries tantum diuiſorius mediaret; Inter alia conuicia ille dixit. *Quid intereſt inter ſclauum, & aſinum*: Sclaui autem

tem appellabantur Dalmatæ,vnde erat Hieronymus. Reſpondit ipſe, *Paries*. Ad (5) inopinatum autem refertur, nedum, quum quid ſubitò præter expectationem ſubiungitur, ſed etiam, quum diù expectatione torquentur auditorum animi, & tandem ſubiungitur aliquid, vel multò grauiùs, quàm foret illud, quod expectabatur, vel nullo modo criminoſum, vel multò leuiùs, vt eueniat illud:

Parturient montes, naſcetur riduculus mus.

Ab exemplis abſtineo.

Tertium huius generis ſchema eſt (9) *Epanorthoſis*, ſiue (10) *epidiorthoſis*, vel (11) *metania*, quod Latinè dici poteſt Correctio, quod contingit, quum tollitur id, quod priùs dictum fuerat, ſiue verbum ſit, ſiue ſententia, & pro eo, id, quod magis idoneum videtur, reponitur, vt 1. Corinthiorum 15. *Abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego autem ſed gratia Dei mecum.* Sic pro Plancio: *Quum enim illi Iudices, ſi Iudices, & non parricidæ patriæ nominandi ſunt*; Et in eadem: *Brunduſium veni, vel potiùs ad mœnia acceſſi.* Et Verrina 7. *O clementiam populi Romani, ſeu potiùs patientiam miram, & ſingularem.* Huius generis eſt aculeata illa correctio, quam habes pro Cœlio. *Quod quidem facerem vehementiùs, niſi intercederent mihi inimicitiæ cum iſtius mulieris viro, fratrem volui dicere, ſemper hic erro.* Et 2. Officiorum: *Italiam ornare, quam domum ſuam maluit, quamquam Italiâ ornatâ, domus ipſa mihi videtur ornatior.*

Interdum (9) *correctio* inſtituitur per (12) *reduplicationem*, quam (12) *anadiploſim* dixerunt, vt non contrarium, ſed plus dicatur, quomodo Æneas ait ſe vidiſſe Deiphorbum, habentem ora lacera, nec tantum ora, ſed etiam manûs.

Quando verò (13) *reduplicatio*, ſeu (5) *repetitio* fit ad ſubtexendam cauſam, tunc non videtur eſſe (9) *correctio*, vt

Ad Cœlum infœlix ardentia lumina tollens,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

(14) *Correctionis* maximus vſus eſt ad amplificandum, & mouendum, vt ait Quintus Cornificius nempè Magiſter Herennianus. *Commouetur hoc genere animus auditoris: res enim communi verbo elata, tantummodo dicta videtur: ea, poſt ipſius oratoris correctionem, magis idonea fit pronunciatione. Non igitur ſatiùs eſſet, dicet aliquis, ab initio, præſertim quum ſcribas, ad optimum, & lectiſſimum verbum peruenire? Eſt quum non eſt ſatiùs, ſi commu-*

 tatio

tatio verbi id erit demonſtratura, eiuſmodi rem eſſe, vt quum eam communi verbo appellaris, leniùs dixiſſe videaris, quum ad electiùs verbum accedas, inſigniorem rem facias. Quòd ſi continuò veniſſes ad id verbum, nec rei, nec verbi gratia animaduerſa eſſet.

(15) *Paromologia*, quod ſchema Latinè Confeſſio dicitur contingit quum rem vnam, aut plures aduerſario concedimus, ſed deinde inferimus aliquid, quod vel maiùs ſit, quàm ſuperiora, vel quod iam poſita infirmet: vt, *Sume hoc ab Iudicibus noſtrâ voluntate, neminem illi propiorem cognatum, quàm te fuiſſe, concedimus, officia tua nonnulla in illum extitiſſe, ſtipendia vos vnà feciſſe aliquandiù, nemo negat; Sed quid contra teſtamentum dicis, in quo ſcriptus hic eſt?* Sic. *Iam id peccatum primum, magnum; magnum, at humanum tamen.* Sic in Ligariana: *Habes igitur Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum: ſed tamen ità confitentem ſe in ea parte fuiſſe, quâ te Tubero, quâ virum omni laude dignum, patrem tuum. Itaque priùs de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarij vllam culpam reprehendatis.*

(16) *Confeſſioni* proximum eſt ſchema appellatum (17) *antiſagoge*, quod Latinè (17) *Compenſatio* dici poteſt, & fit quum aliquid difficilè, & contrarium confitendum eſt, ſed ex oppoſito, contrà inijcitur aliquid, non minùs firmum, vt; Difficilis quidem ratio belli gerendi, at plena ſpei, plena pietatis. Vel, magnus labor, multa pericula proponuntur, at gloria ex his immortalis eſt conſequutura.

(18) *Epitrope*, quod Latinis eſt (18) *Conceſſio*, hoc à Confeſſione differt, quòd Confeſſio det totum, (18) *Epitrope* verò partem; fit enim, quum quippiam petimus, quod, ſi impetrare non poſſumus, licet iniquum ſit negari, tamen eius partem concedimus, vt reliquum feramus, vt pro Roſcio. *A Chryſogono peto, vt pecuniâ fortuniſque noſtris contentus ſit, ſanguinem, & vitam ne petat.* Et pro A. Cluentio, de inuidia loquens ait. *Dominetur in concionibus, iaceat in iudicijs: valeat in opinionibus, ac ſermonibus imperitorum, ab ingenijs prudentium repudietur.* In Verrina 7. habes conceſſionem fictam hoc modo. *Sit ſacrilegus, ſit flagitiorum omnium vitiorumque princeps, at eſt bonus Imperator, ac felix, & ad dubia Reipubl. tempora reſeruandus.* A (19) *confeſſione* parum abludit (20) *ſyncoreſis*, quæ Latinè appellatur (20) *permiſſio*, nam eò tantùm ab ea differt, quòd

quòd hæc ſit facti, illa verò dicti. Veræ (21) *permiſſionis* exemplum eſt apud Magiſtrum Herennianum. *Quoniam omnibus rebus ereptis, ſolum mihi ſupereſt animus, & corpus, hæc ipſa, quæ mihi de multis, ſola relicta ſunt, vobis, & veſtræ condono poteſtati: vos me, quo pacto vobis videbitur, vtamini, atque abutamini licebit impunè, in me quicquid libet ſtatuite, dicite, atque obtemperabo*. Fictæ verò (13) *permiſſionis* exemplum eſt apud Ciceronem pro Flacco. *Litemus igitur Lentulo, parentemus Cethego, reuocemus eiectos, nimiæ pietatis, & ſummi amoris in patriam, viciſſim nos pœnas, ſi ità Dijs placet, ſufferamus*. Sic apud Salluſtium Adherbalis Senatui ſcribit. *Quoniam eo natus ſum, vt Iugurthæ ſcelerum oſtentui eſſem, non iam mortem, neque ærumnas, tantummodò inimici imperium, & cruciatus corporis deprecor, Regno Numidiæ, quod veſtrum eſt, vti libet, conſulite, me ex manibus impijs eripite*. De permiſſione Quintus Cornificius ſic docet. *Hoc genus, tametſi aliàs quoque nonnumquam tractandum eſt, tamen ad miſericordiam commouendam vehementiſſimè eſt accommodatum.*

(22) *Prolepſis*, aliter conſideratur à Grammaticis, aliter à poëtis, aliter verò ab Oratoribus. Grammaticis ſiquidem (22) *prolepſis* tunc eſt, quum poſtquam dixerimus de toto, ſubijcimus de partibus: ſiue, quum res ſub vna proprietate diſtribuuntur ad res diuerſas abſque copula, adeout eueniat apparens aliqua incongruitas, vt apud Virgilium.

Conuenimus ambo,
Tu calamos inflare leues, ego dicere verſus
Hic corulis miſtas inter conſedimus vlmos.

Et Æneidos 12. Interea Reges, ingenti mole Latinus.

Poëtis verò, (22) *prolepſis* eſt, quum ſuæ perſonæ circumſtantias, alteri attribuunt, vt quum apud Plautum tam Soſias, quàm Mercurius per Herculem iurant, quum tamen tempore argumenti Comædiæ, Hercules natus nondum foret. Sic Æneidos 1. dicitur *Lauinaque venit Littora*, quum tamen Æneæ tempore, Lauinium conditum nondum foret. Sic quum Anna dicit *Latéque furentes Barcæi*, Barcæorum tamen vires, longo poſt tempore floruerunt. Sic Ouidius 2. Metamorphoſeos diluuium deſcribens, nauigiorum meminit, quum tamen ipſemet, Argum dicat fuiſſe primam nauem, quæ mare ſulcaret, aliquibus poſt ſeculis ædificatam. Pythagoram etiam inducit de Athenis, & Thebis loquentem, non vt erant Pythagoræ tempore, ſed ipſius poëtæ.

In ſacra etiam ſcriptura prolepſis, iuxta hanc acceptionem; inuenitur, nempe per anticipationem, vnde Auguſtinus libro quæſtionum ſuper Leuiticum capite 23. ait *Veſtem ſacerdotalem, quæ magnum continet ſacramentum, Aaron iubetur accipere, & ſucceſſores eius ſummi ſacerdotes in Exodo capite 19. antequam omnino aliquid de ſanctificandis, & quodammodo ordinandis ſacerdotibus præcipitur, quando, Moyſe aſcendente in montem, iubentur non accedere ſacerdotes, quos intelligere alios non poſſumus, niſi filios Aaron, non quia iam ſacerdotes erant, ſed quia futuri erant; hoc eos iam ſcriptura appellauit per anticipationem, ſicut ſunt pleræque talium loquutionum. Nam & filius Naue, Ieſus appellatus eſt, quum longe poſtea hoc nomen ei ſcriptura narret impoſitum.* Hæc Auguſtinus. Sic Exodi 3. mons Horeb appellatur mons Dei, is tamen poſtmodum hoc nomen ſortitus eſt, ob Dei viſionem, vel quia ad ipſum Deus legem daturus, deſcendit. Sic Iudicum 15. quum Samſon cæcidiſſet hoſtium crus, & femur, nempe equites & pedites, dicitur, Philiſthæos, collecto exercitu, caſtrametatos eſſe (22) *in lechi*: ſed paulò poſt hoc nomen impoſitum legitur, quum videlicet Samſon in maxilla aſini eos deleuit: (23) *lechi*: namque idem eſt, ac (24) *Siagona*, nempe maxilla.

At rhetoribus (22) *prolepſis* tunc accidit, quum id, quod contra nos dici poteſt, anticipamus, atque diluimus: ſiue quum id, quod in aduerſarij cauſa, aut Iudicis opinione, nobis contrarium, ſiue eſt, ſiue eſſe arbitramur, nos dicere ac diſſoluere præoccupamus. Dicitur etiam hoc ſchema (25) *procatepſis*, & (26) *apanteſis*, à Latinis verò occupatio, vel ante occupatio, & anticipatio, & præſumptio, &, à ſui parte poſteriori, ſubiectio. Sic pro Cœlio: Dicet aliquis *Hæc igitur eſt tua diſciplina? Sic tu inſtituis adoleſcentes? Ob hanc cauſam tibi hunc puerum parens commendauit, & tradidit, vt in amore, & voluptatibus adoleſcentiam ſuam collocaret, & hanc tu vitam, atque hæc ſtudia defenderes? Ego, ſi quis, Iudices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit, vt reſpueret, omnes voluptates, omnemque vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione conficeret, quem non quies, non remiſſio, non æqualium ſtudia, non ludi, non conuiuia delectarent, nihil in vita expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude, & dignitate coniunctum, hunc meâ ſententiâ diuitibus quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuiſſe arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omneſque eos qui hæc ex minimis tanta fecerunt.*

Verùm

Verùm hæc genera virtutum non ſolum in moribus noſtris, ſed vix iam in libris reperiuntur: chartæ quoque quæ illam priſtinam ſeueritatem continebant, obſoleuerunt. Ergo hæc deſerta via & inculta, atque interclusa iam frondibus & virgultis relinquatur, detur aliquid ætati, ſit adoleſcentia liberior. Sic in Maniliana *Requiretur fortaſſe nunc quemadmodum, quum hæc ita ſint, reliquum poſſit eſſe magnum bellum. Cognoſcite Quirites: non enim ſine cauſa quæri videtur. Primum ex ſuo Regno ſic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medæa illa quondã profugiſſe dicitur etc.* Sic pro Archia *Sed ne cui veſtrũ mirum videatur, me in quæſtione legitima, & in Iudicio publico, quum res agatur apud Prætorem populi Romani, lectiſſimum virum, & apud ſeueriſſimos Iudices, hoc vti genere dicendi &c.* Sic pro Poſthumo: *At habet, & celat, ſunt enim qui ita loquantur: Quod genus eſt tandem iſtud oſtentationis, & gloriæ? Si nihil habuiſſet vnquam, tamen ſi quæſiſſet, quur is diſſimularet habere, cauſa non eſſet. Qui verò duo lauta & copioſa patrimonia accepiſſet, Remp. præterea bonis & honeſtis rationibus auxiſſet, quid eſſet tandem cauſæ quur exiſtimari vellet nihil habere?* Vnde conſtat non ſemper (22) *prolepſim* fieri per interrogationem, quod maximè apparet ex ijs, in quibus Cicero exorditur ex (22) *prolepſi*, vt primum Officiorum, Milonianam, Rabirianam, Roſcianam, & primam Verrinam.

Partes autem (22) *prolepſis* ſunt, (28) *hypophora*, & (29) *antipophora*. (28) *Hypophora* eſt ratio aduerſarij, quæ colligitur ex rerum, quas dicimus, natura, vel ex ingenio, conditione, & moribus hominum, apud quos dicimus. At (29) *antipophora* eſt rationis illius ſolutio. Vnde hoc ſchema à priori parte dicitur occupatio, à poſteriori verò ſubiectio. Poſſunt etiam multa, ſiue per interrogationem, ſiue citrà eam obijci, & vnicuique ſua ſubdi reſponſio, quæ eſt continuata (22) *prolepſis*, vt in Quintiana: *De re pecuniaria cupio contendere, non licet: at ea controuerſia eſt: Nihil ad me attinet, cauſam capitis dicas, oportet. Accuſa, vbi ita neceſſe eſt: Non, inquit, niſi tu ante, nono modo, priori loco dixeris: dicendum neceſſario eſt, præſtituenda hora ad arbitrium noſtrum &c.*

Ponuntur à quibuſdam aliæ duæ partes (27) *prolepſis*, nempè (30) *protaſis*, & (31) *antiprotaſis*, quarum illa rationi, hæc ſolutioni aliqui præmittit: Sed iſtæ, vt ornatûs gratiã nonnumquam ponuntur, ita vt minùs neceſſariæ ſæpiùs prætermittuntur.

(32) *Chroma*, eſt laus mixta vituperio, vt (33) *Tydæus corpore paruus*

paruus erat, ſed idem bellator. Vel *Sponſus quidem formoſus, ſed minimè cordatus*. Sic apud Naſonem 2. Faſtorum:

Vltima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna: vir iniuſtus, fortis ad arma tamen.

(35) *Antitheſis* accidit, quum verbum verbo redditur pari poteſtate contrarium, vt

Seque nouo veterum deceptum errore locorum.

Vel,

Voluitur ille, vomens calidum de pectore flumen Frigidus.

Aliqui (36) *antitheſin* ſub (37) *antithetis* comprehendunt: & reuerâ, ſi diſtinguere libeat, aliud diſcrimen inuenire non poſſum, niſi forte, quod in (37) *antithetis* opponantur nomina, ſiue verba, in (35) *anatheſi* verò epitheta, vt apud Plautum in Aſinaria:

Vbi viuos homines, mortui incurſant boues:

& apud Liuium lib. 33. *Sed quam Vrbs ipſa opportuna oppugnantibus erat, ita inexpugnabiles hoſtium animi.* Sic apud Varronem *Neque in bona ſegete nullum eſt ſpicum nequam, neque in mala non aliquod bonum.* Antitheta verò ſunt, quum contraria contrarijs opponuntur, quæ, Tullio teſte, etiam ſi id non agas, numeroſè cadunt, vt, *Domus tibi deerat? at habebas: pecunia ſuperérat? at egebas.* Sic, *In pace, ad vexandos ciues, acerrimus: in bello, ad expugnandos hoſtes, inertiſſimus.* Sic pro Poſthumo: *Neque verò me pœnitet, mortales inimicitias, amicitias ſempiternas habere.* Sic Seneca de conſolatione ad Polybium: *Omnium ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius induſtria, omnium vacationem illius occupatio.* Sic Epicurus apud Laërtium *Melius eſt ſapientèr infœlicem, quàm inſipienter fœlicem vitam agere.*

(38) *Antimetabole*, ſeu mauis (39) *antimetatheſis* à Latinis Commutatio dicitur; Eſt autem, contrarietas ſenſûs cum verborum tranſpoſitione, quæ ratione verborum pertinet ad Epanodon, refertur autem ad hoc ſchema ratione ſenſûs. Sic Demoſthenes: *Vſque adeò erratis Athenienſes, vt per quas è ſecundis aduerſæ ſunt factæ res Ciuitatis, per eas ſperetis ex aduerſis fore ſecundas.* Sic Cato Maior apud Muſonium dicebat: *Si quid feceris pulchrum cum labore, labor quidem abit, ſed pulchrum manet: ſin turpe feceris cum voluptate, voluptas abit, at turpe manet.* Sic Tullius *Verè dici poteſt, Magiſtratum eſſe legem loquentem, legem autem, mutum Magiſtratum.*

tum. Sic idem pro Rege Deiotaro *In dominatu ſeruitus, in ſeruitute dominatus*. Sic Tacitus 2. Hiſtoriarum: *Neque Paullinum, quâ prudentiâ fuit, ſperaſſe, corruptiſſimo ſeculo, tantam vulgi moderationem reor, vt qui pacem, belli amore turbauerant, bellum pacis charitate deponerent*. Sic Quintilianus libro 1. cap. 10. *Vt nouorum optima erunt maximè vetera, ita veterum maximè noua*. Sic Cornificius: *Eſſe oportet vt viuas, non viuere vt edas*. Plurima ſubiecimus exempla, vt quoniam hoc exornationis genus difficile inuenitur, foret ſanè dilucidum, vt quum bene eſſet intellectum, faciliùs quoque dicendo inueniretur. Contrarium quoque, & quidem in eiſdem numero verbis, retrogrado tantùm numero lectis, ſiue pronunciatis, & quod maiùs eſt, facientibus, vt ab vno, puta ab Abele dictis, hexametrum, vt verò ab alio, puta, Caino, pentametrum, ſic ſe habent:

Sacrum pingue dabo, non macrum ſacrificabo,
Sacrificabo macrum, non dabo pingue ſacrum.

In hoc tamen nullum eſt ſchema.

(40) *Antimetatheſi* vicinum eſt ſchema (41) *diallelon*, (42) *chiaſton*, (43) *Stereptolyton*, (44) *enagonion*, (45) *diagonion* dictum, Latinè verò implicatum, ſolutum, & ſubiecti mali amolitio, dicitur. Et fit tàm cum reciprocatione verborum. Et ita habet (46) *Epanodon*, & ratione elegantiæ pertinet ad ſchemata verborũ, vt doctis diſertior, diſertis doctior: & ſine reciprocatione, & ità eſt tantùm huius locis, vt Iuſtis fortior, fortibus iuſtior, habet (46) *epandon*, (40) *antimetatheſin*, ac (41) *diallelon*. Si verò dicas Iuſtis fortior, potentibus æquior, erit (43) *Chiaſton* tantum. Sic Athenarum Vrbs, dicta fuit, iuſtitiam colentibus validior, & potentiâ inſtructis æquior. Dicitur verò hoc ſchema (43) *Stereptolyton*, quia ex æquiualentibus ſoluit dicta: (44 *enagonion* verò, quia videtur habere certamen in inductione ſenſuum: (42) *Chiaſton* autem, quia duarum propoſitionum, Exempli cauſa, iuſti, & potentis, quod oportebat dare iuſto, dat potenti, & quod potenti, dat iuſto, ſenſum commutans. Latinè verò dicitur ſubiecti mali amolitio, quia id ſubducit, nempe iuſtis facile pati iniuriam: & fortibus iniuriam facere, ſuſtulit vtrumque, quum ait, eſſe iuſtum, & iniuriam non patientem, eſſe fortem, & eam non facientem.

(48) *Antiſtrophe*, Latinis Conuerſio dicitur, ab alijs (49) *violentum*, quia id, quod dictum fuerat, retorquetur in aduerſarium,

rium,

rium. Hoc autem, quatenùs probat, pertinet ad doctrinam argumentorum, & de eo actum libro 1. quatenùs verò eleganter ſententiam inuertit, & exornat, huius eſt loci, & quaſi ſpecies (38) *commutationis*. Sic quum Romulus ad cœnam inuitatus, & quia ſequenti die nogocium illi imminebat, parum biberet, audiſſet: *Si hoc omnes facerent homines; vinum vileſuturum*; reſpondit ipſe. *Immò carius fuerit, ſi quiſque bibat quantum volet, nam ego quantum volui bibi*. Sic, quum Dominus dixiſſet: *non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, Chananea reſpondit, *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum*.

(50) *Synichioſis* ſchema, tunc accidit, quum colligantur duæ res diuerſæ, vt *Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet*: Fit etiam hoc ſchema quandocumque idem tribuitur contrarijs, vt vtraque peſſima, & immoderata ſeruitus, & immoderata libertas. Appellatur etiam hoc ſchema (51) *Syſcheuſis*, vel (52) *ſyſcheuaſia*, eò quòd docet coniungere res diuerſas, & cum ratione, opinioni communi aduerſari, & habet magnam vim, vel ex laude vituperium, vel ex vitio laudem expromendi, Latinis dicitur Commixtio, vel Confuſio & Communicatio,

(53) *Oxymoron*, quaſi dicas. Acuti fatuum, fit, quum idem negatur de eodem, vnde fit, vt primâ facie fatuè dictum videatur, quod poſteà acutè fuiſſe dictum cognoſcitur, vt

Quæ ſcis in vulgum vulgas, artem expromis inertem,

Et apud Cicerone in Catone maiore

Quo vobis mentes rectè quæ ſtare ſolebat
Ante hac, dementes ſeſe flexere viai.

Et apud eumdem 3. de Oratore *Qua tempeſtate paris Helenam* (54) *innuptis iunxit nuptijs*, Plautus in Penulo ait

Venus non eſt Venus, hanc quidem Venerem venerabor.

Terentius in Eunucho

Tu pol ſi ſapis
Quod ſcis, neſcis.

Et ibidem

Omnia habeo, nec quidquam habeo, nihil quum eſt, nihil deſit tamen.

Varro. *Bellaria ea maximè ſunt mellita, quæ mellita non ſunt*, ideſt Quæ cum melle non ſunt cocta, ſunt gratiora. Cicero in Lelio. *Amici, & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent &, quod difficiliùs dictu eſt, mortui viuunt*. Manilius:

Illis

Illis in ponto iucundum eſt quærere pontum

Martialis

Inque ſuo nullum limine limen erat.

Ennius:

Quæ nec Dardaneis campis potuere perire,
Nec cum capta capi, nec cum combuſta cremari.

Naſo 2. Metamorphoſeos

Et dedit amplexûs, iniuſtaque iuſta peregit.

Et 1. Metamorphoſeos

Tune es quæſita per omnes
Nata mihi terras? tu non inuenta reperta es.

Et 7. Metamorphoſeos

His vt quæque pia eſt, hortatibus impia prima eſt.

Sic Apoſtolus ad Thimotheum de vidua ait (55) *Nam quæ in delicijs eſt, viuens mortua eſt.* Auguſtinus: *Plane poſſumus dicere hæreticorum frontem non eſſe frontem, ſi non membrum, quod fecit Deus ſignificare intelligamus frontis nomine, ſed pudorem.* Auſonius

Gratia (56) quæ tarda eſt, ingrata eſt, gratia namque,
quum fieri properat, gratia grata magis.

Euripides etiam ait (57) *Gratia ingrata perſequens Deos.* Ipſa quoque vox (58) *oxymoros*, oxymoron habet primâ namque facie, repugnat aliquid dici acutè, & ſimul fatuè,

1 σχήματα διανοίας 2 σχήματα λέξεος 3 διαπόρησις 4 απορία 5 παράδοξον 6 ἀπροσδόκητον 7 παραπροσδοκία 8 Α῎γε νυῦ τάς ἀμυγδαλάς λαβὼν τασδί, κάταξον τῆν κεφαλὴν σαυτȣ̃ λίτῳ 9 Ἐπανόρθωσις 10 ἐπιδιόρθωσις 11 μετάνοια. 12 ἀναδίπλωσιν 13 αναδίπλωσις 14 ἐπανορθώσεως 15 Παρομολογία 16 παρομολογία 17 ἀντεισαγώγη 18 Ἐπιτροπὴ 19 ἐπιτροπῆς 20 συγκώρησις 21 συγκωρήσεως. 22 πρόληψις 23 λεχὶ 24 σιαγόνα 25 προκατάληψις 26 ἀπάντησις 22 πρόληψιν 27 προλήψεως 28 ὑποφορά κὶ 29 ἀντιποφορὰ 27 προληψεῶς. 30 πρότασις κὶ 31 ἀντιπρότασις 32

Κράμα 33 τυδεὺς τοῖ μηκρὸς μὺν εὺν δέμας ἀλλὰ μαχητὴς 36 Μνηςὴρ δεκαλὸς μὲν, ἐδὲ φρενήσης 35 ἀντίθέσις 36 ἀντίθεσιν 37 ἀντιθέτοις 38 ἀντιμεταβολῆ. 39 ἀντιμετάθεσις. 40 Ἀντιμεταθέσει 41 διάλληλον. 42 χιαςὸν 43 ςερεπτόλυτον 44 ἐναγόνιον 45 διάγονιον 46 ἐπάνοδον 47 ςηρεπτόλυτον 44 ἐναγώνιον 42 χιαςὸν 48 ἀντιςροφῆ 49 βίαιος 36 ἀντιμεταβολῆς 50 συνοικείωσις 51 συσχεύσις 52 συσχευασία 53 Ὀξύμωρον 54 γάμοις ἀγάμοις 55 ἡ δε σπαταλῶσα, ζῶσα τέθνηκε 56 Ἀχάρις ἀβραδύπυς ἄχαρις χάρις 57 χάρις ἀχάριςον εἰς θεὺς διδὺσα 58 Ὀξύμωρος.

CAPVT QVARTVMDECIMVM.

De Schematibus quæ ſermonem figurant ratione tam rei, quàm perſonæ.

HViuſmodi in primis eſt (1) *Parreſia*: Latinorum aliquī illud vocant effrænationem, alij licentiam: ſed meliùs dicetur Libertas, quæ tamen non ſemper eſt ſchema, ſed tunc tantum, quum ad cauſæ propoſitæ, facit vtilitatem, quando; quia periculum eſt, ne illi apud quos loquimur, quos fortaſſe vereri deberemus, ob huiuſcemodi libertatem, indignentur, conuenit liberè quidem dicere, ſed tamen cum quadam venuſtate, gratia, ac lepore: oportet etiam tunc præmunire hanc libertatem, petitione veniæ, vel laudando, antequam obiurgemus, vel noſtrum teſtando affectum, vel, proprium oſtendendo dolorem ob illorū delicta, vel communicando; Ex quibus fit in iſtius modi ſermone eſſe aliquem geſtum, à communi vſu remotum, & propterea non eſſe quur (1) *parreſiam* à ſchematum numero excludamus. Eius verò exemplum habemus apud Virgilium:

Dicam equidem, licet ille mortemque minetur.

Illuſtris (2) *parreſia* exemplum nedum ad cauſæ vtilitatem facientis, ſed & quæ ſummè auditorem, & iudicem comendet, eſt

eſt in Ligariana. *Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, iudicio meo, ac voluntate, ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te &c.* Illuſtris etiam apud Herodotum, quando cæteris, præ metu, Cambyſen laudantibus, ac eum Cyro, eo nomine præferentibus, quòd Ægiptum paterno adieciſſet Regno, Crœſus ita ait *Mihi quidem Cyri fili, non videris patri ad æquandus, nondum enim tibi eſt filius, qualem ille nobis reliquit.* Quæ figurata reprehenſio, Senecâ teſte, plus habuit adulationis, quam magnifica aliorum encomia.

(3) *Erotaſis*, Latinè interrogatio, ponebatur inter ſchemata verborum, eò quòd, ſi oratio vertatur in rectam, manet nihilominùs ſententia, vt

Quid non mortalia pectora cogis,
Auri ſacra fames?

Nil non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames. Eſt etiam ſchema ſententiæ, quia interrogatio primò ineſt rei, non verbis, maximè quum quibuſcumque verbis ſubſtitutis, ac quocumque poſitis ordine, maneat ſchema, vt *Patêre tua conſilia non ſentis?* Non ſentis conſilia tua patêre? Non animaduertis nos reſciſſe quæcumque ſtatueras? &c. Quod ſi dicas: Patent tua conſilia, nedum alia ponuntur verba, verum & ipſa ſententia aliqualitèr immutatur, nam quàmuis interrògatio rectæ orationi (4) *æqualem habeat vim*, hoc tamen eſt per accidens; per ſe namque, & ex propria natura, plurimum differt, quia oratio recta, quum ſit (5) *enunciatiua* verum dicit, aut falſum, contrà quam fiat in interrogatione, & alijs orationibus imperfectis.

Sed quicquid ſit de ſimplici interrogatione, ſaltem inter (6) *ſchemata ſententiarum* reponenda eſt ea (3) *interrogatio*, cui ſubijcitur reſponſio, quæ ſubiectio appellatur, vt in Roſciana *Quid ergo? audaciſſimus ego ex omnibus? minimè. At tantò officioſior, quàm cæteri? Ne iſtius quidem laudis ita ſum cupidus, vt alijs eam præreptam velim. Quæ me igitur res præ cæteris impulit, vt cauſam Sexti Roſcij reciperem? Quia ſi quis iſtorum dixiſſet, quos videtis adeſſe, in quibus ſumma authoritas eſt, atque amplitudo, ſi verbum de Rep. feciſſet, id, quod in hac cauſa fieri neceſſe eſt, multò plura dixiſſe, quàm dixiſſet, putaretur.* Sic pro Archia *Quæret quiſpiam quid illi ipſi ſummi viri, quorum virtutes litteris proditę ſunt, iſta ne doctrinâ, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt. Difficile eſt hoc de omnibus confirmare &c.*

Tt 2 Nec

Nec ſubiectio eſt ea (7) *praeoccupatio*, cuius (8) *ratio* inſtituitur per (9) *interrogationem*, ſiquidem latiùs ſubiectio patet; videmus enim aliquando interrogationem, & ſubiectionem ad (10) *ſolutionem* pertinere, vt in Maniliana *Quid tam nouum, quam adoleſcentulum priuatum exercitum, difficili Reip. tempore, conficere? confecit. Huic præeſſe? prefuit. Rem, optimè ductu ſuo gerere? geſſit: Quid tam præter conſuetudinem quàm homini peradoleſcenti, cuius à Senatorio gradu ætas longe abeſſet, imperium, atque exercitum dari? Siciliam permitti atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum? Fuit in his Prouincijs ſingulari innocentiâ, grauitate, virtute: bellum in Africa maximum confecit, victorem exercitum deportauit. Quid vero tam inauditum quàm equitem Romanum triumphare? At eam quoque rem populus Ro. non modo vidit, ſed etiam omni ſtudio viſendam putauit. Quid tam inuſitatum quam vt, quum duo Conſules clariſſimi, fortiſſimique eſſent, eques Romanus ad bellum maximum formidoloſiſſimumque pro Conſule mitteretur? miſſus eſt.* Hinc perpetuum non eſt, quod quidam dicunt, ſubiectione quæri ab aduerſario, quid ab illo, aut contrà nos, dici poſſit; nam Cicero pro Archia habet *Quæres à nobis Gracche, quur tantoperè hoc homi[n]e delectemur? Quia ſuppeditat nobis, vbi & animus ex hoc forenſi ſtrep[i]tu reficiatur, & au[r]es conuicio deſeſſæ conquieſcant*; Nec vlla (7) *præoccupatio* eſt Matthei 11. *Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtitum? ecce qui mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis & pluſquam prophetam*. Subiectio ergo generalitèr dici poteſt, quando nos ipſi interrogamus, & reſpondemus, alitèr interrogatio ad (11) *præoccupationem* pertinet, vt ibi dicebamus.

(12) *Ecphoneſis*, Latinè dicitur exclamatio, quæ fit quandocumque ad rei magnitudinem extollendam, vox eſt attollenda, vt in illo Iuuenalis

Sed quæ reuerentia legum,

Quis metus, aut pudor eſt vnquam properantis auari?

Nunc vero anguſtius (13) *exclamationis* voce vtimur, pro oratione in qua interiectio, ſiue expreſſa, ſiue intellecta, indicat animi affectum, quapropter, & pronunciatio ad rei magnitudinem indicandam, eſt intendenda, vt, O tempora! o mores! Verrina 3. *ò ſcelus, ò portentum in vltimas terras exportandum!* Neque ſemper interiectione eſt opus, nam (13) *exclamatio* quo-

que

que erit, ſi ea omiſſa dicatur, me miſerum! Effertur etiam per (9) *interrogationem*; vt Æneidos 2.

Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere?

Fit (12) *exclamatio*, vt & iuramenta, per chariſſima quæque, & per numina, vt apud Terentium

Pietatem nati! nonne te miſeret mei?

Et apud Catullum

Doctis, Iuppiter, & laborioſis. Item
Di magni, Salaputium diſertum.

Epicurus, & eius diſcipuli, maximè Metrodorus, exclamationem vſurpabant per Deos, vnde ipſis obiecti fuere ſacri clamores. Deſeruit etiam hoc ſchema, ironiæ, vt in Piſoniana. *O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos; O amentem Paulum, ruſticum Marium, nullius conſilij patres iſtorum amborum Conſulum qui triumpharunt.* Eo etiam vtimur in votis, vt Penelope apud Naſonem

O vtinam tunc, quum Lacedemona claſſe petebat,
Obrutus inſanis eſſet adulter aquis

Apud oratorem hoc ſchema locum tunc habet, quum res magnas perſuaſerit, nam in friuolis, & controuerſis id adhibere, putidum, frigidum, ac ridiculum erit.

(13) *Proſphonema*, ſeu (14) *epiphonema* Græcis, quod Latinis dicitur Acclamatio, fit, quum poſt rem aut factum narratum ſubditur oratio, quæ ſit quaſi coronis, extrinſecùs adſumpta, non tamen à materia prorſus aliena, vt apud Lucretium poſt deſcriptum quomodo Agamemnon Iphianaſſum, ſeu Iphigeniam filiam immolarit, ſubditur:

Tantum Religio potuit ſuadere malorum.

Sic apud Iuſtinum, poſt narratum quomodo ſeptem Satrapæ, occiſis Tyrannis, conuenerint de Regno dando ei, cuius equus primò hinniſſet, & quomodo Darij equus primò hinnijt, & quòd alij ſex eum ſtatim adorarint, & Regem ſalutarint, ſubditur: *Ita faciliùs ſumma Imperia tum cedebant, quàm nunc fratres exiguas diuidunt hæreditates.* Tale eſt illud:

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Nec tunc tantum eſt [14] *acclamatio*; quum orationi apponitur *ſententia*, ſed etiam, quum ei ſubijcitur pronunciatum aliquod, ſummam rei continens, vt, Maro poſtquam [15] *per ſubiectionem*

ſub

ſub aſpectum deſcripſit tempeſtatem, & procellam, quâ Cœlum fuerat obſcuratum, ſubdit

Ponto nox incubat atra.

Et 4. Æneidos de Didone ait:

Tantos illa ſuo rumpebat pectore queſtus.

Vnde nec omnis *ſententia* eſt [16] *acclamatiua*, nec omnis *acclamatio* eſt [17] *ſententioſa*.

Poteſt acclamatio eſſe cum admiratione, & citrà eam. Cum admiratione eſt in exemplis adductis, prçterquam in vltimis Virgilij: ſine ea eſt in Verrem: *Vna atque eadem nox erat, quâ Prætor amoris turpiſſimi flammâ, ac claſſis populi Romani incendio conflagrabat.* Et in Quintiana: *Iuſsit bona proſcribi eius, qui cum familiaritas fuerat, ſocietas erat, affinitas, liberis iſtius viuis, diuelli nullo modo poterat.* Immò multa fiunt [18] *acclamatiuè ſententioſè* abſque admiratione, præcipuè, quum adduntur ad confirmationem dictorum, vt in Miloniana: *Pudicitiam quum eriperet militi, Tribunus militaris in exercitu C. Marij, propinquus eius Imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat: Facere enim probus adoleſcens periculosè, quàm perpeti turpitèr maluit.* Sic apud Herodotum Gyges ait Candauli *Quoniam tu Domine, ſermonem edis non ſanum, qui me iubeas nudam aſpicere heram meam, vnà cum tunica pudorem exuere ſolet mulier.* Maro quoque, quum oſtendiſſet quoduis animal aliqua ex re delectationem capere, ſubiecit:

Trahit ſua quemque voluptas.

Differunt autem (1) *exclamatio*, & [3] *acclamatio*, quod illa ſit [19] *affectûs*, hæc (20) *moris*: [21) *à ſententia* verò differt (14] *acclamatio* quòd illa ponatur maximè in principijs, hæc ſemper in fine Adhibetur tandem ad ornandum, & confirmandum, & conuenit potiſſimum admiranti, vnde oritur laudatio, vel irato, aut conquerenti, quum ineſt reprehenſio.

[22] *Noema*, Latinis eſt Cogitatio, ideſt perſonæ alicui accommodata ſententia: vt, *ſententia* eſt, Qui in ſua re fuere egentiſſimi, inſolentes eſſe ſolent in aliena [22] *Cogitatio* verò eſt in Roſciana *Qui quum in ſua re fuiſſet egentiſsimus, erat, vt fit, inſolens in aliena.* Sic, *ſententia* eſt: Pleriſque charior eſſe ſolet pecunia, quàm virtus: [22] *Cogitatio* verò eſt apud Salluſtium: *Paucis charior fides, quàm pecunia fuit*; Vnde [22] *cogitatio* eſt *ſententia* tectior, ſeu alluſio ad ſententiam, & propterea appellatur

[22] *co-*

[22] *cogitatio*, quia cogitatione, ex alicuius facto eruitur ſententia.

[23] *Cogitationi* vicina eſt [24] *Chria*, quæ accidit, quum [23] *cogitationi* adiungitur author, vnde definitur quòd ſit memorabile, ac breue dictum, relatum ad authorem, vt Salubriter præcipit Seneca Epiſtola 10., ſic viuendum cum hominibus, tamquam Deus videat, ſic loquendum cum Deo, tamquam homines audiant. Nil autem faciliùs quàm ex *ſententia* facere [25) *Cogitationem*, & ex hac [26) *Chriam* vel è contra, vt ſententia eſt in illo Naſonis *Omne ſolum forti patria*: [22) : *Cogitatio* fuerit: Teucro patria erat, vbicumque ei bene erat (24] *Chria* verò erit: Teucer in veteri Tragœdia, vt eſt apud Tullium 5. Tuſculanarum, dicebat, Patria eſt, vbicumque eſt bene.

Et hæc de ſchematibus, quorum numerum eſto aliqui augeant, viſum nobis hęc ſola exponere, nam cætera, vel non ſunt, vel non neceſſaria. Quoad eorum vſum, cauendum, ne nimis condenſentur; nam quod in Alcidamante reprehendit hic Ariſtoteles, quod epitheris vteretur, non vt ſcitamentis, ſed vt alimentis, id vniuerſè in [27] *troporum, & ſchematum* vſu, nos debet reddere cautiores; patiaris ergo æquo animo, ſchema aliquod omittere, memor, hæc eſſe ornamenta, quibus ſi vtaris immodicè, lenocinia euadent, quibus non exornabitur res, ſed mentis detegetur vitium. Natura, flores gramini adſperſit, nec ſiuit ſtellas totum ætheris ſpacium occupare, immò certis conſtituit locis, vt pulchrè Cœlum diſtingueret. Eodem ergo modò collocanda erunt verborum illa, ſententiarumque lumina &c.

(1) παῤῥησία (1) παῤῥησίαν (2) παῤῥησίας (3) Ἐρώτασις (4) ἰσοδυναμεῖ (5) ἀποφαντικὴ (6) σχήματα διανοίας (7) πρόληψις (8) ὑποφορὰ (9) ἐρώτησιν (10) ἀντιπόφοραν (11) πρόληψιν (12) Ἐκφώνησις (13) ἐκφωνήσεως (12) ἐκφώνησις (13) Προσφώνημα (14) ἐπιφώνημα (15) κατὰ διατύπωσιν (16) ἐπιφωνηματικὴ (17) γνωμικον (8) ἐπιφωνηματίων γνωμικῶν (19) παθολογίας (20) ἠθολογίας (21) ἀπὸ τῆς γνωμῆς (22) Νοῦμα (23) νοήμα-

(23) νοήματι (24) χρεία (25) νόημα (26) χρείαν (27) τροπῶν καὶ σχημάτων.

TRACTATVS QVARTVS.

De Characteribus, ſeu Ideis.

CHaracteris vox, ſumpta eſt ab animantibus, à cera, a vaſis, & alijs quæ inuri, aut quibus nota inſculpi, & imprimi ſolet. Apud Oratores [1] *character*, eſt orationis facies, quæ etiam dicitur [3] *idea*, aut forma, vel dicendi genus, ſiue etiam figura; eſtque rei imago, & quaſi pictura, vnde definitur, quòd ſit apta perſonis, ac rebus, orationis forma; vel Dictio, rei cuius eſt nota, ſimilis in ſubſtantia, quantitate qualitate, & alijs. Vt patet in deſcriptione famæ apud Virgilium 4. Æneidos dicentem.

Fama malum quo non aliud velocius vllum
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.
Parua metu primò, mox ſeſe attollit in auras
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, irâ irritata Deorum
Extremam, vt perhibent Cœo Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis
Monſtrum horrendum ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, mirabile dictu
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.
Nocte volat Cœli medio, terræque per vmbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno:
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmina tecti
Turribus aut altis, & magnas territat vrbes:
Tam ficti prauique tenax, quàm nuncia veri.

Famæ enim ſubſtantia, eſt, monſtrum: ingens, ad quantitatem pertinet: qualitas exprimitur per horrendum, & ſic de alijs. Similitudo eſt dictionis cum re, nam in voce, monſtrum, eſt aſperitas, in voce, ingens, magnitudo, & in voce, horrendum, horror ſentitur.

Fiunt

Fiunt characteres diuerſi ob materierum diuerſitatem, ſi quidem alius ornatus decet Principem, alius priuatum: aliud ſchema conuenit militi, aliud agricolæ, vel mercatori. Sic etiam non omnis materia eodem tractanda eſt modo, immò dictionis character, cauſæ attemperandus eſt qualitati, itaut alia ſublimi, alia humili, mediocri alia ſtylo exponantur, Auditorum etiam diuerſum ingenium, hanc exigit idearum diuerſitatem, quorum alij rapidâ ac violentâ, tereti alij, ac ſcitâ, alij cohibitâ, ac mediocri gaudent oratione. Rectè igitur Tullius ab hoc triplici charactere oratorem definit, eſſe eum, *qui ſubtilia humiliter, magna grauiter, & mediocria temperatè dicere poſſit*. Et in Bruto de ſe fatetur: *Tota mihi cauſa pro Cecina de verbis interdicti fuit, res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, verba ambigua diſtinximus. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius, temperatâ oratione, ornandi copiam perſecuti ſumus. Ius omne retinendæ maieſtatis, Rabirij cauſa continebatur: ergo in omni genere amplificationis exarſimus At hæc interdum temperanda, & varianda ſunt. Quod igitur in accuſationis ſeptem libris non reperitur genus? Quod in Habiti? Quod in Cornelij? Quod in plurimis noſtris defenſionibus?*

Magnifici, ſeu grauis characteris exemplum, tale eſt apud Magiſtrum Herennij *Quis eſt veſtrum Iudices, qui ſatis idoneam poſſit in eum pœnam excogitare, qui prodere hoſtibus patriam cogitarit? Quod maleficium cum hoc ſcelere comparari? Quod huic maleficio dignum ſupplicium poteſt inueniri? In eos qui violaſſent ingenuam, matrem familias conſtupraſſent, pulſaſſent aliquem, aut poſtremò necaſſent, maxima ſupplicia maiores noſtri conſumpſerunt: huic truculentiſſimo, ac nefario facinori, ſingularem pœnam non reliquerunt. Atqui in alijs maleficijs ad ſingulos, aut ad paucos ex alieno peccato iniuria peruenit, huius ſceleris, qui ſunt affines, vno conſilio vniuerſis ciuibus atrociſſimas calamitates machinantur. O feros animos! ò crudeles cogitationes! ò derelictos ab humanitate homines, quid agere auſi ſunt, aut cogitare potuerunt! Quo pacto hoſtes reuulſis maiorum ſepulchris, deiectis mœnibus, ouantes irruerent in Ciuitatem, quomodo Deûm ſpoliatis templis, optimatibus trucidatis, alijs arreptis in ſeruitutem, matribus familias, & ingenuis ſub hoſtilem libidinem ſubiectis, Vrbs acerbiſſimo concidat incendio conflagrata. Qui ſe non putant id, quod voluerint, ad exitum perduxiſſe, niſi ſanctiſſima patriæ miſerandum ſcelerati viderint cinerem. Nequeo verbis conſequi, Iu-*

dices, indignitatem rei, ſed negligentiùs id fero, quia vos mei non indigetis: Veſter enim vos animus amantiſſimus Reip. facile edocet, eum, qui fortunas omnium voluerit prodere, præcipitem proturbetis ex ea Ciuitate, quam iſte ſpurciſſimorum hoſtium dominatu nefario, voluerit obruere.

Mediocris verò, ſeu temperati characteris tale exemplum eſt apud eumdem. *Quibuſcum bellum gerimus Iudices, videtis cum ſocijs, qui pro nobis pugnare, & imperium noſtrum nobiſcum ſimul virtute, & induſtria conſeruare ſoliti ſunt. Hi quum ſe, & opes ſuas & copiam neceſſariorum norunt, tum verò nihilominùs propter propinquitatem, & omnium rerum ſocietatem quid in omnibus rebus populus Romanus poſsit, ſcire, & exiſtimare poterant. Hi quum deliberaſſent nobiſcum bellum gerere, quæſo quæ res erat, qua freti, bellum ſuſcipere conarentur? Quum multò maximam ſociorum partem in officio manere intelligerent, quum ſibi non multitudinem militum, non idoneos Imperatores, non pecuniam publicam præſtò eſſe viderent, non denique vllam rem, quæ pertinet ad bellum adminiſtrandum. Si cum finitimis de finibus bellum gererent, ſi totum certamen in vno prælio poſitum putarent, tamen omnibus rebus inſtructiores, ac paratiores venirent, nedum illud Imperium orbis terræ, cui imperio omnes gentes, Reges, nationes, partim vi, partim voluntate conſenſerunt, quum aut armis aut liberalitate à populo Romano ſuperati eſſent, ad ſe transferre tantulis viribus conarentur. Quæret aliquis. Quid Fregellani non ſua ſponte conati ſunt? Eo quidem minùs iſti facile conarentur, quo illi, quemadmodum deſciſſent, videbant; Nam rerum imperiti, qui vniuſcuiuſque rei de rebus ante geſtis exempla petere non poſſunt, ij per imprudentiam facile deducuntur in fraudem: at ij, qui ſciunt quid alijs acciderit, facile ex aliorum euentis ſuis rationibus poſſunt prouidere, Nulla igitur re inducti, nulla ſpe freti arma ſuſtulerunt? Quis hoc credat tantam amentiam quemquam tenuiſſe, vt Imperium Populi Romani tentare auderet, nullis copijs fretus? Ergo aliquid fuiſſe neceſſe eſt Quid aliud, niſi id, quod dico, eſse poteſt?*

In humili, tale exemplum eſt apud eumdem: *Vt fortè hic in balnea venit, cæpit, poſtquam perfuſus eſt, defricari: deinde, vbi viſum eſt, in alueum deſcendere. Ecce, ibi iſte de transuerſo: Heus, inquit, adoleſcens, pueri tui modò me pulſauerunt, ſatisfacias oportet. Hic, qui id ætatis ab ignoto præter conſuetudinem appellatus eſſet, erubuit. Iſte clariùs eadem, & alia dicere cæpit. Hic vix tam-*

dem

dem inquit, ſine me conſiderare. Tum verò iſte cœpit clamare voce iſta, quæ facilè rubores cuiuis eijcere poſſet. Ita petulans es, atque acer, vt ne ad ſolarium quidem idoneus, vt mihi videtur, ſed penes ſcænam, & in eiuſmodi locis exercitus ſis? Conturbatus eſt adoleſcens: nec mirum, cui etiam nunc pædagogi lites ad auriculas verſarentur, imperito eiuſmodi conuiciorum? Vbi enim iſte vidiſſet ſcurram, exhauſto rubore, qui ſe putaret nihil habere, quod de exiſtimatione perderet, vt omnia ſine famæ detrimento facere poſſet?

Nec iſta ita ſunt accipienda, quaſi vna oratio, vno eodemque charactere ſcribenda ſit. Longè enim aliud colligitur ex verbis Tullij iam relatis, & ex ſequentibus Cornificij, nempe. *Figura in dicendo commutari oportet, vt grauem mediocris, mediocrem excipiat attenuata: deinde identidem commutentur, vt facilè ſatietas varietate vitetur.* Nec propterea errant, qui cuilibet figuræ ſuum tribuunt characterem; Siquidem duplex eſt comparatio, vna totius cum tota Oratione, altera partium totius Orationis ad inuicem: partium, ſi dicamus Epilogum, & Amplificationem eſſe graues: partitionem, & narrationem, ſubtilem, & attenuatam, exordium, temperatum: Totius verò, vt de ſuis orationibus dixit Tullius iam citatus. De tota enim Oratione fit iudicium, ex ſtylo, qui in ea dominatur.

Huiuſmodi autem tribus dicendi formis, totidem reſpondent vitia, quibus tamquam vanis decipimur ſimulachris. Altiloquo characteri, affine eſt vitium Tumiditatis: Humili, agnata eſt ſiccitas, ſeu ſtylus ieiunus, Mediocri proximum eſt incertum, ac trepidum. De qua re præſtat Cornificium audire, dicentem: *Eſt autem cauendum, ne dum hæc genera conſectamur, in finitima, & propinqua vitia veniamus. Nam graui figuræ, quæ laudanda eſt, propinqua eſt ea, quæ fugienda eſt, quæ rectè videbitur appellari, ſi ſufflata nominabitur; Nam ſicut corporis bonam habitudinem tumor imitatur ſæpè, ita grauis oratio ſæpè imperitis videtur, ea, quæ turget, & inflata eſt, quum aut nouis aut priſcis verbis, aut duriter aliunde translatis, aut grauioribus, quam res poſtulat, aliquid dicitur, hoc modo. Nam qui perduellionibus venditas patriam, non ſatis ſupplicij dederit, ſi præceps in Neptunias depultus erit lacunas. Pœnitet igitur iſtum, qui belli montes fabricatus eſt, campos ſuſtulit pacis.* In hoc genus plerique, quum declinaſſent, & ab eo, quo profecti ſunt aberrauerunt, & ſpecie grauitatis falluntur, nec proſpicere poſſunt orationis tumorem.

Qui in mediocre genus Orationis profecti ſunt, ſi peruenire non potuerunt, errantes, perueniunt ad confine genus eius generis, quod appellamus fluctuans, ac diſſolutum, eò quòd ſine neruis, & articulis fluctuat huc, & illuc, nec poteſt confirmare, nec viriliter ſeſe expedire, id, eſt huiuſmodi: *Socij noſtri, quum belligerare nobiſcum vellent, profectò ratiocinati eſſent, etiam, atque etiam, quid poſſent facere, ſiquidem ſua ſponte facerent, & non haberent hinc adiutores multos, & malos homines, & audaces, ſolent enim diù cogitare: omnes qui magna negocia volunt agere*. Non poteſt huiuſmodi ſermo tenere attentum auditorem. diffluit enim totus, neque quicquam comprehendens perfectis verbis complectitur.

Qui non poſſunt in illa faceciſſima verborum attenuatione commodè verſari, veniunt ad aridum, & exſangue genus Orationis, quod non alienum eſt, exile nominare, cuiuſmodi eſt hoc: *Nam iſthic ad balnea acceſſit, ad hunc poſtea dixit: Hic ſeruus tuus me pulſauit: poſtea dixit hic illi: Conſiderabo. Poſt ille conuicium fecit, & magis magiſque præſentibus multis clamauit*. Friuolus quidem eſt iam hic ſermo, & illiberalis; non enim adeptus eſt id, quod habet attenuata figura, puris, & electis verbis compoſitam orationem.

De hac re ſic Gellius loquitur libro 7. cap. 14. *His ſingulis Orationis virtutibus, vitia agnata ſunt, pari numero, quæ rarum modum, & habitum, ſimulachris falſis ementiuntur; Sic plerumque ſufflati atque tumidi, fallunt pro vberibus. Squalentes, & ieiuni, dicti, pro gracilibus. Incerti, & ambigui pro mediocribus. Nam qui ab illis formis aberrant, ab vberi ad duram, atque elatam, à tenui ad humilem, à media ad ocioſam ac diſſolutam defluunt*.

(1) χαρακτῆρος (2) χαρακτὴρ (3) ἰδέα.

CAPVT PRIMVM.

De grandis & magniloqui characteris compoſitione.

Varias appellationes ſortitus eſt hic character, nam in primis apud Græcos dictus eſt *character* (1) *megaloprepes* nempe magnificus, ſeu decens magnum virum: dictus eſt etiam

adros,

(2) *adros*, quaſi magnus, opulentus, vber & abundans. Fuit etiam appellatus (3) *logius*, vel quia plurimum eo vterentur homines facundi, atque diſerti quos dicebant (4) *logios*; vnde & Mercurio, (5) *logij* nomen inditum fuit apud Lucianum, dicentem: *& Logio* (6) *ſacrificabimus*: vel quòd exiſtimatione dignus putetur, quum eos plurimi faciant, & admirentur homines, qui de re qualibet amplè dicere poſſunt, ac copiosè. Dicitur etiam (7) *Semnos*, quaſi pompæ ſiue honoris, plenus. Ab Hermogene appellatur (8) *axioma*, nempe dignitas Orationis. Denique (9) *hypſos*, vel (10) *hypſelos*, quarum vocum prima in abſtracto ſignificat altitudinem, ſublimitatem, aut celſitudinem: alia in concreto idem valet, ac altum, celſum, atque ſublime. Tanti hunc characterem Græci fecerunt.

Nec minùs illud æſtimarunt Latini, apud quos appellatur nunc magnificus, vel magniloqus, ſeu altiloqus, nunc magnus, ſiue altus, ſublimis, ac ſummus: nunc plenus, vber, ac copioſus, aliquando etiam validus ac generoſus: Dicitur etiam ornatus; ſed ornatus, vt etiam vbertas, & copia, cuilibet dicendi characteri, etiam humili, conuenire poteſt. Sanè maximè in Ouidiana amandi arte vigent vbertas, ornatus, & copia, illa tamen, vt omnes fatentur, in imo dicendi charactere ſcripta fuit.

In quolibet autem charactere tria ſunt attendenda, compoſitio ſcilicèt, verba, & res. Compoſitionem magniloquam inprimis reddit numerus, qui cauſatur ex pedibus dactylis, vel anapæſtis, & ex pæane primo, & quarto, quorum, pæan primus conuenit Orationis principio, quartus verò fini; Cuius ratio eſt, quia ars naturam imitari debet, natura autem à quiete incipit motum, eumque quiete etiam claudit: quies autem quodammodo tarda videtur, vt & motus, celer, nam quod tardum eſt, lubens quieſcit; quod verò celeritatem amat, moueri geſtit. Quapropter orator, quum periodum orditur, à ſyllaba longa incipiet, quia hæc tardè effertur, inde verò breues ſubijciet, quæ celeriter pronunciantur; Quum autem claudit periodum, rectiùs, ſyllabis breuioribus longam ſubijciet, quæ ſuâ tarditate finem deſignet. Quod ſi hos pæanas, non ſemper præ manibus habeamus, illos pedes adhibere curabimus, qui ſint ijs ſimiliores.

Nec mirum ſi dixerimus, pedes dactylos, qui heroici ſunt, non

non minùs ac ſpondæi, orationi conuenire, illiuſque parere grandìtatem, quum Ariſtoteles docere videatur, huiuſmodi pedes omninò ab oratore fugiendos; Nam fortaſſe Ariſtoteles nos potiùs adhortatur ad adhibendos pedes dactylos, & anapæſtos, immò & ipſos ſpondæos, ſi Craſſum apud Ciceronem, in dialogo de Oratore audire voluerimus. Vel, etiam ſi dehortetur, intelligendus eſt de meris hæroicis, ſecus verò de temperatis, ac mixtis alijs humilioribus, alioquin harmoniæ foret expers oratio, vel grandior, quàm conueniat eſſe ſolutam. Itaque, vt oratio magniloqua non debet conſtare ex ſolis iambis, aut choræis, quia pedes iſti orationem redderent abiectam, elumbem, ac vulgarem, ita nec ſolis hæroicis, quia hi eam redderent turgidam, & ampulloſam; inde oportet illos iſtis miſcere, & tunc ex diſſimilium concordia, & conuenientia, mira conſurget orationis harmonia.

Secundò Orationem, & compoſitionem reddit magnificam, (10) *membrorum* magnitudo: Sunt enim tria (10) *membrorum genera*, primum eorum, quæ dicuntur (11) *commatica*, ſeu breuia, vt, quæ intra octauam conſiſtunt ſyllabam, vt ſunt duo iſta.

Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt.

Secundum eorum, quæ vltra octauam, & nonam excurrunt ſyllabam, ſed tamen continent ſe intra hexametri magnitudinem, quæ dicuntur (12) *moderata, recta, & producta*, vt: Quorum ego de ſententia non debeo diſputare. Tertium eorum, quæ vltra hanc quantitatem extenduntur, quæ dicuntur (13) *oblonga*, vt: Hic totam Italiam moderato homini diuidendam tradidit. Et iſta (14) *membra oblonga*, ſeu quæ his proxima ſunt, Orationi tribuunt magnificentiam: ſicut è contra, (1) *membrorum* exilitas, & ſubita quaſi reticentia, magnitudinem detrahit Orationi, etiam alioqui magnæ in verbis & ſententijs. Hinc tamen non inferas, non poſſe Oratorem in magna periodo, breuia aliquando membra, longis inſerere, nam & in ampla domo, non ſunt omnia triclinia ad eandem menſuram extenſa, ſed alia magna, alia exigua, vel mediocria: idem erit in Oratione.

Tertiò magnificentiam dat Orationi (15) *periagoge*, ſeu (16) *peribole*, nempe Oratio circumducta, & accumulata, quâ res non proponuntur ſimpliciter, ac nudè, ſed res, quas pluribus periodis poteramus efferre, ſæpiùs reſpirando, ita vnicâ concludi-

cludimus periodo, vt non demus ſpatium toties reſpirandi. Sic Cicero pro Flacco, dicere maluit: *Quod ſi eſſet aliquando futurum, vt aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret, numquam tamen exiſtimaui Iudices, D. Lelium, optimi viri filium, optimâ ipſum ſpe præditum, ſummæ dignitatis, eam ſuſcepturum accuſationem, quæ ſceleratorum ciuium potiùs odio, & furori, quàm ipſius virtuti, atque inſtitutæ adoleſcentiæ, conueniret*: quàm eam in tres diuidere periodos, quarum prima eſſet: Quòd ſi eſſet aliquando futurum, vt aliquis de L. Flacci pernicie cogitaret, numquam tamen cogitaui, eiuſmodi futurum D. Lelium. Secunda: Eſt enim is optimi viri filius, optimâ, & ipſe ſpe præditus, & ſummæ dignitatis. Tertia, Accuſatio vero hæc, ſceleratorem potiùs Ciuium furori, quàm ipſius virtuti, atque inſtitutæ adoleſcentiæ, conuenit. Sic etiam Thucidides libro 2. *Nam Achelous amnis, ex Pindo monte deuolutus, per Dolopiam Agraos, Amphilochos, perque Acarnanicum campum, ſupernè quidem Straton Vrbem, Orniadaſque interfluens, mari miſcetur, reſtagnatoque horum oppido, intolerabilem vtique hyeme, propter alluuiones, militiam præſtat.* Cuius peribolis magnitudo, ac dignitas, perierit, ſi quis eam in hunc modum diſſolnat. Nam Achelous amnis ex monte Pindo profluit, & mare ingreditur iuxta Ocniadas, vrbemque Straton: ſed priùſquàm ei miſceatur, crebris reſtagnat paludibus, apud Dolopiam Amphilochiam, Acarnaniamque, atque adeò intolerabilem hyeme militiam præſtat; Frequentibus ergo his pauſis (17) *magnitudo*, ac (18) *amplitudo* perit Orationis, haud alitèr, ac crebræ ſtationes, efficiunt, vt iter, vel longiſſimum, breue videatur; contra quàm fit in ſolitudinibus, in quibus iter breuiſſimum, viatori videtur longum: ideoque in grandi charactere, potiùs, quàm *membra*, *incisa*, vel *periodos*, vſurpabimus (19) *diexodos*: (20) *diexodus* autem eſt, quicquid excedit (21) *tetracoliam*, ſeu quatuor membra, ſiue ſit (21) *ſpiritus* ſiue (22) *extenſio*.

Quartò magnificam reddit compoſitionem (23) *illius aſperitas*, quum dura, & aſpera ſectamur verba: Verborum autem, quædam arte factam habent aſperitatem, vt ſunt translationes aſperæ: alia, naturâ ſunt aſpera, ſiue ob ſignificationem, ſiue ob ſonum aſperiorem, ſeu difficiliorem: In magnifico enim charactere, raró compoſitionis admittitur ſuauitas. Vnde Thucidides, qui ſublime dicendi genus conſectatur, ſedulò fugit

git æquabilem compoſitionem, immò duros amat vocalium, & conſonantium concurſus, viatorem referens, qui per ſalebroſa, & aſpera loca iter faciat. Tales inter noſtrates fuit etiam Catullus; Quos quidam imitari volentes, deſpectui fuere, nedum apud indoctum vulgus, verum & apud eruditos, vt apud Tullium in Oratore, Senecam epiſtola 114. & Martialem libro 2. epigrammate 91. Conſilium ergo fuerit, vt modicè exaſperetur oratio, ne videatur aſperitatem affectaſſe.

Ordo etiam, & ſtructura verborum, atque (24) *copularum*, magnificam reddit Orationem. Debet autem eſſe talis ordo, vt verba illuſtria, & magis ſignificantia, periodum claudant. Quoad vſum verò (24) *copularum*, ſiue coniunctionum, cauere in primis debemus, ne nimis accuratè earum ordinem ſeruemus, quia anxiè laborare in re tam minuta, non (25) *magnificentiam* Orationis, ſed animi prodit (26) *abiectionem*. Deinde copulæ repetitio, res viles, abiectaſque, amplas reddit, ac magnificas. Demum ſi ſermo ſit patheticus, vtemur coniunctionibus expletiuis, cauendo, ne eas quaſi infarciamus ad rimas explendas.

Vlterius magnificentiam adferunt quædam verborum figuræ, vt (27) *antypallage*, & (28) *antiptoſis*, nempè venuſta aliqua caſus immutatio, maximè, ſi fuerit alicuius viri, vel gentis propria. Id verò ideò magnificum eſt, quia omne familiare, vile eſt, & abiectum, eoque admirationem non gignit. Idem efficiunt (29) *epanaphora*, & [30] *aſyntheta*, quæ non modò breuitatem, ſed [31] *vehementiam*, quoque præſtant; nec tantum valent [32] *ad ornatum*, ſed etiam [33] *ad augumentum*. Quod maximè præſtabunt, ſi iis adiungatur [34] *dialiſis*, quâ res, aut factum aliquod, quod vnâ propoſitione complecti poteramus, diſſoluimus plurium attributorum enumeratione, vt fecit Homerus laudans Nirea. Idem etiam præſtat [35] *Synaphia*, quamuis [36] *dialiſi* contraria: poſſumus ſiquidem vti coniunctionibus, vt res videatur maior. Sic Herodotus: *Militabant Græci, & Lycij, & Pamphyly, & Phryges.* Sic T. Quintus cum Antiochi caduceator iactaſſet varia armorum genera, multaque gentium nomina, *Dacas, & Medos, & Caduſios, & Elymæos, &c.* oſtendit [37] *Synaphiæ* beneficio ſpecioſiorem reddidiſſe Orationem, vt gentes illæ, quarum nomina ſingulis diſtinxerat coniunctionibus, plures eſſe viderentur.

tæ partim nobis obſunt, partim proſunt, nam tunc, quæ proſunt, continuâ, quæ obſunt, conciſâ exponenda ſunt narratione.

Diuidunt alij narrationem, (7) *in ſimplicem, confirmatam, & illuſtratam*: (8) *Simplex* eſt, in qua nec cauſę ponuntur, nec deſcriptiones: quia res de ſe certa eſt, ac perſpicua: (9) *Confirmata* verò eſt, quum rei geſtæ adferuntur cauſæ, ex circumſtantijs petitæ. (10) *Illuſtrata* denique dicitur illa, cui interſeruntur deſcriptiones. Cui diuiſioni ſatis perſpicuæ, nihil eſt, quòd addamus.

Narrationis quattuor eſſe partes Rhetores docent, nempe *procaſtaſim*, *narrationem* propriè dictam, *petitionem*, & ipſius *rationem*, ſiue cauſam. Procaſtaſis dicitur ea narrationis pars, quæ exponit quæcumque præcipuum factum anteceſſerunt. Vt, Amnonis necem anteceſſerunt, adamatio Tamaris, infirmitatis ſimulatio, illius famulatus, tum violentia adhibita, Abſalonis ſimulatio per aliquot annos, inuitatio eiuſdem ad prandium, in quo nex erat committenda. Omnia ergo iſta ad procaſtaſim ſeu præparationem pertinent. Narratio verò propriè dicta eſt, quæ factum præcipuum, & maximè proprium cauſæ, exponit, vt, ſolius Amnonis necem, factam per ſeruos Abſalonis in medio prandio, quum ille iam mero incaluiſſet. (11) *Petitio* erit ex parte accuſatoris, ſi is poſcat, vt Rex miſericordiâ motus ſuper mortem ſui primogeniti, Abſalonem punire velit: ex parte verò Rei, ſi illius patronus dicat, debere Regem flecti ad miſericordiam: (12) *Ratio petitionis* ex parte Amnonis erit, quòd deceret Regem ſuccenſere illi homini nefario, qui proditoriè Regis primogenitum, in propria domo, conuiuio exceptum, inter pocula trucidarit. Sed ratio petitionis ex parte Abſalonis fuerit, debuiſſe eum ſartam tectam propriam cuſtodire exiſtimationem, quæ per imminutionem Thamaris, grauiter fuerat imminuta, nec aliter quàm per ſtupratoris mortem potuiſſe eam in priſtinum decus reuocare.

Cuiuſmodi autem debeat eſse narratio, docet Ariſtoteles, aſſerens, conuenire, vt ſit illa dilucida, ſeu clara, & perſpicua; Nam tametſi perſpicuitas, virtus eſt in omni oratione cuſtodienda (niſi fortè quid aliquando de induſtria ſit occultandum) alioquin præſtat, non dicere, quàm ita dicere, vt dictionem, auditoris non aſſequatur intelligentia: nihilominùs eſt ſpecialis

X narra-

narrationis virtus ; Siquidem ſi quæ alia pars ſit obſcura, illa ſola perit: ſi verò narratio fuerit obſcura,tota oratio erit cæca, quandoquidem tota ſuper narratione fundatur. Perſpicuitatem autem conſequemur, ſi verbis vtamur vſitatis, non priſcis, obſoletis, peregrinis, aut barbaris. Secundò ſi in narratione hiſtorica, ordinem ſeruemus temporis, vt priùs explicemus, quòd ante fuit factum, quàm quod vltimò. Tertiò ſi eam non interrumpamus, niſi forte factum nobis noceat, quando, vt diximus, conciſè narrare conuenit, vt cuilibet narrationis parti, quæ eſt quaſi noſtræ cauſæ venenum, præſens adhibeatur antidotum. Ad perſpicuitatem facit Euidentia, quâ rem ante oculos ponimus, vt etiam hypothypoſis, de quibus libro ſequenti.

Debet etiam narratio eſſe morata, vt ſcilicet honeſtos noſtros, aut eius, quem laudamus, aut quem defendimus, exprimat mores, contra verò, aduerſarij, quem vituperamus, aut accuſamus, mores oſtendat prauos. Id verò præſtabimus, ſi nos, aut noſtros, profitebimur honeſtatem ſequutos: contra, aduerſarios præter vtilitatem, aut commodum, penſi nihil habere. Nec in noſtra tantum, aut aduerſarij perſona mores obſeruandi erunt, ſed in quocumque, de quo ſermo inciderit: vt ſi audacem aliquem, agreſtemque oſtendere voluerimus, loquentem incedere affirmabimus: iratum, qui pedibus conſiſtere nequeat: inconſtantem, qui circumquaque oculos vertat, etiam quum res ſeria agitur.

Obſeruanda ſunt etiam,quę de moribus ſupra in vltimo tractatu primi libri dicebamus, quia oratio, quæ proprijs perſonæ deſcriptæ moribus, vt characteribus eſt inſignita, maximè veroſimilis redditur; contra verò ſi alienis moribus deſcribatur, falſitatis fit ſuſpecta. Nec tantum in generibus perſonarum mores attendi debent, ſed etiam in ſingularibus, vt, Commune Apoſtolis erat omnibus, Dominum diligere, Petrus tamen omnibus liberior, & ardentior erat, Ioannes magis familiaris, intimus, ac ſedatus: Thomas ad credendum difficilis, ac durus: Paulus facundiâ mirabilis: Barnabas, maieſtate reuerendus: & ſic de alijs. Immò nec idem ſermo affingi conueniret Apoſtolis ante acceptum Spiritum Sanctum, quando timor eos occupabat, qui poſtea, quum mundo, & omni creatæ naturæ ſuperiores euaſerant, quando in conſpectu Concilij, non ſunt veriti

dicere

dicere: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*.

Habendus eſt ergo ſemper præ oculis decor in omni oratione, & maximè in narratione, vt ſciamus quis ſermo hic, & nunc, huic conueniat, quòd etiam exteri monent, qui aliter de eadem re loquentem inducunt Phocionem, nempe breuiter, ſententioſè, ſanctè, ſeriò, liberè, & minimè adulatoriè: aliter Demoſthenem, aut Alcibiadem. Similiter Catoni ſermonem affingunt liberum, ſubmoroſum, ac iurgabundum; ſed non talem Cæſari, aut Ciceroni. Vlteriùs narratio breuior debet eſſe in defenſore, qui vltimò dicit, & multa omittere poteſt, quæ ab accuſatore rectè narrata fuerunt, quàm in accuſatore, qui primò rem exponens, omnia explicare tenetur. Nec oportet, vt narratio ſemper in orationis collocetur principio, poteſt enim differri, ſecundum quòd oratoris videbitur prudentiæ, ad cauſæ victoriam magis conuenire.

Quòd autem aliqui inter narrationis virtutes ponant breuitatem, non videtur verum, quia, vt longitudo, tædium, ita, affectata breuitas, obſcuritatem adferre ſolet, iuxta illud *Dum breuis eſſe volo, obſcurus fio*. Debet ergo eſſe mediocris, vt dicantur neceſſaria, reſecentur ſuperflua.

Poſſumus etiam in narrando vti vel (13) *relatione* aliorum, vt in genere Demonſtratiuo, quia hoc eſt ſecuriùs, nam quum dicimus ita nos legiſſe, aut audiuiſſe, etiam ſi id falſum ſit, non tamen falſi nos arguemur, ſed fides erit penès authorem: vel(14) *ſecuritate*, ob (15) *fidem* faciendam in Iuridiciali, nam Iudices fidem nobis non adhibebunt, ſi ipſi de veritate dubitare videamur. Interdum vtrâque vtimur, dicendo, ità nos audiuiſſe, & comperiſſe, nam priùs facit (16) *ſecuritatem*, alterum, (16) *fidem*.

Ad narrationem pertinere videtur (17) *excurſio*, quæ eſt alienæ rei, ad cauſæ tamen vtilitatem pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio: quæ tunc locum habet, quum factum aliquod atrox expoſitum fuit, nam tunc, veluti erumpente indignatione, ipſum proſequimur, & amplificamus. Non tamen eſt adhibenda ante confirmationem, niſi factum ſit ita clarum, quòd dubitationem non habeat, alioquin ridiculum foret, illud in immenſum extollere, quòd eſt adhuc incertum. Hinc aliqui excurſionem duplicem faciunt, quarum vnâ vtuntur ante confirmationem, & hanc vocant (18) *cataphoram*; aliâ poſt confirmationem, & hanc (19) *epiphoram* dicunt. Ad eamdem etiam

pertinet *renouatio*, ſeu (20) *reſtauratio*, qua orator iudicem præparat ad rem audiendam: eſt enim veluti nouum exordium, quo vel incitatur contra aduerſarium, vel flectitur ad nobis fauendum, ideoque eâ ſæpius vtendum in narratione, confirmatione, & alijs partibus. Et idem eſt de (21) *præſtructione*, quæ ea commodè exponit, quæ deinde firmanda ſunt argumentis.

(1) ἱςορικὴ (2) μυθικὴ (3) δραμματικὴ (4) ἁπλῶς (5) ἀνδροποφάγοι (6) ἀλληλοφάγοι (7) ἐν ἁπλὴν εγκατάσκευον, καὶ ενδιάσκευον (8) ἁπλῆ (9) ἐγκατάσκευος (10) ἐνδιάσκευος (11) αἴτημα (12) αἰ τία τῆς αἰτήμης (13) ἀναφορᾶ (14) βεβαιωσȣ̃ (15) πίςιν (16) ἀσφάλȣαν (17) παρέκβασις (18) καταφοραν (19) ἐπίφοραν (20) ἀνανέωσις [21] προκατασκευῆ.

CAPVT TERTIVM.

De Propoſitione, & Partitione.

HAs ambas (1) *præſtructionis*, ſeu (2) *præconfirmationis* nomine comprehendunt. Propoſitionis enim munus eſt, ante oculos ponere id, quòd in controuerſiam venit: Hinc Græci eam (3) *expoſitionem* dicunt, quia ſtatim ab initio (4) *capita* exponit, vel (5) *promiſſionem*, quia eâ promittimus nos de cauſæ noſtræ capitibus acturos. Fit autem propoſitio, vel (6) *ſimpliciter*, quando cauſa eſt fauorabilis, aut ſaltem non odioſa: vel per (7) *remotionem*, & poſitionem; Vt, nihil eorum, quæ à cæteris dicta ſunt, mihi adlubeſcit, qui potiùs in ea ſum ſententia &c. & ita tractari poteſt cauſa minùs fauorabilis, vt, improbatis priùs aliorum dictis, ac ſenſibus, ſenſim, & quaſi aliud agendo, interſeratur noſtra propoſitio, ita tamen, vt ferè naſcatur ex rationibus, & diſcurſu, potiùs, quàm data opera inducta videatur, nam ſi ante proponatur, quàm efficaciter probetur, præiudicium inueniet in animis auditorum ſibi obſtans;

ſed

ſed ſi priùs fuerit demonſtrata, quàm publicata, ſuaſibilis reddi poterit.

Partitio non eſt aliud, quàm multiplex propoſitio, quæ tunc neceſſariò in oratione eſt adhibenda, quando cauſa eſt vel longa, vel obſcura, vel ex pluribus coniuncta. Quapropter partitio fieri ſolet, vel per ſeiunctionem, quâ oſtendimus, tum id, in quo cum aduerſario conuenimus, tum id, in quo ab eodem diſcrepamus. Sed tamen reuera hæc non videtur dicenda partitio, Vt ſi dicam: Pecuniam quidem priuatam, de templo ſe ſuſtuliſſe cognoſcit, ſacrilegium in hoc non agnoſcit: hic enim partitio nulla eſſe videtur, ſed tantùm controuerſia ſtatus Finitiui. Quòd autem quidam dicunt, eſſe partitionem, non quidem orationis, ſed cauſę, minùs conuenientèr eſt dictum, quum, quòd non eſt pars controuerſię, nec cauſæ pars eſſe poſſit.

Remanet ergo tantum partitio, quæ fit per partium enumerationem, quâ breuiter oſtendimus, quot, & quæ ſint, de quibus ſumus dicturi. Eius verò virtutes ſunt, breuitas, paucitas, & abſolutio. Breuitas attenditur in verbis, quum enim diuidimus, verba multiplicari nullatenus debent: Paucitas conſideratur in membris diuidentibus, non enim rem in fruſta ſecare debemus, ſed in genera tantum diuidere, aut ſpecies, vnde ea laudatur diuiſio, quæ in tria, vel quattuor ad ſummum membra fit, quòd ſi hunc excedat numerum, vituperabitur. Abſolutio verò importat, quòd ipſæ partes totum exhauriant diuiſum; alioquin diuiſio non lucem, ſed tenebras potiùs affunderet orationi. Adfert autem diuiſio, ſeu certarum promiſſio partium, ſi non aliam, hanc ſaltem vtilitatem, quòd conducit ad docilitatem, & memoriam auditorum; & dicenti etiam prodeſt, quia habet certos gradus, ſiue ſinus, in quos, ex digreſſionibus, ſe recipiat. Sed tamen, vt diximus, vitanda eſt partium turba, quæ caliginem offundit cauſæ, etiam non obſcuræ.

Vt ergo rectè diuidas, diſpiciendum eſt, quot, & quænam ſint totius cauſæ baſes, & præcipuæ columnæ, illæque in diuiſione promittendæ, itaut, quoad fieri poteſt, ſint quam pauciſſimæ, nec quaternarium numerum excedant. Quòd ſi cauſa minutioribus coaleſcat ex partibus, non eſt neceſſe omnes in diuiſione promittere; ſed, facta diuiſione per genera, vel ſpecies, ſubdiuidere, in tractando, partes illas generales. Vt, dicturus encomia alicuis ſancti, ita partiri poterit: Exponam vobis

qualis

qualis fuerit erga Deum, qualis in ſeipſum, & demum qualis erga proximum. Primam deinde partem ſubdiuidet, quia pietas erga Deum, varijs diſtinguitur officijs, nempe cultu Religionis, & virtutibus Theologalibus, quæ ſunt fides, ſpes, & charitas. Sic, proprij corporis adminiſtratio, cupiditatumque moderatio, in alias diduci poteſt partes. Proximi verò vocabulum, tam coniunctos complectitur, quàm non attinentes: & tam ciues, quàm exteros, & tam amicos, & benefactores, fideique conſortes, quàm perſecutores, inimicos, ac infideles, immò tàm viuos, quàm iam defunctos, & ergà iſtos dicere poterit, qualiter ſe ſe habuerit Similiter, exhortaturus ad ieiunium, ſatis erit in genere proponere de ieiunio, quòd hominum vulgus horret, vt rem noxiam, ac triſtem, quòd ſit multis amplectendum nominibus. Primò, nam ſi pietate nihil melius, hanc animo adfert ieiunium. Secundò nam ſi inter bona temporalia, primæ, proſperæ tribuendæ ſunt valetudini, hanc haud vulgariter fouet ieiunium. Tertiò nam ſi homines horrent paupertatem, diuitiarum verò poſſeſſionem magnam felicitatis partem eſſe ducunt, etiam facultates, vt luxus minuit, ita ieiunium conſeruat, & auget. In tractando verò diſtinguere poteris, quot modis ieiunium conferat ad pietatem, vt quod extenuato corpore, mentem reddat ad ſacram doctrinam, ad prædicandum, & ad Cœleſtium rerum contemplationem, magis idoneam; pijs augeat pietatem, pœnitentes Deo reconciliet, &c. Corporibus etiam multiplicem adfert vtilitatem, vel quod ab innumeris ſeruet morbis, quos luxus gignit; vel quòd infirmitates iam prementes tollat, aut ſaltem reddat leuiores, & quidem efficaciùs quàm pharmacum, vnde medici ieiunium primò præſcribunt: Voluptates etiam reddit ſuauiores, nam poſt ieiunium ſomnus eſt dulcior, refectio iucundior, dulcius etiam quàm crapulâ grauato, cum amicis colloquium: denique ſenſus ad ſuas functiones aptiores, nam oculi clariùs cernunt, aures acutiùs audiunt, lingua in loquendo minùs hæſitat, meliùſque ſapores dijudicat, ac membris omnibus iudicium eſt exactiùs. Sic de augumento, vel conſeruatione diuitiarum, ſubdiuidi etiam poteſt.

E contra verò inepta fuerit partitio ſi quis alicuius ſancti celebraturus laudes, promittat ſe oſtenſurum, fuiſſe in illo triginta vel centum virtutes, & eas omnes in ipſa partitione nominatim recenſere velit; quum dicere ſufficiat fuiſſe tales in eo, vt

earum

earum merito primarijs ſanctis ſit comparandus. Aut ſi diſſuaſurus matrem quampiam, ne puerum alteri lactandum mandet, omnes præpoſitionum promittat ſpecies, dicendo, Primò oſtendam, Infantem à maternis depellere vberibus, eſſe, agere præter naturam, quæ cuique animanti alimentum addidit, quo ſuos educet fætus. Secundò oſtendam hoc eſſe præter Diuinæ ſcripturæ doctrinam, & præter piorum exempla. Tertiò, ne matris quidem nomine dignas, quæ ſuos partus alere recuſent, aut ſi matres, vix dimidiatas eſſe. Quartò, abſurdum eſſe, vt quæ in vtero aluit neſcio quid, iam hominem, & matris implorantem opem, alere nolle. Quintò, non multò minùs impium eſſe, infantem recens natum abs ſe ablegare, quàm nondum natum, pharmacis per abortum eijcere. Sextò, expoſitionis eſſe genus, quòd genueris nolle alere: nam expoſiti ſæpenumero viuunt, quum tamen conductarum culpâ nutricum, plurimi pereant infantes. Septimò, per hanc infantium ablegationem, ignem, ac flagrantiam natiuæ pietatis, quæ eſt virtus inter parentes, ac liberos, magna ex parte extingui, & in nutrices transferri. Octauò, dicam, alienum lac frequenter, infantum officere corporibus, ſi quæ fuit conducta, parum proſperæ ſit valetudinis, aut lac habeat vitiatum, aut, quoniam mercedis gratiâ plures alit vberibus, parciùs, quàm opus ſit, lactis infundat liquorem. Nonò, non eſſe veroſimile, mulierculam, quę mercede conducitur, eamdem gerere poſſe curam infantis alieni, ac veram matrem, quam ad officium excitat affectus naturæ, vt non modò tædium non ſentiat, verum & cum delectatione peragat omnia, quæ moleſta videntur alienis. Decimò, Vt nihil ſit horum quæ commemorauimus, fieri tamen non poſſe, vt alienum lac æquè ac maternum infantili proſit corpuſculo, nam etiam adulti, cognatis, & aſſuetis meliùs alimur; at infans materno liquori iam in vtero aſſueuit; idem enim eſt humor, quo alitur in matrice, & quem è papillis haurit, niſi quod hic, vt concoctior, ita candidior. Vndecimò, Nutrices conductas, non ſolum officere corpuſculis infantium, verum & ingenijs, ac moribus: nam quum harum electio non ſit libera, eò quòd nec omnes lac habeant, nec omnes operam locare velint, fit vt plerùmque adhibenda ſit improba, rixoſa, aut impudica, quorum vitiorum indolem, infans cum ipſo combibit lacte. Duodecimò, Hinc fieri, vt minor ſit reuerentia atque obedientia liberorum iam adoleſcentium erga parentes:

rentes : nam vix eas pro matribus agnoſcunt, quarum lacte non ſunt nutriti. Decimotertiò demonſtrabo, puerperas non ſine graui ſuæ ſalutis diſcrimine, infantes alijs mandare lactandos, nam liquor ille retentus, atque auerſus, non rarò graues generat morbos: vnde fit, vt quæ metuebat, ne, lectando, mammis flacceſceret, in capitis veniat periculum, ac longè plus ſenij adferat morbus, quàm lactandi labor fuerat allaturus.

Vitioſa inquam eſt hæc partitio, tum quòd verbis redundat, tum quòd argumentum in fruſta concidit: quæ omnia, eſto dicenda veniant, non ſunt tamen in diuiſione promittenda, in qua dicere ſufficiet. Quòd matres pueros mandent lactandos, pugnare docebo cum lege naturæ, ac diuina: officere ſaluti, ac ingenio puerorum: & ne matribus quidem tutum: Et ad has propoſitiones cæteræ ſunt reducendæ. Vitioſæ etiam putantur partitiones illæ, quarum partes ad inuicem non cohærent: nam partes natæ ſunt exhaurire totum: quod, ſi eſt per ſe, vtique partes cohærentes habere debet, quòd contra eſt in aceruo. Quòd ſi in tractando diſpliceant ſubdiuiſiones, earum loco vti poteris tranſitiunculis, vt, Habetis de pietate erga Deum, accipite nunc qualiter erga ſeipſum ſe habuerit.

(1) προκατασκευῆς (2) προέκθεσιν (3) κεφάλαια (4) ὑπίσχεσιν (5) ἁπλῶς (6) κατ' ἄρσιν, καὶ θέσιν.

CAPVT QVARTVM.

De Contentione, & Confutatione.

Contentionem, ſeu Confirmationem, (1) *fidem* vocat Ariſtoteles, quæ in eo conſiſtit, vt poſtquam eas propoſitiones, quæ noſtræ fauebant cauſæ, fuerunt adductæ, rationibus confirmentur, & alijs argumentis, & veroſimilitudinibus, quibus aduerſarij eas infirmare nitebantur, eaſdem tueamur, per quod *fidem* (2) illis faciamus, ideſt eas reddamus credibiles, ſeu perſuaſibiles: Et propterea Confirmationem, & confutationem ſimul vniuimus.

Sed

Sed vtra in oratione præcedere debeat, quæri poteſt. Aliqui hunc ſtatuunt (2) *ordinem*, vt iuxtà artis præſcriptum, confirmatio præcedere debeat (quem dicunt (2) *ordinem* naturalem) at ſecundum arbitrium, & ex aliqua occaſione, poſſit orator hanc (2) *methodum* variare, vt priùs confutet. Verum aliter docet Ariſtoteles, quòd ſcilicet, eius qui primò dicit, ſit, priùs confirmare: deinde ſi quæ videat, obijci contra ipſum poſſe, ea diluere debeat. Is verò qui vltimò loquitur, priùs confutare tenetur, quæ aduerſarius in oppoſitum dixit, & tum demum ſuam comprobare ſententiam: & hic eſt ordo naturalis· quia orationem reſpuit auditor, ſi alius, qui primo loco dixit, ſuam ſtabiliuit ſententiam, & propterea illius dicta priùs ſunt infirmanda. Quòd ſi qui primo loco dixit, parum auditores mouerit, poterit etiã reus à confirmatione inchoare. Adde, quòd accuſator ſtudet ſæueritati, reus beneuolentiæ: ille vulnera conatur facere, hic adhibere medicinam: & propterea ille incipit à confirmatione, hic à refutatione. Ordo ergo iudicij tunc tantum erit, quum propter aliquam cauſam, expedit actorem incipere à refutatione, vel Reum à confirmatione, quum ars oppoſitum exigat.

Confirmatio ergo fit per argumenta, in quibus conſideratur, tam forma, quàm materia. Materia argumentorum rhetoricorum, abundè tractata eſt in primo libro, vbi locos aſſignauimus, ex quibus erui poſſent argumenta. Non enim materia eſt aliud, quàm res ad probandum, vel amplificandum, aut etiam ad mouendum valens. Inter hæc argumenta, quaſi primipili ſunt, quæ ad probandum deſeruiunt, tum quæ ad amplificandum, & demum, veluti in ſubſidium ad victoriam, quæ ad mouendum, & afficiendum. Immò inter ipſa argumenta (3) *probantia*, talis debet eſſe ordo, vt ea præcedant, ex quibus alia oriuntur, tum iſta ſuccenturientur; vt priùs voluntas, quàm facultas, quia hæc ab illa excitatur.

Variat etiam argumentorum ordo, ratione rerum, nam vel ſeruamus ordinem naturalem, narrando exempli cauſa, quæ quis fecerit ante religionis ingreſſum, quæue in ipſa: Vel artificialem, ſeparando, quæ ad iuſtitiam, quæue ad temperantiam, vel fortitudinem ſpectant. Vel attendimus firmitatem, aut imbecillitatem argumentorum: & tunc, quemadmodum boni Imperatores grauem armaturam à fronte locant, quo firmiorem faciant impreſſionem, ac etiam in vltima acie ad impel-

lendum ; leuiorem autem in medio : ita orator fortiſſimam rationem ſtatim à principio exponit, quâ, occupati auditorum animi, non attendant ſequentium imbecillitatem, & tum demum aliud apponet fortiſſimum argumentum, quo intentum concludat. Quòd ſi oratio non niſi duo habeat argumenta, proponatur primò id, quòd eſt validiùs, deinde imbecilliùs, & demum recurratur ad illud validiùs in peroratione. Quòd ſi longior ſit oratio, & plura habeat argumenta, validiùs ſit à fronte, aliud etiam firmum reſeruetur pro vltimo loco, in medio intermiſceantur valida imbecillis, quia hęc illorum admixtione firmiora videbuntur, maximè occupatis iam ſenſibus à validiſſimo.

Cauendum igitur, ne argumenta numerare magis, quàm expendere videamur, nimirum, ne adducamus futilia, aut vitioſa, quia iſta fidem detrahunt etiam validiſſimis. Et ne talia adferamus, quæ aduerſarius in nos facile retorquere poſſit, vt in Euangelio, Seruo cauſanti auſteritatem Domini, ob quam repoſuerit potiùs, quàm ad vſuram dederit pecuniam, reſpondit Dominus: Immò propterea ad vſuram eam tradere debueras, quia auſterum me eſſe ſciebas. Ita ſi quis Catonem vituperaret, quòd quadragies in ius fuerit vocatus, hoc idem ad eius laudem facere dices, quòd totidem vicibus fuerit abſolutus. Eodem modo, quum de iuſto dicitur, quòd cadit ſepties in die, non ad vituperationem, ſed ad commendationem potiùs, illius vigilantiæ, pertinet, nam ſi non toties ſurrexiſſet, non foret quomodo amplius cadere poſſet; impius verò nequaquam tot cadit vicibus, ſed vnâ tantum cecidit, quia, quum in profundum venerit, contemnit ſurgere. Talia ergo argumenta vitanda ſunt.

Vitari etiam debet argumentum (4) *mentiens*, in quo vtrumcumque conceſſeris, falſum dicetur, vt Epimenides Cretenſis dixit, *Cretenſes ſemper eſſe mendaces*; ſi Cretenſes non ſunt mendaces, Epimenides Cretenſis mentitus eſt: ſi autem ipſe verum dixit, falſum eſt, Cretenſes eſſe mendaces, quia ipſe Cretenſis verum dixit. Vis huius argumentationis, eo nititur, quòd propoſitionem indefinitam, accipit pro vniuerſali, alioquin, vt falſum eſt, Cretenſes omnes, & ſemper eſſe mendaces, ita verum eſt plures eorum plerùmque mentiri. Ad hoc genus reducuntur Crocodilitæ, ita dicta à Crocodilo, qui quiddam a mu-

liere rapuerat, & rogatus vt redderet, reſpondit *Reddam, ſi verum reſponderis: dic igitur, Reddam, an non? Non reddes, ait illa, & ideo redde, quia verum reſpondi. Atqui*, ſubdidit ille, *ſi reddidero, verum non dixiſti, & ideo non reddam*. Tale fuit illud Tyſiæ, & Coracis, quorum iſte, mercede mille nummorum conductus, vt rhetoricam illum doceret, quàm tamen pecuniam tum numerare ille tenebatur, quum primam cauſam à ſe ſuſceptam, conſequeretur: at nullam defendere voluit, ne pecuniam ſoluere teneretur: ſed à Corace in ius vocatus, obiectum ei fuit, nunc, Tyſia omnino ſolues, ſiquidem in ius deſcendiſti, vbi, vel victus, per iudices ad ſoluendum damnaberis: vel vincens, ex pacto debebis ſoluere: Cui Tyſia. At nunc omnino liber ero: nam vel victus in iudicio, à iudicibus ex pacto abſoluar, quia primam cauſam perdidi: vel vincens, ab impetitis, per ſententiam, ero immunis. Ad quæ, Iudices, Certe, dixerunt, (5) *mali corui malum ouum*. Verum hæ ſunt Chryſippi argutiæ, quæ longe faceſſere debent à ſuggeſtis.

Formam verò propriam argumentorum rhetoricorum, iam in primo libro diximus eſſe exemplum, ac enthimema, quia inductio, ac ſyllogiſmus, dialecticorum argumentorum ſunt propriæ formæ. Sed tamen his eiſdem, vel mutuo acceptis, orator etiam vtitur, immò syllogiſmo nedum tripartito, quia ſcilicet tria habet pronunciata, ſeu tres, vt vocant, propoſitiones, ſed & quatripartito, & quinquepartito, quando propriè (6) *epicherema* vocatur, quæ vox ad tripartitum etiam extenditur à quibuſdam. Solent autem oratores tranſponere partes syllogiſmi, vt, Nulla in hoc homine luxuries eſt, ſiquidem optimarum artium ſtudijs eſt deditus, in cuiuſmodi hominibus nulla conſueuit eſſe luxuries. Hic vides (7) *syllogiſmum* inuerſo ordine, futurum de prima figura, & modo Ferio, ſi tantum propoſitiones tranſponas dicendo. In hominibus deditis ſtudijs optimarum artium, nulla ſolet eſſe luxuries: hic homo eſt deditus ſtudijs optimarum artium, non ergo in eo eſt luxuries. Quòd fit ab oratoribus, vt artis vitent aſperitatem, & oſtentationem, quę fidem detrahit. Perſius tamen, quia poëta, & quia Stoicorum diſputationes adumbrare volebat, syllogiſmum dialecticum ſuo format ordine, dicens

An quiſquam eſt alius liber niſi ducere vitam
Cui licet, vt voluit? licet vt volo viuere, non ſum
Liberior Bruto?

(8) *Enthimema* autem, quòd eſt argumentum proprium rhetorum, duobus conſtat pronunciatis, prætèrit enim alteram præmiſſarum, ideoque ab Ariſtotele appellatur (9) *vnius dicti ſyllogiſmus*, ſyllogiſmus enim habet (10) *duas propoſitiones*, enthymema vero vnam, ſiue ea ſit (11) *propoſitio maior*, quæ (12) *ſimpliciter* propoſitio dicitur, ſiue ſit (13) *minor propoſitio, quæ inferior* appellatur. Quod autem quidam dicunt, dari enthimema tribus conſtans propoſitionibus, addendo videlicet antecedenti confirmationem, id in tantum verum eſt, in quantum illa confirmatio, vim habeat noui ſyllogiſmi, ſeu argumenti. Quòd idem dictum volo in epicherematibus: antiqui tamen quidam, (14) *per excellentiam, enthimematis* nomine intelligunt argumentum, quòd fit ex contrarijs, maximè, quum proponuntur duo, quorum aduerſarius vtrumcumque concedat, habebimus intentum, vt *Mentietur in tormentis, quia ea ferre poterit, mentietur quia ferre non poterit*. Vel: *Quo ſchema ſi intelligitur? quo ſi non intelligitur?* Sic quum Regis Antigoni frater rogaret, vt lis, quàm cum quodam habebat, non in foro, ſed domi cognoſceretur, ei *Rex*: *ſi*, inquit *cauſam habes iniuſtam, quur litigas? ſi iuſtam, quur fugis publicum?*

Nec minùs orator inductione vtitur, quum enumeratis illuſtribus quibuſdam indiuiduis, aut partibus, infert parem eſſe de cæteris rationem. Exemplum verò, quòd eſt Oratorum, Deliberatiui maximè generis, propria forma, ita dictum, vel quòd è multis vnum eximat ad probandum, vel quòd ex ampla id faciat materia, vel quòd eius ſit aliquid (15) *expandere*, ſeu *explicare*, apud imperitam multitudinem plus valet, quàm enthimema, eſto hoc firmiùs concludat. Sed exemplis gaudenti obijcere potes illud quòd habetur in Codice de ſententijs, & interloquutionibus, lege nemo Iudex, nempe *Non exemplis, ſed legibus iudicandum*. Illud eſt hic monendum, ne omnia orator argumentis, & enthimematibus comprobare ſatagat: nam velle argumentari in rebus apertis, inſaniæ ſpecies eſt, perinde ac in clariſſimum ſolem, lucernæ lumen inferre. Immò, & quum affectus mouere conamur, ab argumentis abſtinere ſatiùs fuerit, ſiquidem

Haud bene conueniunt, nec in vna ſede morantur,

(16) enthimema, & affectus: nam ſi affectus animo inſedit, perit vis argumenti, vt non penetretur: quòd ſi percipiatur,

alter

alter alterius vim infringit, quia intellectus, ad quem pertinet enthimema, & voluntas, quàm reſpicit affectus, ſe habent vt duæ lances libræ, quarum ſi eleuetur vna, neceſſariò alia deprimitur. Nec in oratione morata, locum habent argumenta, quia demonſtratio nec mores habet, nec (17) *praelectionem*, ſed argumentorum loco, expedit (18) *ſententias* vſurpare; (19) *ſententijs* autem generalitèr vtimur, quum manipularibus potiùs, quàm amentatis rem agimus haſtis, quia iſtis veluti amentis prælıgatæ haſtæ, nempe argumenta, certiùs librantur. Tantum id inaffectatè fiat, & cum prætextu ſimplicitatis, nam caput artis eſt, artem premere, alioquin auditor ſibi cauebit, veluti à (20) *vinis mixtis*.

Amplificatio probationem adiuuat, & ad affectus mouendos viam munit. Hanc totam Spartani damnabant, quia ſolâ gaudebant breuitate. Notum illud Ageſilai, qui, cuidam commendanti oratorem, quòd res exiguas mirificas videri feciſſet, reſpondit: *ſed ego eum peſſimum puto ſutorem, qui exilibus pedibus, magnos inducat calceos*. Iſocrates tamen dicebat, *Rhetoris eſſe ex paruis facere magna, ex magnis parua*. Sed hoc eſt proprium ſophiſtarum, qui præſtigijs iudicium corrumpere tentant. Genuinus igitur amplificationis ſcopus eſſe debet, eorum occurrere morbo, qui quum ſemel tantum, ac breuiſſimè rem dictam audierint, eam facile præteruolare ſinunt, vt nec audiuiſſe videantur, quam, ſi iterum fuſiùs, & in partes diductam, explicatam audierint, animo penitus, memoriæ, ac affectui inſidentem experientur.

Deſeruit amplificatio, tum ad ferendam lucem rebus, ſeu argumentis probantibus, quod maximè præſtat transferendo hypotheſim ad theſim, per quandam digreſſionem in locum communem. Tum ad mouendos affectus, quòd facit per (20) *diuiſionem*, *comparationem*, *& oppoſitionem*. Exaggeratur etiam oratio incremento, vt: *Facinus eſt vinciri Ciuem Romanum, ſcelus verberari prope parricidium necari, quid dicam in crucem tollere? verbo ſatis digno, tam nefaria res appellari nullo modo poteſt*. Vel, *Quo melior alius non fuit, excepto Caio*: nam ſummè bonus is videtur, quo non eſt alius melior; ſed huic ſummè bono, præfertur alius. Creſcit etiam comparatione, vt, *Scipio priuatus, Gracchum mediocriter labefactantem Reip. ſtatum interfecit, Catilinam orbem terrarum cæde, atque incendio vaſtare cupientem, nos Conſules perferemus*: vbi

priua-

priuatus conſulibus comparatur, Gracchus Catilinæ, mediocris labefactatio, cædi & incendijs, ſtatus Reip., orbi terrarum; Tertiò Ratiocinatione, vt, *Tu iſtis faucibus, iſtâ gladiatoriâ totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptijs exhauſeras, vt tibi neceſſe eſſet, in Populi Romani conſpectu, vomere poſtridie.* Colligitur quanta fuerit vini ingurgitatio, ad quam digerendam non ſuffecerit laterum, & corporis firmitas, nec populi reſpectus, nec dies exacta. Quartò Congerie, vt, *Quid enim Tubero ille tuus, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cuius latus mucro ille petebat? Qui ſenſus erat armorum tuorum, quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? &c,* idem ſingulis dicitur commatibus, ſed interim, quaſi diuerſa dicerentur, oratio creſcit, & res amplificatur.

Sunt etiam amplificandi modi, primò, per tranſitum ab hypotheſi ad theſim, vel à theſi ad hypotheſim, vt quod priùs, generatim dictum fuerat, exemplis, ſiue veris, ac hiſtoricis, ſiue fictis, parabolicis, aut apologis, extendatur. Secundo diducendo rem per definitionem, aut deſcriptionem, oſtendendo quid reuera ſit illud, de quo dicimus. Tertiò, vſurpando partes pro toto, vt ſi velis docere quid ſit Dux, ſeu Imperator, & enarres quæ nam virtutes in eo requirantur, quaſi eas habere virtutes, ſit eſſe Imperatorem. Vel, ſicut Arnobius, vt oſtenderet non eſſe Chriſtianos cauſam malorum, qui terrarum occupabant orbem, partes percurrit orbis, ac docet, ſingulas eodem prorſus nunc ſe habere modo, ac ante Chriſti ortum. Quartò, adferendo cauſas, ſiue effecta, vel accidentia, vt, ſi oſtendere velis, nihil eſſe fœdius homicidio, hominis explicabis præſtantiam. ab efficiente Deo, qui ipſum proprijs plaſmauit manibus: ab anima immortali, cui Dei inſit imago: à mirabili membrorum compagine, à fine, ad quem creatus eſt, vt Deo æternùm fruatur: ab effectis, quæ ſunt diſciplinæ, Vrbes, claſſes &c. ab accidentibus, vt igneâ ingenij vi, memoriæ firmitate, dominio in cætera, &c. Quintò, à ſimili, vel pari, vt ſi dicas: Vita humana eſt quaſi ferrum, quòd ſi non exerceas, à contracta necatur rubigine: ſic homines, exercitio quidem conteruntur; at abſque exercitio, inertia ipſa ac torpedo, detrimēti plus quam exercitatio adfert. Vel, nec reijcit quemquam philoſophia, nec eligit, omnibus lucet. Patricius Socrates non fuit, Cleanthes aquam traxit, & hortulo rigando manus locauit, Platonem non accepit nobilem philoſo-

loſophia, ſed fecit: Quid eſt quur deſperes his parem fieri te poſſe? omnes iſti maiores tui ſunt, ſi te illis geſſeris dignum. Quòd multò meliùs dicitur de Diuis noſtræ fidei. Sexto ab oppoſitis, vt ſi pacis bonum amplifices à calamitatibus, quæ bellum ſolent comitari. Et generalitèr, argumenta probantia, ſi rem non ſtrictim, more dialecticorum, ſed amplè, ac fusè tractentur, amplam reddent orationem.

Circa confutationem verò, curandum, ne quid relinquatur non impugnatum. Tradit autem Ariſtoteles duos modos, quibus aduerſarij refellamus argumenta, nempe (21) *negationem, & contra ſyllogiſmum*: *negatio* erit, quum declaramus infirmitatem facti argumenti, ſiue, quòd, ad concluſionem inferendam, aſſumptum fuerit aliquòd falſum, quòd vt tale inficiabimus, ſiue quòd concluſio ex antecedentibus non inferatur, vnde, etiam ſi dentur præmiſſæ, oſtendemus non ſequi propoſitum. Contra ſyllogiſmus autem erit, quum contraria noſtri ſyllogiſmi concluſione, aduerſarij illatum gradu deijcimus, ac labefactamus. Ad quem confutandi modum pertinet (24) *violentia*, ſeu *inuerſio*. Vt ſi quis dicat, Occidiſti, quia adfuiſti: reſpondebis. Immò non occidi, alioquin in fugam me conieciſſem. Aut ſi quis dicat, non eſſe ducendam vxorem, quia matrimonio adſtrictis, præcluditur grauioribus pœnis, vagi concubitus licentia: ſolues, Immò propterea vxor foret ducenda, vt pudicitia ſeruaretur.

Ordo autem argumentorum confutandorum, à prudentia potiùs, quàm ab arte dependet. Aliqui priùs leuiora ſoluunt, vt ex his gradum ſibi faciant in animum auditoris, & fidem inueniant in ſoluendis, grauioribus. Alij è contra, primò grauiora conantur ſoluere, vt quum horum fidem minuerint, intelligant Iudices nullo negotio leuiora poſſe ſolui. Mihi obſeruandum videtur, ſi quæ fuerint argumenta, quæ auditorum animos mouerint, & ad ea labefactanda ante omnia, toto incumbendum conatu, alioquin animus, contrarijs occupatus opinionibus, non recipiet, quæ nos dicimus, niſi ea priùs clarè refellantur, quæ ipſum in oppoſitam ducebant ſententiam; Vnde nitendum priùs, vt claris, & euidentibus ſolutionibus, illa labefactemus, nam tunc, exutâ contrariâ opinione, facile auditor accipiet quæcumque dixerimus contra illa argumenta, quę illum non mouebant. Immò expediet aliquando, multa ſimul leuio-

exempla, animos ad imitationem eorum, quæ narrantur, in-flammantia. Graues etiam ſententiæ, vel ſunt tales per ſe, eſto non proferantur acerbè, vt in eo, quod Demoſthenes dixit: *Si cerebrum in capite habetis, & non in calcibus*; id enim, vtcumque languide pronuncies, per ſe graue, & acerbum erit: Vel ratione pronunciationis, cuius (48) *grauitas* oritur, tam à figuris, quam ex verbis: figuris, inquam, tam verborum, quam ſententiarum, cuiuſmodi ſunt, (56) *reduplicatio*, ſeu (56) *repetitio* vocis, quæ fit in principio, vel fine, aut medio ſententiæ, & appellatur (56) *anadiploſis*, (57) *anaphora*, & (58) *aſindeton*, & etiam (59) *gradatio*: vt etiam (60) *Reticentia*, (61) *Præteritio*, & (62) *conformatio*, ſeu (62) *fictio perſonæ*, de quibus diximus in ſchematologia.

In hac etiam idea meliores ſunt imagines, quàm comparationes: vt enim ijs, qui cominus congrediuntur, haſtis, pugiones ſunt aptiores, ita in acri dicendi genere, imagines ob breuitatem, comparationibus præſtant, nam iſtæ pulchriores, quàm acres ſunt. Ad grauitatem etiam, & acerbitatem facit (63) *inſultus*, ſiue (63) *aſsurrectio*, vt quum Æſchines (64) *inuerecundiæ* arguiſſet Demoſthenem, quòd dicendo manum ſub pallio non contineret: hic ita in illum inſilijt per *epanaſtaſim*: *Non oportet ò Eſchines eum, qui dicit, manum habere ſub pallio, ſed illum, qui Legationem obit*. Quo pacto acerbè illi obijcit, quod in Legatione ad Philippum, paſſus fuerit, ſe pecuniâ corrumpi.

Grauitatem etiam dat (44) *Interrogatio*, & bona, ſiue (65) *fauſta appellatio*, & illa oratio, quâ aliquis obliquè perſtringitur, quæ [66] *per excellentiam* dici ſolet [67] *figurata*, in qua tamen ſeduló curandum, vt ſeruetur (68) *decorum*, ne quid dicas, quod dedeceat, ſed res graues dicas prudentèr abſque alicuius contumelia, neque in aſſentationem, aut offenſionem incurras. Vtrumque verò hoc malum vitabimus oratione (67) *figurata*, quæ quadrifariam fieri poteſt; primò oratione ancipiti, ita rem narrando, vt dubium relinquamus, num laudare, vel vituperare voluerimus: Secundo mutatione perſonæ, vt ſi apud Dionyſium Phalaridem vituperes, aut Hieronem, ſiue Gelonem commendes, qui pro Siciliæ parentibus, ac Magiſtris habiti ſunt, Tertio mutatione facti, vt ſi quis præclarè aliquid egerit, aliud verò turpe, prætereito eo, quòd malè actum eſt, rectè geſtum extollamus, & adhortemur, vt ſeſe velit imitari, & laudi-

bus laudes accumulare. Quarto mutando orationis formam; nempe, vel ſimplicitèr aſſerendo, quid fiat, vel non fiat, vt, Homines ſtudent liberis ſuis pecunias relinquere, at verò de moribus, ac ſcientia nihil habent penſi: Vel præcipiendo, vt, Parentibus, non tàm curæ debet eſſe, vt de pecunijs liberis proſpiciant, quàm vt illi eis vti ſciant, vt decet: Vel interrogando, vt, O puer, num magnam pecuniæ vim tibi pater reliquit? Magnam certè. Num etiam, & ſcientiam reliquit, quâ eis vti ſcias? Et hæc eſt omnium optima forma, quia ſic puer ſuam videt imperitiam, quâ impellitur ad diſcendum.

Tractatur etiam hæc forma, vel (69) *per aſseuerationem*, affirmando, vel negando citrà dubitationem, vituperando etiam eos, qui oppoſitum dixerint, quod tamen minùs conuenit grauitati: vel per allegoriam, iungendo metaphoras, ſiue alludendo ad ſententias grauium ſcriptorum, aut ad publicum aliquod monumentum, quomodo Paulus ex eo, quod Athenis inuenit aram, in qua ſcriptum erat (70) *Ignoto Deo*, occaſionem accepit prædicandi illis (71) *ignotum Deum*, vel per occultam ſignificationem iudicij, prudentiæ, experientiæ, aut eruditionis.

Putant aliqui in hoc genere vitandas apoſtrophas; ſiue auerſiones, & reuerſiones ſermonis, quia hæc ſchemata interrumpunt orationem, eamque demittunt vſque ad populare dicendi genus. Alij verò negant apoſtraphas officeri grauitati, quod probant ex oratione Adherbalis apud Saluſtium, vbi ſic ad fratrem apoſtrophatur. *Iam iam frater animo meo chariſſime, quamquam tibi immatùro, & vnde minime decuit vita erepta eſt, tamen lætandum magis, quàm dolendum puto caſum tuum; non enim Regnum; ſed fugam, exilium, egeſtatem & omnes has, quæ me premunt, ærumnas, cum anima ſimul amiſiſti. At ego infelix in tanta mala præcipitatus, pulſus ex patrio Regno, rerum humanarum ſpectaculum prebeo.* Sed vtrum hæc grauia ſint, aliorum eſto iudicium.

Grauitatem quoad dictionem, decent verba, & vocalia magis ſonantia, vt, A, &, O, vnde præ cæteris eligendæ ſunt voces, in quibus talia fuerint elementa: cuiuſmodi ſunt verbalia in O, vt Conſolatio, & obliqua nominum in as, vt Dignitas, & Comparatiua, vt Maiora. Conueniunt etiam grauitati voces modificatæ, modò ſint moderatæ, & verecundæ: nam duriores, & longè petitæ (72) *aſperam* reddunt orationem, non verò grauem. Conueniunt etiam composita, conſuetudo enim multa

coniungit, ſed attendendum vt verba rebus conueniant, vnde de vi, dicemus, irrumpere, de dolo verò, irrepere.

Quoad membra, oratio grauitatis inciſis vtitur pro membris, ſeu colis commaticis, vt, nonnè claſſem conſcendimus, non exiuimus? nonne in illius regnum nauigauimus? Periodi etiam in fine debent eſſe contortæ, & adſtrictæ, ſimplex enim, & ſoluta periodus, facilis, ac ſedati animi iudicium eſt, non verò grauis. Hæc etiam forma amat vocalium concurſum hiulcum, conſonantium verò aſperum: quia iraſcenti aſper conuenit ſermo, ideoque adhibet etiam (73) *malum ſonum* verborum, natum ob dictum vocalium, & conſonantium concurſum, vel ex eo, quòd periodus claudatur monoſyllaba, aut particula enclitica, quales ſunt quæ, ve, ne &c. Inde etiam eſt, vt vitari debeant (74) *antitheta*, (75) *parœmya*, & alia huiuſmodi ſcitamenta, quibus qui ſtudent, ludere non lædere velle videntur. Inde quoque eſt, vt id, quod in re quapiam maximè acerbum, & indignum eſt, ſit in extrema periodi parte locandum, vt ſpiculum relinquatur infixum. Debet etiam oratio eſſe breuis, & ſermo quodammodo ſubobſcurus, nam ita ſuſpicionem facit, quæ terreat, quod verò planum apertumque eſt, contemni ſolet. Conueniunt etiam ioci, ſed mixti acerbitati, vt de Caunicis quis dixit

Corpora ſunt hominum, foliorum qualia paſsim,

quia nimirum pallebant, eò quòd loca habitarent inſalubria, ſed Caunij hanc ducebant contumeliam, qui putabant ſeſe optimo habitare in loco. *Ad qua illa: Abſit inquit vt vrbem veſtram loco non peroptimo poſitam dixerim, vt qui videam in ea etiam mortuos ambulare*; qui iocus grauis eſt, & acerbus, nam qui priùs dixerat, habitantes pallere, poſtmodum etiam mortuos facit.

(76) *Aſperitas*, quæ eſt altera (77) *magnitudinis* pars, duplex eſt, nempè vel (78) *nuda, & ſimplex*, nullâ lenita remedio, cuiuſmodi eſt in Perſio; vel (79) *mixta, & temperata*, certas habens conditiones, quibus dulcoratur, qualis fuit in Horatio

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſsus circum præcordia ludit:

ad hanc pertinent ſententiæ ſimplices, & ſine correctione, dictæ liberè ex perſona noſtra, abſque dubitatione, aut alio remedio. Verba debent eſſe aſpera, ſiue natura, & ſono, ſiue ſignificatione, & metaphoræ duriores. Schemata propria ſunt apoſ-

trophe ad eum, qui increpatur, & interrogatio breuis, & acris.

Tertia pars magnitudinis eſt (81) *Vehementia*, quâ excandeſcimus in pares, aut inferiores, vt in ciues ſceleſtos: eſt autem Vehementia cognata admodum (82) *Aſperitati*, vtrâque enim aliquis reprehenditur, diſconueniunt verò, quòd aſperitate is, qui reprehendit, ſit ſuperior, in vehementia verò ſit par, aut inferior. Sententiæ formæ (83) *vehementiæ*, poſſunt eſſe aſperiores, quàm ſint, quæ aſperitati conueniunt: vnde in vehementia datur locus ſcommatibus, ſecùs in aſperitate; Methodus etiam eſt liberior, dictio verò ſimilis: cum hoc tamen, quod hic licet vocabula fingere, non verò ibi. Figuris vtitur iiſdem; ſed vlteriùs vſurpamus (84) *oſtenſionem, & reprehenſionem*, quæ fit per prænomina demonſtratiua, vt Hic, Ille &c. (85) *membra* erunt (86) *inciſa* adeò vt quandoque ſingula verba, membra conſtituant, vt Abijt, Exceſſit, Euaſit. Ideo hic etiam locum habent (87) *aſyndeta* vt, *Quid enim tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat &c.*

Quarta magnitudinis pars eſt (88) *ſplendor*, ſiue *fulgor*, aut *feſtiuitas*, in qua ſententiæ tales eſſe debent, in quibus maximè confidat orator, vt ſunt de Dei prouidentia, de rebus, a nobis, vel à maioribus noſtris, præclarè geſtis, de his, quæ auditores libentèr audiunt: vel continent comparationes, aut deſcriptiones locorum, quibus oratio mirificè illuſtratur. Methodus erit, vt ſententia ſimpliciter proferatur, non aſſumendo res aliunde, narrando etiam confidentèr, continuè, ſine dubitatione, ſuperiniectis & traiectis, referendo etiam probabiliter. Figuræ ipſius debent eſſe ſplendidæ, membra, compoſitio, & clauſula, eædem, ac in forma grauitatis.

Quinta pars magnitudinis eſt (89) *Vis*, nam quum oratio debeat eſſe vegeta, ac fortis, neceſſarius eſt ei vigor, quo, quaſi iuueniles habens lacertos, validè in aduerſarios tela iaculetur. Verum vigor non habet propria, apud Hermogenem, præcepta: apud quem ſententiæ, ac methodus eadem ſunt, quæ in aſperitate, ac vehementia, ſimilitèr, & verba: niſi quòd hîc aſpera verba leniri debent verbis grauitatis, ac ſplendoris. Schemata, cola, compoſitio, & clauſulæ ſimilia ſunt hic, ac in ſplendore, & vehementia, vt conſiderare licet in illuſtri vigoris exemplo apud Tullium in 1. Verrina: *Putas ne te poſſe de maximis, acerbiſſimiſque rebus, quum cauſam ſociorum, fortunaſque Prouinciæ,*

vincla, ius populi Romani, grauitatem iudicij, legumque ſuſceperis, tot res, tam graues, tam varias, voce, memoria, conſilio, ingenio ſuſtinere? Putas ne te poſſe, quæ C. Verres in Quæſtura, quæ in legatione, quæ Romæ, quæ in Italia, quæ in Achaia, Aſia, Pamphiliaque patrarit, ea quemadmodum locis, temporibuſque diuiſa ſunt: ſic criminibus, & oratione diſtinguere? Putaſne id poſſe, (id quod in eiuſmodi reo maximè neceſſarium eſt) facere, vt quæ ille libidinosè, quæ nefariè, quæ crudelitèr fecerit, ea æquè acerba, & indigna videantur eſſe ijs, qui audient, atque illis viſa ſunt, qui ſenſerunt! &c.

Sexta (77) *magnitudinis* pars eſt (90) *Complexio*, ſeu oratio cumulata, cuius magis habenda eſt ratio, quàm cuiuſlibet alterius partis, ſiquidem abſque qualibet ex illis, oratio magna eſſe poteſt, abſque complexione verò non poteſt; hæc enim circumplectitur omnia, quæ rei adduntur, vt ſunt genus, & ſpeciem, totum & partes, finem, & perſonam, locum & tempus, modum & inſtrumentum, cauſam &c. Vnde complexionis ſententiæ ſunt, quæ iuuant ad orationem amplificandam: hinc genus aſſumitur ad amplificandam ſpeciem, vel infinitum ad finitum; vel totum ad partem. Ad rem etiam augendam aſſumuntur circumſtantiæ, ac conſequentia, vt perſona, locus, tempus, occaſio & ſimilia. Eius methodus conſiſtit in (91) *inuerſione* naturæ verborum, vel orationis; (92) *inuerſio* naturæ verborum eſt, quum in rebus geſtis, priora poſtponuntur, referuntur verò priùs, quæ vltimò geſta fuerunt: (92) *Inuerſio* verò orationis, eſt, quum probationes ponuntur ante id quod eſt probandum. Quo ad verba (93) *complexio* non habet proprium verborum genus, niſi velis ad eam, pertinere (94) *permanſionem*, quâ diutiùs in eadem commoramur ſententia. Verùm permanſio potiùs ad prudentiam, quàm ad complexionem ſpectat.

Schemata verò complexionis generalitèr ſunt omnia illa, quæ per ſe ſententiam non abſoluunt, vt in quibus eſt Primò, nam expectamus, Deindè: talia ſunt (95) *enumeratio*, ſiue ordo partium, quæ non tantùm ob partium ordinem, perſpicuam reddit orationem, verum & rerum expectatione, auditoris ſuſpendit animum: Et (96) *electio*, quum ita recenſentur plura, vt vnum cæteris præferatur; & hypotheſis, quum oratio pendet ex coniunctione. Et (97) *oratio obliqua*; vt *ſententiæ* (98) *inſertio* inter ſubiectum, & prædicatum; & (99) *ſubiectio* particularum, quarum vna reſpondet alteri: & (100) *digeſtio*, quâ oratio

tio diſtinguitur particulis, cuiuſmodi ſunt Quamquam, Tamen, Quidem, Verùm &c. Talia ſunt etiam (101) *attractoria*, vt eleuatio, ſiue remotio, aut (102) *ſublatio*, *& poſitio*, quum aufertur vnum, & aliud aſſeritur, vt non hoc, ſed illud: & etiam (103) *abrogatio copulans*, quum, duobus propoſitis, oſtendimus non magis conſequi vnum, quam aliud. (104) *Conuerſio* quoque ſiue (104) *conuolutio*, qua periodus pluribus membris atque inciſis colligatur, adeò, vt intelligi nequeat, quouſque ad finem deducta fuerit. Et demum (105) *epembole*, ſiue (105) *hypoſtrophe* nempè longior (105) *interpoſitio* aliarum ſententiarum, adeò vt fiat hyperbaton: alioqnin ſi id, quod inſeritur non ſit longum, non fiet complexio, ſed oratio velox. (106) *Membra & compoſitio* complexionis ſumi debent ex alijs formis, excepta puritate, quia in puritate exponuntur res nudæ, in complexione verò omnia exaggerantur & dilatantur. Putant aliqui, inter quos eſt ipſe Hermogenes, ad complexionem reduci orationem plenam, ſeu refertam, quæ oritur ex eo, quòd frequententur ſchemata circumducentia, ex quibus ſcilicet naſcitur complexio; Verum hoc alij negant, quia (107) *oratio plena* poteſt eſſe etiam in humili, ac tenui charactere, complexio autem in ſolo magnifico reperitur.

Tertia idæa eſt (108) *venuſtas*: quæ duplex eſt, leuior vna, quæ comicis conuenit, qualis eſt illa Lyſiæ de vetula Æſchinis amaſia, *Cuius faciliùs dentes, quàm manûs digitos numerare quis poſſit*. vel illa (109) *Quot dignus erat accipere plagas, tot accepit dragmas*. Alia grauior, quæ adhibetur, vel ad amplitudinem, & dignitatem rei oſtendendam, vt apud Maronem 1. Æneidæ

At Venus Aſcanio placidam per membra quietem
Irrigat, & fotum gremio Dea tollit in altos
Idaliæ lucos, vbi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci adſpirans complectitur vmbrâ
Iamque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat, Tyrijs., duce latus Achate

& apud Homerum Odyſſea Z, quum Nauſicaa comparatur Dianæ: vel ad exacerbandum, vt quum Polyphemus apud Homerum ait: (110)

Neminem ego extremum comedam poſt ſuos ſocios,
Alios quidem priùs: hoc tibi hoſpitale munus erit:

Quo lepore, Polyphemi immanitatem apertè ob oculos ponit.

Talis

Talis etiam venuſtas eſt apud Xenophontem, nam quum Græci exhibuiſſent mulierem, quæ Pyrrhicam ſaltaret, Legatus Paphlagonum interrogauit, num Græci mulieres haberent belli ſocias: Cui Græcorum quidam reſpondit. *Has eſſe mulieres, quæ eorum Regem, caſtris exutum, fugere compuliſſent*. In qua venuſtate, duplex eſt aculeus, vnus quidem quòd Græcorum mulieres non ſint è mulierum vulgo, ſed ferè Amazones; alius, quòd ea foret imbellia, ſiue infirmitas Regis Paphlagonum, vt fœminæ quoque, eum ad fugam adegerint.

Diſpeſcuntur vlteriùs veneres; nam quædam ſunt in rebus ipſis, vt ſi loquamur de ludis, choræis, hortis &c. quis enim de Cupidine Erymnim, aut de riſu ploratum fecerit? quædam in tractatione, quum rebus naturâ iniucundis, atque odioſis, quædam conciliatur delectatio, vt Xenophon de Aglaitada Perſa dixit: (111) *Facilius eſt ignem ex eo excutere, quam riſum*: quo dicto ex homine prorſus inficeto, ac illepido, lepidum quid excuſſit. Quædam ſunt venuſta ſimul à natura, & modo tractandi, vt apud Homerum in Odyſſea quum dicitur. *Sicut autem quando Panderei filia Chloreis luſcinia bene canit, verè recens flante nouo, arborum in folijs ſedens denſis, quæ frequentèr verſans fundit perſonantem vocem, filium autem lugens Itylum dilectum, quem quondam ferro interfecit per inſaniam, filium Zethi Regis*. Vbi à natura eſt iucunditas, quum memorantur Ver, Luſcinia cantus: à tractatione verò, quia Luſcinia dicitur filia Pandarei, ſeu Pandionis, & Chloreis ideſt propago Chloris nymphæ, Zephyro nuptæ. Oratio quoque venuſta alia eſt (112) *calamiſtrata*, & fucata, quæ ratione nimij cultûs, & ob affectationem frigeſcere ſolet, & propterea eſt fugienda: alia verò eſt cum amplitudine, & (113) *dignitate*, à qua oratio dicitur ſplendida: ſplendor enim eſt cultus cum graui dignitate coniunctus: quæ venuſtas decet orationes Deliberatiui, & Iudicialis generis. Inter venuſtatem, quæ eſt cum dignitate, & eam quæ eſt cum nimia cura, mediat genus dicendi (114) *floridum, ac hilare*, quod decet orationes generis Demonſtratiui.

Venuſtas quoad ſententias, oritur in primis ex adagijs, ac prouerbijs, tum etiam ex fabulis ſiue nouis, ſiue antiquis. Sic Ariſtoteles rationem reddit, quur aquila ſenio confecta, fame pereat, *quia videlicet quum homo foret, hoſpites iniuriâ ſolerit afficere*. Sic quum quidam de fele retuliſſet, eam pro lunæ incremento

mento gliſcere, & in decremento extenuari, ſubiecit: hoc occaſionem præbuiſſe fabulæ, quâ luna felem dicitur peperiſſe. Sic Simonides dixit, fuiſſe quemdam virum nomine Talum, ex ære à Vulcano fabrefactum, quem, quum Sardi prohiberent in Cretâ proficiſci, ipſe in ignem inſiluit, pectoribuſque Sardorum adhæſit, qui quum propterea ringerentur ob æris calorem, ridere videbantur, & ſic ringentes, quaſi ridentes, in eius complexu perierunt: Inde dictus eſt, Riſus Sardonicus. Secundo oritur venuſtas ex timore immutato, quum inanis metus vertitur in riſum, vt quum quis cingulum videns, ſerpentem putauit. Tertiò ex imaginibus, vt quum Ariſtophanes gallum gallinaceum Medorum Regi ſimilem eſſe dixit: Regi quidem, quia purpurâ veſtitur, & quum manè cantat, è lecto deſilimus, haud secùs ac clamante Rege, metuimus: Medorum verò, quia criſtam geſtat erectam, ſic Medorum Rex, eo ab alijs differt, quod *thiaram* (115) *rectam*, & in ſublime elatam deferat, alij verò (116) *inflexam, & deorſum vergentem*. Quartò ex hyperbolis, non tamen quibuslibet, nam quædam ridiculæ magis ſunt, quàm venuſtæ, & propterea frigidæ reputantur, vt quum Ariſtophanes, Perſarum ſugillans ingluuiem ait, illos in furno boues aſſaſſe pro panibus.

Differt autem venuſtum à ridiculo, primò, ratione materiæ, quę in venuſto eſt hortus, fons &c. in ridiculo Irus, Therſites &c. in quibus eſt deformitas ſine dolore, aut admiratione. Deindè dictione, quæ in venuſto eſt pulchra, ornata, ac ſuauis: in ridiculo humilis, ac vulgaris. Tertiò fine, nam venuſtas propoſitam habet delectationem, ad quam ſequitur laus: at qui ex ſcurrilibus riſum captat, & ipſe rideri meretur. Ridicula verò iſta, Comædijs, ſatyris, ac mimis conueniunt, non verò grauibus compoſitionibus.

Quoad verba Venuſtatis, Grammatici venuſta putant, quæ ſignificant res aſpectu iucundas, vt floriferum, auricomum; vel gratas auditu, vt medulla, perennis, hinnulus; quæ aures demulcent ob concurſum liquidarum; vel quæ ex modo ſignificandi molliunt id, quod alioquin foret ingratum, ſi magis propriè diceretur; vt ſenex pro decrepito, & matrona pro vetula. Muſici verò dulcia, & venuſta credunt, tum (117) *lenia*, vt Eous, tum (118) *aſpera*, vt murmur; tum (119) *compacta*, vt bonitas; tum (120) *tumida*, vt (121) *bronta* (122) *bronte*, nempe

Y3 toni-

tonitruum; Specialitèr autem venuſtatem adferunt verba conciſa, & quum paucis effertur id, quod, ſi pluribus verbis diceretur, inuenuſtius foret: vt, quum Agaſias apud Xenophontem exprobraſſet Apollonidi, quòd Græcus non foret, eò quòd aures haberet perforatas more Lydorum, quinque tantum ſubiecit ſyllabas, nempe (123) *Et ſic erat*: id enim lepidiùs, ac venuſtiùs fuit, quàm ſi pluribus verbis id exprimeretur. Huc referri poteſt dilogia, ideſt oratio res duas ſignificans, vt quum dicitur Amazonem dormiſſe zonâ non ſolutâ; Præter enim id, quod primâ facie huiuſmodi oratio importare videtur, ſignificat etiã quòd illa erat adhuc virgo, ſiquidem (124) *quæ zonam ſoluiſſet*, corrupta erat.

Venuſtatem adfert in primis ordo verborum, vt quum Xenophon de Cyro à ſe dimittẽte Syneſium ait: *Donaſſe illi munera, & equum, & tunicam, & torquem, & agrum non ampliùs diripi.* Periiſſet venuſtas, ſi poſtremum donum, quod planè inuſitatum erat, initio, aut in medio collocaſſet. Deinde (56) *reduplicatio*, ſeu (56) *repetitio*, vt quum Sappho ait: *Virginitas; Virginitas quò me linquens abis*; cui (125) *Virginitas* eadem figura reſpondet *Non ampliùs veniam ad te, non ampliùs veniam.* Tertiò etiam (57) *repetitio*, vt eſt in illo eius Sapphûs dicentis (126) *Veſper omnia fers, fers vinum, fers caprum, fers matri filium*, vbi præcipua eſt venuſtas ex verbi repetitione. Quartò tranſlatio, quæ fit, quum vſurpantur verba, quæ de ſuo in aliud immigrarunt domicilium, vt quum dicitur, flos ætatis; Italiæ ocellum. Quintò apoſtrophe ad inanima, vt eſt illa Plautina:

Peſſuli, heus peſſuli, vos ſaluto lubens,
Vos amo, vos volo, vos peto, atque obſecro.
Gerite amanti mihi morem amœniſſimi:

Sextò compoſita, vt eſt illud (127) *Domine Pluto nigraliger.* Tale eſt Homericum, (128) *Vrbium euerſor* ſiue, vt, Plautus expreſſit, (128) *Vrbicapus*. Septimò (129) *verba vulgaris*, & plebeia tempeſtiuè vſurpata, ſicut (130) *monotes* ſignificat propriè hominem ſolitarium: Ariſtoteles tamen eam vocem tribuit apibus migraturis; dum ait (131) *Vox ſingularis, & certa*, quia videlicet tempore migrationis vocem edunt diuerſam ab ea, quã aliò bombiunt tempore. Tempeſtiuè autem vſurpantur voces è vulgo, tunc maximè, quum ſeruos, aut alios è fæce loqui facimus. Octauò vſurpata, vt, ſi Pſittacum dicas adulatoribus adulari,

 qui

qui locus poteſt ſub quarto comprehendi. Nonò collatio, vt quum Sappho ait (132) *Perrochus excelluit, ſicut præ alienigenis Cantor Lesbius*, ſiue excellit, vt Cantor Lesbius præſtat alienigenis. Decimò mutatio conſilij, quum ſcilicet, quaſi pænitudine ducti, reuocamus priùs dicta, vt apud eamdem Sapphum.

In altum attollite ſuperum limen fabri lignarij;
Ingreditur ſponſus æqualis Marti,
Viro magno multò maior.

corrigit enim, quod dixerat, quia nequit homo eſſe Marti æqualis. Vndecimò, quum alienum verſum aptè noſtræ inſerimus orationi, vt quum Ariſtophanes ridet Iouem, quòd, quum fulmine malos impetere deberet, illud torqueat in templa, ſibi ſacrata: Quod quia impiè dictum videri poterat, quaſi alludens ad illud Homericum. (133) *Sed quum ad Sunium ſacrum peruenimus promontorium Athenarum*, ait, [134] *Sed in ſeipſum contorquens iaculatur, & Sunium promontorium Athenarum.* Duodecimò quæ dicuntur [135] *præter expectationem*, vt quum Cyclops donum hoſpitale, quod parauerat, dixit eſſe, vt [136] *Neminem* nempe Vlyſſem, poſtremum comederet poſt ſuos ſocios: nullus enim tale expectaſſet donum. Denique venuſtatem adferunt accuſationes tectæ, quomodo apud Xenophontem narratur, quòd Seuthis Thracum Rex, conuiuio excepit Duces Græcorum, & deinde Heraclidem quemdam ſubornauit, vt conuiuarum ſingulos hortaretur, quò, honoris gratia, Seuthi donarent aliquid: quo pacto tectè Seuthi Regis ſordes, ac auaritiam accuſat.

Inter ſchemata, quæ [137] *venuſtatem* pariunt, in primis memorantur [138] *ſimilitèr incipiens*, & [139] *ſimilitèr cadens*, dummodo vitetur affectatio, & ſatietas, quam fugere poteris, tum [140] *dianopſi*, quum inter primum, & poſtremum membrum ſimile, interpoſueris aliquid, tum [141] *tranſpoſitione*. Iuuant etiam vt diximus [142] *Repetitio*, [143] ſiue [143] *Reuerſio*, [144] *Reduplicatio*, [145] *Gradatio*, [145] *Traductio*, & alia de quibus dicimus in ſchematologia. Idem præſtabunt [146] *Partitio parium*, & [157] *Innouatio*, & [148] *prolepſis*, & [149] *ſyllepſis*, & ſimilia [150] *ſchemata* Grammaticorum.

Forma iſta venuſtatis nullas habet peculiares ſententias, neque propriam methodum, Verbis tamen gaudet proprijs, domeſticis,

ſticis, & breuibus potius, quàm longis, ac peregrinis: poetica non aſpernatur, ſed parcè admittit. Membra debent eſſe, vel mediocritèr longa, vel breuia ſed continuata, & connexa, itaut alia ex alijs pendeant. In compoſitione, vitandi, hiatûs,& aſper conſonantium concurſus. Propiùs abeſt à poëtarum compoſitione, quàm aliæ ideæ, quapropter talis eſſe debet, vt eſto verſum non efficiat, non longè tamen abſit à verſu; ideo admittit pedes verſuum etiam heroicorũ, vt dactylos,ſpondæos,& anapæſtos. Verba quibus periodi conſtant, debent eſſe [151] *pari ſyllabarum numer , & accentu*, ſiue quantitate ſimilia: cum hoc tamen ſtat, quòd, nihil venuſtati varietate accommodatius. Clauſulæ non debent eſſe inſiſtentes, ſeu ſtabiles, immò potiùs pendulæ, ideoque penultima debet eſſe breuis, & vltima longa, vel è contra. Monoſyllaba in fine etiam adfert venuſtatem, vt in illo Horatij

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus:

Et in Maniliana *Itaque non mihi tam copia, quàm modus in dicendo quærendus eſt.* Aduerſatur huic formæ, breuitas,obſcuritatem pariens, & propterea crucians potiùs, quàm oblectans. Eidem etiam nocet anxia cura, quam [152] *periergiam* vocant; florida enim dictio, naturali ornanda eſt venuſtate, alioquin incidet in vitium affectationis, quod appellatur [152] *cacozelia.*

Inuenuſtas verò naſcitur, tum à rebus, vt ſi res turpes apertè Latinis, ac proprijs nomines verbis; Tum à verbis, vt in illo de quodam inſecto, quod dicitur Tethredis *Depaſcit loca montana; innolat verò, atque irrumpit in cauas quercûs*: quod putares dictum de fero aliquo animante,vnde,dictum de inſecto,frigidum eſt, & inuenuſtum. Compoſitio etiam ingrata: & inuenuſta eſt, ſi oratio ſit ſimilis diſſipatæ, ac diuulſæ, vt, ſi ſic ſe habuerit, & hoc, & illud occiditor. Erit etiam ingrata, ſi membra ſint fractis ſimilia,& non colligata. Velut etiam, ſi periodi ſint continuæ, & non interruptæ per aliud dicendi genus; quemadmodum,& ſi ſint longæ adeo, vt dicentem prope ſuffocent,nam ita ſatietatem adferunt, & moleſtiam.

Quarta forma eſt [18] *Concitatio*, ſiue præceps dicendi genus, vt non ſit ſimplex celeritas. Non enim ſufficit, Orationem eſſe perſpicuam, magnam, & pulchram, quorum primum eſt neceſſitatis, alterum dignitatis, tertium iucunditatis; ſed quum non debeat eſſe ignauis, nec imitari Tityrum ſub fago

recumbentem, aut ſtagnantem aquam; ſed potiùs fluuium plenis currentem ripis, aut iuuenem animo alacrem, corpore etiam vegetum, ac valentem, ideò eſt neceſſaria Concitatio, quâ ei additur dicendi vis, ac, velocitas, quæ cuilibet ineſſe poteſt characteri, Siquidem dicendi vis eſt in tenui charactere in illo Maronis.

Inſere nunc Melibae pyros, pone ordine vites.
I te mea, felix quondam pecus, ite capellæ:
Non ego vos poſthac viridi proiectus in antro,
Dumoſa pendere procul de rupe videbo.
Carmina nulla canam, non, me paſcente, capellæ
Florentem Cythiſum, & ſalices carpetis amaras

Et in mediocri apud eumdem 1 Georgicorum.

Nudus ara, ſere nudus: hiems ignaua colono,
Frigoribus parco agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuoque inter ſe læti conuiuia curant
Inuitat Genialis hiems curaſque reſoluit
Ceu preſſæ quum iam portum tetigere carinæ
Puppibus & læti nautæ impoſuere coronas.

Hæc idæa nullas habet ſententias proprias, niſi fortè apophtegmatica, nempè acutè dicta.

Formæ concitationis methodus, eſt, vt breuibus obiectiunculis, breues ſubdantur ſolutiones; quod trifariam fieri poteſt; primò enim ponenda eſt [154] *noſtrorum argumentorum obiectio.* secundò, poſſumus aduerſarij obiectionem anticipare; & diluere per antitheſim, ſiue prolepſim. Tertiò adhiberi poteſt [154] *Syndrome* ſiue *ſyncoreſis* quâ vnum concedimus, ſed alterum opponimus, vt, Litterarum quidem radices amaræ ſunt, ſed fructûs dulces. Admittit [118] *Concitatio* omne verborum genus, Sed maximè gaudet breuibus, quia celeriùs abſoluuntur. Eius ſchemata, vel reddunt Orationem inciſam, & tamen id facere non videntur, quod præſtant [156] *Obliquitas*, [153] *Conuolutio*, & [158] *Variatio caſûs* inciſim facta; Vel videntur Orationem incidere, ſed non incidunt, vt præſtat [159] *Reuerſio*, quâ, poſt factam declinationem, redimus ad perſonam, quam primariò ſpectat Oratio: [160] *Percurſio*, velox, & [161] *Excurſio*, quâ ità aliquid concedimus, vt aliud ſimul opponamus, vt,

Paruus Tydaus erat, bellator at idem.

Quorum

Quorum Reuerſio concitationem ſemper facit, Percurſio verò tunc tantùm, quum membra ſunt longiora. Vel videntur incidere, & de facto incidunt, vt *repetitio*, *reduplicatio*, [10] *reuerſio*, *& conuerſio*, de quibus actum in ſchematologia. Compoſitio caueat ne ſit hiulca: Pedes amat celeres, qualis eſt trochæus, qui pes in clauſulis laudatur.

Quinta idæa eſt mos. Moris autem, Hermogenes ſex facit ſpecies, ſeu partes, quæ ſunt, [163] *Simplicitas*, [164] *Suauitas*, [165] *acrimonia*, [165] *modeſtia*, [20] *veritas*, & [167] *grauitas* in obiurgando. Simplicitatis ſententiæ in primis ſunt eædem, quæ puritatis, aliquantò tamen communiores, deinde quæ ſimplicibus hominibus conueniunt, vt Tityrus ait:

Vrbem, quam dicunt Romam.

Sic Dido:

Anna, fatebor enim, miſeri poſt fata Sichæi.

Tale illud in Quintiana: *C. Quintius fuit P. Quintij huius frater, ſanè cæterarum rerum paterfamilias & prudens, & attentus, vna in re paulo minus conſideratus, qui ſocietatem cum Sexto Neuio fecerit; viro bono, veruntamen non ita inſtituto, vt iura ſocietatis, & officia certi patris familias noſſe poſſet.* Tertiò, quum multa petuntur exempla ab animalibus, ſtirpibus, aut ſimilibus, multa inquàm, nam vnum, aut alterum, ſuauitatem potiùs, quàm ſimplicitatem adfert. Quartò quum iureiurando nobis aduerſarium, vel auditores obſtringimus, aut parua de re, aliquid iureiùrando affirmamus. Quod ſi iuramentum vim habeat argumenti, non ſimplicitatem, ſed ſplendorem, ac magnitudinem parit. Methodus ſimplicitatis eſt eadem, ac formæ puritatis, addimus tantùm nos, ſimplicitatem conſequi poſſe, ſi ſingula minutatim narremus, aut ſi res graues, nudè proponamus, & abſque circuitione. Dictio ſimplicitatis etiam eadem eſt, quæ puritatis, quemadmodum etiam & ſchemata, clauſulæ, & compoſitio, ex forma puritatis petenda erunt.

[168] *Suauitas, à venuſtate differt*, quòd huic opponatur turpe; illi aſperum. Maximè verò ſuauitas conſiſtit in ſententijs, in quibus narramus fabulas poëticas, aut etiam ea, quæ, eſtò ſint in hiſtorijs, fabuloſa tamen ſunt, vt de Romulo, & Remo à lupa nutritis. Vel ea hiſtorica, in quibus aliquid fabuloſum admiſcetur. [169] *Suauis* etiam eſt narratio eorum, quibus maximè afficitur ſenſus, vt deſcriptiones horti, fontis, col-

lis,

lis, &c. Nec minùs ſuaue eſt auditori, ſuam, aut ſuorum, ſiue affinium, propinquorum, vel amicorum, ſiue operum, aut ſtudiorum audire laudes: Et denique ſuauis eſt (180) *proſopopœia*, *& apoſtrophæ*, ad res inanimes, aut intellectu carentes. Methodus erit eadem, ac in forma (181) *puritatis*, quemadmodum etiam dictio, nempè conſtans ex verbis proprijs, aut metaphoris non longè petitis, non tamen ità, vt ornatum reſpuat, quinimmò illa Oratio ſuauior erit, quæ, citrà affectationem, erit magis picta. Admittit etiam poëtica, & epitheta, citrà tamen ſatietatem. Schemata, & compoſitio erunt, vt in pulchritudine, & puritate, niſi quòd quandoque etiam vocalium concurſus ſuauitatem conciliat, vt liquet ex illo Virgilij Ecloga 3.

Phyllida amo ante alias.

Clauſula erit vt in venuſtate, & dignitate.

(182) *Acrimonia* autem, duobus conſtat ſententiarum generibus, nam vel acuta ſimpliciter efferimus, vt Cyrus fecit apud Tullium in Catone maiore, dicens: *Nolite arbitrari me, quum à vobis diſceſſero, nuſquam, aut nullum fore, &c.* Vel ſimplicia acutè explicamus, quod fieri quadrifariam poteſt; vel enim ludimus (183) *æquiuocatione*, vſurpando vocabulum in noua, ſed conuenienti ſignificatione quoad (184) *originem*, vt ſi (185) *ſcortum* appelles (186) *virorum amatricem*. Vel ob (187) *ſoni ſimilitudinem*, vt eſt in vocibus conſtantibus eiſdem ferè litteris. Vel repetendo vocem cum ſignificationis mutatione; vt eſt in (188) *paranomaſia*, *antiſtaſi*, *& dilogia*. Vel ob coniunctionem duarum metaphorarum, quarum prima ſit mollior, alia durior, vt in Maniliana: *Corinthum, Patres veſtri, totius Græciæ lumen, extinctum eſſe voluerunt.* Nam durum erat ſimpliciter dicere, Corinthum extinctum, id verò molle, & mite redditum, præmittendo lumen.

(189) *Modeſtia*, quæ potiùs æquanimitas dicenda eſt; Nam modeſtia Græcis eſt (190) *ſophroſyne*, & comprehendit etiam epicheiam, præter ſententias, ac methodum, in reliquis conuenit cum ideâ puritatis. Sententiæ autem eius erunt, quum noſtra extenuamus; qui modus maximè locum habet in exordijs; Vel, quum ea omittimus, quæ pro nobis dicere poteramus, quod fecit Demoſthenes accepto colapho à Midia; nam quum poſſet dicere ad crimen aggrauandum, quod erat (191)

Trietan-

Trierarchus, ſiue Admiralius, & optimè de Rep. meritus, his tamen non inſiſtit, ſed ait, ea ſe tantùm proſequi velle, quæ quiuis è populo in tali cauſa dicere poſſet. Vel quum Orator ait, ſe, aduerſarij importunitate, coactum dicere; Vel quum, reprehenſuri, laudamus, vt fecit Tullius in Maniliana, laudans Hortenſium, & Catulum, quorum ſententiam refutabat; Methodus verò erit, vel per extenuationem noſtrorum bonorum, ſiue hoc apertè, ſiue occultè fiat, immò quantò extenuatio eſt tectior, tantò maiorem indicat modeſtiam. Vel etiam per (192) *præteritionem*, quæ aliquando, ne quidem commemorat bona, quæ præterit, aliquando verò tantùm nominetenùs, eſt præteritio, vt quum dicimus nos præterituros, quæ ſaltem curſu delibamus. Vel per narrationem, quâ res nudas breuitèr, & ordine recolimus, nihil extrinſecùs aſſumendo.

Sexta idæa, & quinta pars Orationis moratæ, eſt Veritas, in qua quæuis ſententiæ locum habent, maximè ſimplicitatis, quia (193) *veritatis ſermo ſimplex eſt*; Ad methodum pertinet non prædicare animi affectionem, vt quum citrà præmunitionem optamus, admiramur, vel iuramus. Deinde aduerſariorum argumenta non diſſimulare, ſed verè proponere, atque eis reſpondere abſque præmunitione. Vlteriùs aggredi ex abrupto, nam id videtur indicium Orationis impremeditatæ. Inſupèr variatio ſchematum, vt quum à Iudicibus ad nos, à nobis ad aduerſarium tranſimus. Præterea (194) *confeſſio* vt:

Anna, fatebor enim, miſeri poſt fata Sichæi
Coniugis, & ſparſos fraterna cæde Penates
Solus hic inflexit ſenſus, animumque labantem
Impulit. Agnoſco veteris veſtigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiſcat
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras
Pallentes vmbras Erebi, noctemque profundam,
Ante pudor quàm te violo, aut tua iura reſoluo.
Ille meos, primus qui me ſibi iunxit, amores
Abſtulit, ille habeat ſecum, ſeruetque ſepulchro.

(195) *Dicti pœnitentia*, (196) *verbi emendatio*, (197) *ſuſpſius admonitio, dolor*, proptèr verbum, quod exciderit. (198) *Dictio* autem variat pro affectuum varietate; Nam in ira, verba debent eſſe aſpera, ac vehementia; in lenitate verò ſuauia.

Schemata hùc pertinentia ſunt, quæ oſtendunt Orationem ex animo proficiſci, vt (199) *apoſtrophe* ad aduerſarium, & cum (220) *interrogatione*, (201) *demonſtratio*. (202) *Dubitatio*, (203) *Reticentia*; (204) *Iudicium* Oratoris, ſiue de perſona, ſiue de facto, aut re. (205) *correctio*, & (206) *diſtributio*, quæ tamen non debet eſſe abſoluta, alioquin indicaret meditationem, & ità ſuſpecta redderetur. Membra, compoſitio, & clauſula, vt in vehementi, niſi in Oratione lugubri; aut miſericordi, quando debent eſſe, vt in Oratione ſimplici.

Sexta moratæ Orationis pars, eſt (208) *grauitas*, quæ eſt grauis, ac moleſta auditoribus Oratio, nempè quâ Orator cum ipſis auditoribus expoſtulat: vnde eius ſententiæ ſunt (209) *exprobrantes*, quæ applicantur, vel ad res, vt quum quis ait, ſe, pro meritis in Remp. aut nulla accepiſſe beneficia, aut pro maximis, minima: Vel ad perſonas, vt ſi quis dicat, ſe ob id in exilium eijci, ob quod alius maximis ſit honoribus aut dignitatibus ornatus. Methodus magis proportionata, erit diſſimulantèr loqui, tàm de ſe, quàm de aduerſario; iuuabit etiam ad methodum, interrogando in dubitationem reuocare res confeſſas, vel etiam eas dubitantèr affirmare; vel aſſerere, aliquid eſſe neceſſarium, quod tamen indicare velit, neceſſarium non eſſe; qui eſt modus ironiæ. Reliqua communia habet cum modeſtia, & ſimplicitate.

Septima ac poſtrema ideæ, ſeu dicendi forma ab Hermogene tradita, eſt (210) *Vis dicendi*, quæ conſiſtit in recto, ac conuenienti omnium figurarum vſu, quæ Græcis (210) *dinotis* appellatur. (211) *Dinotis* ergo tria ſunt quodammodo genera, nam quædam Oratio videtur habere dicendi vim, & reuera eam habet: alia prædita eſt vi dicendi, ſed id non apparet, alia (212) *dinotis* eſſe videtur, ſed non eſt; qualis eſt illa apud Horatium.

Fortunam Priami cantabo; & nobile bellum,

Cuiuſmodi etiam erat Oratio Sophiſtarum; quæ vim habere videbatur ob verborum grauitatem; quum tamen in rebus, ac ſententijs vis nulla foret. Huius ideæ ſententiæ ſunt, vel (213) *incredibiles*, contra omnium, vel ſaltem maximæ partis hominum, opinionem. Vel (214) *obſcura*, itaut à paucis, iiſque eruditis tantùm, intelligantur. Vel (215) *violentæ*, quibus aduerſariorum argumenta, in ipſos retorquentur. Vel tandem

omitten-

omittentes alterutram ſyllogiſmi propoſitionem. Cætera petantur ex alijs idæis, maximè è forma magnitudinis: Non enim in his immorari magis lubet, ne opus in immenſum creſcat, maximè quum, ex ſuperius dictis, omnia lucem accipere poſſint.

(1) μέτριον (2) γλαφυρὸν (3) δεινὸν (4) μεγαλοπρεπὴς (5) ἰσχνὸν (6) ἁδρὸν (7) πᾶς χαρακτὴρ (8) σαφήνειαν (9) μέγεθος (10) κάλλος (11) γοργότητα (12) ἦθος (13) ἀλήθειαν καὶ (14) δεινότητα (15) σαφὴς (16) μέγαθος (17) κάλλος (18) γοργότης (19) ἦθος. (20) ἀλήθεια (21) δεινότητα (22) ἔννοιαν. (23) μέθοδον (24) λέξιν. (25) σχῆμα (26) κῶλα. (27) συνθέχυν (28) ἀνάπαυσιν καὶ (29) ῥυθμὸν (30) καθαρότητα (31) εὐκρίνειαν. (32) καθαρὸς (33) ἀκατάσκευος (34) καθαρότης (35) γλαφυρὸς (36) ἐργασία (37) εὐκρίνεια (38) λογοειδεςέρα (39) διάκρισιν (40) διαίρεσιν καὶ (41) διάταξιν (42) ἀνακεφαλαίωσις (43) μερισμὸς (44) ἐρώτησις (45) ἀντίχρησις (46) ἐπανάληψις (47) μέγαθος (48) σεμνότης (49) τραχύτης (50) σφοδρότης (51) λαμπρότης (52) ἀκμὴ καὶ (53) περιβολὴ (54) ἐξεργασίαν (55) παραδείγματα (56) ἀναδίπλωσις (57) ἀναφορά (58) ἀσύνδετον (59) κλῖμαξ (60) ἀποσιώπησις (61) παράληψις (62) προσωποποιΐα (63) ἐπανάστασις (64) τῆς ἀναιδείας καὶ ἀναισχυντίας (44) ἐρώτησις. (65) εὐφημισμὸς (66) κατ᾽ ἐξοχὴν (67) ἐσχηματισμένη (68) τὸ πρέπον (69) κατὰ ἀπόφασιν (70) τῷ Θεῷ ἀγνώστῳ (71) ἄγνωστοι Θεῶν (72) τραχεῖαι (73) κακοφωνίαι (74) ἀντίθετα. (75) πάρομοια (76) τραχύτης (77) με-

γέτους (78) ψιλὴ ϗ ἁπλὴ (79) διορθωτικὴ ϗ ὑποθετι-
κὴ (80) ἐρώτησις (81) σφοδρότης (82) τραχύτητι (83)
σφοδρότητος (84) δεῖξιν ϗ ἐπιτιμητικὴν (85) κῶλα
(86) κομμάτικα (87) ἀσύνδετα (88) λαμπρότης
(89) ἀκμὴ (90) περιβολὴ (91) ἀναστροφὴς (92) ἀνα-
στροφὴ (93) περιβολὴ (44) ἐπιμονὴν (95) ἀπαρίθμησις
(96) προτίμησις (97) πλαγιασμὸς (98) ἐπιτρέχον
(99) ὑπόστασις (100) μερισμὸς (101) ἐφολκίδες
(102) ἄρσις ϗ θέσις (103) ἀναιρέσεως συμπλεκτικὴ
(104) συστροφὴ (105) ἐπεμβολὴ. ὑποστροφὴ (106) κῶ-
λα ϗ σύνθεσις (107) μεστότης (108) κάλλος; χαροπό-
της, εὐσχημοσύνη (109) ὅσας ἄξιοι σῦν λαβεῖν πληγὰς το-
σαῦτα εἴληφε δραγμάς (110) Οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδο-
μαι κατ᾽ εἰς ἑτάροισι τοὺς δὲ ἄλλοις πρόσθεν τόδε τοι ξει-
νήιον ἔσται (111) Ῥᾶον ἐστὶ πῦρ ἐκ τρίψαι ἀπὰσοῦ ἢ γέ-
λωτα (112) ἐν ὥρα ϗ καλλωπισμοῦ (113) ἐν ἀξιώματι
(114) γλαφυρὸν ϗ φαιδρὸν (115) κυρβασίαν ὀρθὴν
(116) προβάλλουσαν (117) λεῖα (118) τραχέα (119)
εὐπαγὴ (120) ὀγκηρὰ (121) βροντὰ (122) βροντὴ
(123 ϗ εἶχεν οὕτως 124 λυαίζωνον 56 ἀναδίπλω-
σις 125 παρθενία 57 ἀναφορὰ 126 Ἕσπερε πάν-
τα φέρεις, φέρεις οἶνον, φέρεις αἶγα, φέρεις ματέρι παῖδα
127 Δέσποτα Πλούτων μελανοπτερύγων, vel μεγα-
λοπτερύγων 128 πτολίπορτος 129 ἰδιωτικὰ ὀνόμα-
τα 130 μονώτης 131 φωνὴ μονώτης. ϗ ἴδιος 132.
Πέρροχος ὡς ὅτ᾽ ἀοιδὸς ὁ Λέσβιος ἀλλοδαποῖσιν 133
Ἀλλ᾽ ὅτε Σούνιον ἱρὸν ἀφικόμεθ᾽ ἄκρον Ἀθηνῶν 134

ἀλλα-

ἀλλὰ τὴν εαὐ τȣ̃ νεὼν βαλλει κὶ Σȣ̃νιον ἄχρον Ἀθηνῶν (135) ἀπροσδόκητα (136) οἶτιν (137) εὐσχημόσυνη 138 ὁμοιοάρτον κὶ 139 ὁμοιοκατάληκτον 140 διανόψει 141 ἐναλλαγῆ (142) ἐπαναφορὰ 143 ἀντιςοφὴ 143 ἐπαναςροφῆ (144) κλιμακωτὸν (145) μονόπτωτον (146) μερισμὸς κατ' συζυγίαν (147) καινοπρεπῆ (148) περίληψις 149 σύλληψις (150) σχήματα (151) ἰσοσύλλαβα ὁμοιότονα κὶ ὁμοιόχρονα (152) παριεργίαν (153) κακοζηλία (18) γοργότης (154) ἀπάντησις ȣ̃ εναντίωσις 155 συνδρομή ſiue συγκώρησις 156 πλαγιασμὸς 157 συστροφὴ κὶ 158 πολύπτωτον 159 ὑποςροφὴ 160 ἐπιτροχὸς 161 ἐπιδρομὸς 162 ἀσύνδετον ἐπαναφορὰ ἀντιςροφὴ κὶ συμπλοκὴ ſeu πολυσύνδετον 12 ἦθος (163) ἀφέλεια 164 γλυκύτης 165 ἐπιείκεια 20 ἀλήθεια κὶ 167 βαρύτης (168) γλυκύτης ἀπὸ χαροπότητος διαφέρει 169 γλυκὺς 170 προσωποποιΐα κὶ ἀποςροφὴ 171 καταρότητος 172 Δριμύτης 173 ὁμωνυμία 174 ἐτυμολογίαν 175 πόρνην 176 φίλανδρον 177 ὁμοιότητα 178 παρανομασία, ἀντίςασι κὶ διλογία 179 ἐπιείκεια 180 σωφροσυνὴ 181 τριηράρχος 182 παράλειψιν 183 ἁπλȣ̃ς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἐςὶ 184 παρομολογία 185 μετάνοια 186 ἐπανόρθωσις 187 ἀνάμνησις λύπη 188 λέξις 189 ἀποςροφαὶ 190 ἐρωτήσεως 191 δεικτικὸν 192 διαπόρησις 193 ἀποσιώπησις 194 ἐπίκρισις 195 ἐπιδιόρτωσις 196 ἀναπόλυτος μερισμὸς 197 βαρύτης 198 ὀνειδιςικαὶ 199 δεινότης 200 δεινότητος 201 δεινὴ 202 παραδόξαι 203 βαθὺ 204 βίαιαι.

CORONIS

Mantiſſa, ſeu Coronis.

De geſtu, pronunciatione, & memoria.

PRonunciatio (1) eſt rerũ, ac verborũ cum dignitate, vocis corporiſq; moderatio. Cuius tanta eſt præſtantia, vt ei Demoſthenes, primas, ſecundas, tertiaſque tribuerit oratoris partes: & meritò, nam Tullio teſte, infantes, actionis dignitate, eloquentiæ ſæpe fructum tulerunt; diſerti verò, agendi deformitate, infantes reputati ſunt. Ea verò comparatur illis tribus, quæ omni diſciplinæ ſunt neceſſaria, nempe methodo, naturâ, & doctrinâ; vel naturâ, arte, & exercitatione; Verùm, natura ſine diſciplinâ, cæca eſt; diſciplinâ ſine natura, mutila: exercitatio, ſine qualibet illarum, imperfecta. Natura quibuſdam eſt aduerſa, ob frontis mollitudinem, inſitumque pudorem: Alios deterret vox, quæ pro clara, ac candida, tenuis ſit, & obſcura, rauca, fæminea; aut inflexibilis, vel quæ litteram aliquam efferre non valeat, ſiue quæ ſyllabam etiam prætereat, ac tranſiliat: Nec tamen in his animus eſt deſpondendus, quum, ipsâ naturâ repugnante, multi ſummi euaſerint oratores, vt de Demoſthene, Plutarchus, ac Cicero teſtantur. Et hoc ideò, quia, vt inquit Heliodorus; (2) *Ars & naturam ſcit frangere*. Et, vt vult Menander apud Stobæum, (3) *Cura ac labore datum aſſequi quiduis*. Olim pro voce corrigenda (4) *præcentores* medicamenta quædam, ſeu plaſmata dabant, vt innuit Perſius quum ait:

Liquidò quum plaſmate guttur
Mobile colluerit.

Vſus etiam vocem iuuat; Vnde non debet Orator ſemper in angulis conſidere, ſecretiſque librorum incubare, ne de eo Cato dicat, ipſum hærere in Iſocraticis diatribis, quaſi cogitans reis apud inferos patrocinari. Expedit ergo, deſertis parietum vmbris, nonnumquam in fori lucem prodire. Igitur quemadmodum ad vberis meſſis prouentum, tum aruum requiritur fertile, tum agricolæ labor, ſine quo dumos gignet, ſentibuſque, ac ſqualore obducetur; ità ad omnem, & eam in primis, de qua agimus

agimus, diſciplinam, facili opus eſt naturâ, deinde artis cultura, atque vſu, non quidem continuò, ne ingenium deteratur, ſed alijs quandoque negocijs diſtricto, nam rectè Statius cecinit

Maior poſt otia virtus;
Talis cantatâ Briſeidâ venit Achilles
Acrior, & poſitis erumpit in Hectora plectris.

Diuiditur autem pronunciatio generalitèr dicta (5) *in affectionem vocis, & corporis configurationem*, illa propriè, & magis preſsè pronunciatio appellatur: hæc verò Græcè dicitur (6) *praxis*, vel (7) *hypocriſis*, Latinè verò actio. Quarum partium aliqui digniorem vtilioremque dixerunt eſſe Actionem, quòd ab omnibus intelligi queat, vox verò non item: At mihi oppoſitum ſit magis veriſimile; multò enim libentiùs audiuntur, ac magis mouent, qui voce pollent grata, ac ſuaui, quàm qui geſtibus præualent, ſed voce ſunt abſonâ, ac abſurdâ. Inimò verècundiæ olim ac modeſtiæ dabatur, adeoque commendabile erat geſtibus carere, & ne manum quidem extra pallium exerere; Nec ratio in oppoſitum conuincit, quum nedum geſtus, ſed etiam vocis flexûs, ſuauitas, ac vis, ab omnibus percipiatur, etiam ſi, quæ dicuntur non intelligantur. Vnde & abſque geſtu, luſciniæ cantu oblectamur, vt ranarum coaxatione torquemur Mitto, quòd orator, quum ſit vir prudens dicendi peritus, ea dicere debet, quæ auditores intelligant. Quare etſi magis moueat orator, qui cum vocis bonitate, conuenientem etiam habeat corporis geſtum, ſine tamen voce, corporis motus iacebit, ſine verò geſtibus, ipſa vox magnam vim habere creditur (8) *Præceptum generale* eſt, vocem, ac geſtum ita temperari debere, vt geſtus voci, vox rebus conſentiat. Præcepta verò ad ſolam vocem pertinentia, vel totam reſpiciunt orationem, vel certas illius partes. In tota attenditur tum quantitas vocis, tum qualitas. Quantitate vox eſt grandis, vel exigua, præceps, vel tarda. Qualitate, eſt rauca, exilis, aſpera, lenis, plena, ſonora, grauis, acuta &c. Circa quantitatem primò obſeruandum eſt, vt ſoni magnitudinem pro loci amplitudine moderemur. Secundò, vt ſingula cum aliqua proferamus mora; ſermo enim præceps, indecorus eſt, & minùs percipitur; numerus etiam ipſius, aures præteruolat, ſine fructu, ac voluptate. Tertiò, vt cui vox eſt imbecillior, rariùs attollat, ſæpiùs deprimat, ac flectat; Vox enim, neruis ſimilis dicitur, vnde quò remiſſior eſt,

eſt, eò eſt grauior, quò intentior, eo magis acuta, & inſuauis.

Circa qualitatem, conſiderandæ ſunt, claritas, & ſuauitas. Ad claritatem pertinet, vt planè, & articulatè loquamur. Ei conferunt illa, quæ, ad vocem firmandam, requirit Magiſter Herennianus, nempe, vt in exordio loquamur ſedatè, nam læduntur arteriæ, ſi exaſperentur clamore, priuſquam leni fuerint voce permulſæ. Deinde, vt longiuſculis interuallis ſermo diſtinguatur, quia & vox, reſpiratione recreatur, & arteriæ reticendo quieſcunt. Et, vt eſt inciuile, ac agreſte, incipere cum clamore, ità non relinquere auditori ſpatium cogitandi. Tertiò vt crebrò vox mutetur; ità namque ad omnem vocem erimus integri. Porro nihil (9) *monotonia*, & iacenti oratione ingratiùs, vnde Horatius dixit:

Citharædus
Ridetur, qui ſemper chordâ oberrat eadem.

Denique vt vitemus acutas exclamationes, quum nihil vociferatione illiberaliùs, qua & aures audientis, & dicentis læduntur fauces. Iuuat etiam vocem, ex pectore exprimere, non ex capite, illa enim grauior eſt, & magis ſonora, ac plena, ideoque ſuauior, quam iſta, quæ, vt acuta, inſuauis eſt. Antiqui habebant (10) *præcentores*, qui vocem præbebant, ſi quando in ea erraret orator. Suauitatem etiam nos comparabimus, imitatione eorum, qui ſuauiter, & cum ſoni moderatione dicunt.

Iſta quidem in tota oratione: ſed commutanda eſt vox in ſingulis partibus. Caueat in primis orator, ne ſimul, ac prodit, erumpat in verba, quinimmò priùs, cogitabundus aliquantulum morari debet; hoc enim & auditoribus placet, & ipſe interea ſeſe recolligit, & ad dicendum componit. Sic Vlyſſes apud Naſonem:

Laërtius heros
Adſtitit, atque oculos paullùm tellure moratos
Suſtulit ad proceres, expectatoque reſoluit
Ora ſono.

In exordijs tamen ex abrupto, licebit ſubitò in verba erumpere, vt, *Quouſque tandem abutère patientiâ noſtrâ Catilina*. Vlterius in exordijs, niſi conſtent indignatione, voce vtendum ſubmiſſa, ac verecunda; quæ præter alia commoda, facit ad animos conciliandos, alioquin feroculum illum oratorem, omnes auerſabuntur.

buntur. Ab exordio vox paulatim exurgat, vt in narrando ſit apertior, & altior; in confirmatione varia pro natura cauſæ, in argumentatione ſeuerior, niſi argumenta ſint adeo ſiculnea, vt eâ ridere debeamus, quæ ideo ſint ironicè pronuncianda. Altior debet eſſe in confutatione: in peroratione denique, quaſi iam partâ victoriâ, erit alacrior, & excitatior, nam ita oſtendit ſe, tam de bonitate cauſæ, quàm de auditorum prudentia, confidere.

Non tantum pro maiorum partium varietate, vox variari debet, ſed etiam pro minutiorum, atque adeò pro ſingulis affectibus, rebus, ac verbis. Grandia enim, recitanda ſunt cum quadam maieſtate, atrocia concitatè, triſtia flebiliter, mediocria temperatè. In ſuadendo, & monendo vtemur voce graui: in laudando, ſublimi: proſopopeiam efferemus voce fictâ: reticentiam conciſa. Obſeruabimus etiam, qui tonus ſit proprius mirantium, quiue interrogantium, indignantium, aut irridentium. In verbis, ſi ſint coniuncta, curandum, vt quæ numerosè ſcripta ſunt, etiam obſcuriori quadam vocis modulatione, efferantur: & etiam ſi ſint ſimplicia, animaduertendum, ne quæ abſorbeatur ſyllaba, & vt emphatica emphaticè proferantur, & vt omnia, in quibus eſt venuſtas, aut ſpiritus, longiori dicantur tractu, vt metaphoræ, ironiæ, comparatiui &c.

Ita verò varietas ex vocis modulatione, ac flexibilitate oritur. Hanc Q. Cornificius dixit naſci ex exercitatione, eamque diuiſit in ſermonem, contentionem, & amplificationem. Sermo eſt oratio remiſſa, & finitima quotidianæ locutioni. Contentio eſt oratio acris, ad confirmandum & confutandum accommodata. Amplificatio eſt oratio inducens ad iracundiam, aut ad miſericordiam. Sermonem vlterius diuidit in Dignitatem, Demonſtrationem, Narrationem, & Iocationem. Dignitas eſt oratio cum aliqua grauitate, & vocis remiſſione. Demonſtratio eſt, quæ remiſsâ voce docet, quomodo quid fieri potuit, aut non potuit. Narratio eſt rerum geſtarum; aut perinde ac geſtarum expoſitio. Iocatio eſt oratio, qua liberalis riſus comparari poteſt. Contentio diuiditur in Continuationem, & diſtributionem: illa eſt orationis enunciandæ acceleratio clamoroſa. Hæc eſt oratio frequens cum raris, & breuibus interuallis, ac acri vociferatione. Amplificatio diuiditur in Cohortationem, & Conquæſtionem; illa eſt, quæ aliquod pec-

catum

catum amplificans, auditorem ad iracundiam adducit: Hæc, quæ incommodorum amplificatione, animum auditoris ad miſericordiam perducit.

Quando ſermo eſt in Dignitate, plenis faucibus, voce ſedatiſſima, ac depreſſa, vti conuenit, ita tamen, vt ab oratoria non tranſeamus ad tragicam conſuetudinem. Quandò eſt in Demonſtratione, vtemur voce pauliſper attenuata, crebris interuallis, & diuiſionibus, vt ipſa pronunciatione, auditorum animis inſerere videamur res, quas demonſtramus. Quum eſt in Narratione, vocum varietate eſt opus; Nam ſi quid velimus oſtendere ſtrenuè factum, id celeriuſculè dicemus: otioſè verò factum, retardabimus: deinde nunc acritèr, nunc clementèr, mæſtè, hilariter, in omnes partes commutabimus, vt verba, ita pronunciationem, obſeruando, vt voce exprimamus affectûs, ac ſenſûs omnium perſonarum. Quum eſt in Iocatione, leniter, & cum parua riſus ſignificatione, abſque cachinnis, à ſermone ſerio ad riſum liberalem vocem flectemus. Quum contendimus in Continuatione, aucto mediocritèr vocis ſono, verbis continuandis, celeritèr, & cum clamore vtimur, ità tamen, vt orationis vociferatio, vim volubilem conſequi poſſit. In Diſtributione adhibebimus vocem ab imis faucibus, exclamatione clariſſima, & tantum inſumemus ſpatij in ſingulis interuallis, quantum per ſingulas exclamationes. Amplificando per Cohortationem, vtemur voce attenuatiſſima, clamore leni, ſono æquabili, crebris mutationibus, & maxima celeritate. In conqueſtione verò voce depreſſa, ſono inclinato, crebris interuallis, longis ſpatijs, ac magnis commutationibus. Quæ dicta de voce ſufficiunt.

Quoad aliam (11) *pronunciationis* partem, nempè (12) *actionem*, iam obſoleuerunt multa, quæ antiquitus præcipiebantur, adeò vt ridiculus cenſeretur, qui illa in vſum reuocare vellet, quum neque apud mimos, & hiſtriones ſint in vſu: qualia ſunt quæ de capitis, frontis, ceruicis, oris, ſuperciliorum & humerorum præcipiebant motu; Vnde pauca tantum dicenda ſunt. In primis, (8) *præceptum vniuerſale* eſt, vt in omnibus (13) *decorum ſeruetur*. Alius namque geſtus, ſeu motus conuenit ſeni, alius iuueni, alius priuato, alius magiſtratui &c. Specialitèr verò brachia non niſi modicè ſunt iactanda, & hoc in affectibus vehementioribus tantum; ea verò continere, laudi datur, quia

vndo.

pudoris eſt indicium. Manus nedum loquentem adiuuant, ſed ipſæ quodammodo loqui videntur, vnde Demetrius mimo dixit (14) *Videris ipſis manibus loqui*. Et in Dionyſiacis legitur (15) *Nutum pro ſermone habens, manum pro ore, digitos pro voce*. Caſſiodorus etiam de pantomimis ait *His ſunt in orcheſtris loquaciſſimæ manus, linguoſi digiti, ſilentium clamoſum, expoſitio tacita, quam Muſa Polymnia reperiſſe narratur, oſtendens homines poſſe, & ſine oris affatu, ſuum velle declarare.* Manu olim ſilentium faciebant; vnde Perſius

Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
maieſtate manûs.

Et Lucanus

Tumultum
compoſuit vultu, dextraque ſilentia iuſſit.

Manus ergo in exordio non ſtatim extendenda, at vbi oratio incaluerit; incipiat cum ſententia exeri, & cum eadem eſt deponenda. Admouetur pectori, quum de nobis loquimur: quum alium alloquimur, ad illum extenditur: ea ſublata inflexaque, alium aduocamus, reflexa verò amandamus, ſiue auuerſamur. admirantes, manûs attollimus: in dolore, tundimus pectus, in mæſtitia, genas vel capillos vellere monſtramus. Quum ſermo erit in Dignitate, narratione, ac iocatione, leui dexteræ motu, loqui licebit. In demonſtratione, corpus ad auditores paullum admouebimus. Si contendimus per continuationem, brachio celeri, & acri vtemur aſpectu: per diſtributionem verò, celeri porrectione brachij, inambulatione, ac dextri pedis rara ſupploſione; cum acri defixoque aſpectu. Amplificando per cohortationem, erit idem motus, qui in contentione, ſed paullum tardior, ac conſideratior. Per conqueſtionem verò, oſtenſione planctus, quaſi fæminei, ſæpe etiam ſedato, ac conſtanti geſtu, vultu verò mæſto, ac conturbato. Hæc de actione.

Nonnulla rhetores præcipiunt de memoria, quam quintam faciunt oratoris partem. Opinor tamen, memoriam à natura tribui, conſeruari, verò præceptis artis medicæ, non rhetoricæ. Vt tamen aliqua communia delibemus, dicimus, memoriam reſidere in poſtrema cerebri cellula, & eos memoria pollere, qui eã mediocriter calidam, ac ſiccam habuerint: qui verò fuerint in exceſſu, aut defectu talium qualitatum, immemores eſſe. Memoria iuuatur moderatione exercitij, cibi, ac ſomni, nam

moderatum exercitium, victus temperatus, & vacatio meditationis à cœna, & ſomnus mediocris, in alterutro latere potiùs, quam in occipitio, humidam ac frigidam emendant cerebri temperiem. Labor autem immodicus, humores conſumit: cibus, & potus immoderatus, replet crudis humoribus: ſtudia à cœna, calorem auocant à ſtomacho, & ſic digeſtionem impediunt: ſomnus diuturnus, nimis humectat, exiguus verò, immodicè exſiccat, & ſi fiat in occipitio, humores ad illud trahit.

Iuuat etiam memoriam animi quies, cui repugnat negociorum grauitas & multitudo, quæ ſanguinem, ac ſpiritûs accendunt, vnde prouenit ſpecierum commixtio, & obliteratio. Nocent affectûs, & paſſiones, quæ ſanguinem conturbando, ſpecies etiam perturbant. Adhibent medici remedia ad memoriam, quorum illa quæ interiùs aſſumuntur, non vacant periculo, maximè adhibita iuuenibus calidi temperamenti: nam hæc pharmaca, vehementi caliditate, lædunt illorum phantaſiam, quam decet eſſe humidam, vnde illi incidunt, in acutas febres, & ſepè in phrænesim, aut delirium. Sanè, eſto hæc non euenirent, præſtat carere memoriæ tenacitate, phantaſia incolumi, quàm, cum huius detrimento, illius augumentum quærere, quum illa rationis ſit adminiſtra. Quæ verò de memoria locali plures præcipiunt, videntur mihi plus habere diſpendij, quàm compendij; Vnde ne verbum quidem ea de re facientes, Tanta de memoria, pronunciatione, & Vniuerſa rhetorica dixiſſe ſufficiat. &c.

1 Ἐκφώνησις 2 τέχνη καὶ φύσιν οἶδε σιάζεσται 3 Ἀλωτὰ γίγνετ᾽ ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα 4 φωνασκοί 5 εἰς τὰ πάθη τὰ τῆς φωνῆς, καὶ τὰ σχήματα τοῦ σώματος 6 πρᾶξις 7 ὑπόκρισις 8 Ἔνταλμα καθολικόν 9 μονοτονία 10 φωνασκοῦς 11 ἐκφωνήσεως 12 ὑπόκρισιν 8 ἔνταλμα καθολικον 13 τὸ πρέπον φυλάττεται 14 δοκεῖς αὐταῖς χερσὶν λαλεῖν 15 Νούματα μῦθον ἔχον παλάμην στόμα, δάκτυλα φωνήν 16 ὀρχηστῶν.

FINIS.

INDEX
Rerum Notabilium.

A

ABner defenſus, quod Aſaelem interfecerit. pag. 70
Abrahæ fides, accepit promiſſionem. 38
Abſalon, Amnonem fratrem ſuum occidit. 56
Achæi Græcis principabantur, quum Romani Græciam ſubegerunt. 225
Achelous amnis deſcribitur. 343
Achilles, Agamemnoni iratus, reſpuit illius munera, & affinitatem. pag. 249
Achimelech defenſus, quod cibaria Dauidi miniſtraſſet. 70
Achitophelis conſilium. 56
Acrimonia, quas figuras & ſententias exigat. 374
Actæon, à canibus deuoratus. 219
Aduena defenſus, quod murum conſcenderit. 75
Affectus quid ſint, & an à moribus differant. 91
Affectus, tractantur à Rhetore, Ethico, ac Phyſico. pag. 91
Affectus, peccati malitiam ante illius patrationem occultant. 91
Affectus quot ſint, & in qua potentia reſideant. pag. 92
Affectus ſunt in nobis, quod eſt ventus nauigio. 92
Agatocles, quare ſeruos Ciuibus exequauerit. 126
Agis de Arari ſolus, lentis agrum contra Philiſthæos defendit. 37
Ageſilaus ex Aſia pulſus milli-

quæ ſint. 7
Angelorum dignitas,ex intellectu ac voluntate 40
Angelorum felicitas. 41
Angelorum laudes, vnde habeantur. 40
Angelorum officia. 41
Angelorum præſtantia eſſentialis. 40
Angelorum vigor. 40
Animi minus beneuoli, ſigna. 116
Animus,quibus coniecturis deprehendatur. 29
Annonæ conſultatio, quomodo inſtituenda. 30
Antanaclaſis quid ſit. 264
Antigonus, quid fratri reſponderit. 172
Antigonus ſepeliuit fratrem, contra Cleontis legem. 85
Antimetabolis ſeu Commutatio,quomodo fiat. 326
Antipallage, dat magnificentiam. 344
Antiphraſis quid ſit. 259
Antipophora, quid ſit, & quomodo fiat. 325
Antiprotaſis quid ſit. 325
Antiſagoge,ſeu Comparatio quomodo fiat. 322
Antiſtrophe,ſeu Conuerſio quomodo fiat. 327
Antitheſis & antitheton quomodo differant. 326
Antitheta, non conueniunt grauitati. 363
Antonomaſia, eiuſque varij modi. 232
Antonomaſia, nomen proprium ponit pro communi. 233
Anus ad armillum, quare dicatur. 242
Apes, ex quibus locis laudentur. 51
Apodoxis quid ſit. 299
Apologo, qui fuerint vſi. pag. 244
Apologus,quomodo tractari poſſit. 18
Apophaſis, quomodo fiat. pag. 255
Apoſiopis, qua ratione contingat. 297

Apoſto-

Apoſtoli duodecim, ſubegerunt vniuerſum. 38
Apoſtrophe, an grauitati conueniat. 362
Apoſtrophe quid ſit, & quomodo fiat. 305
Aquila, quare ſenio confecta, pereat fame. 367
Arethuſæ, moralis deſcriptio. 268
Argumenta, affectuum motioni obſtant. 172
Argumenta quomodo tractanda. 18
Argumentorum forma, qualis eſſe debeat. 10
Argumenta, qualiter ſint diſponenda. 169
Argumentorum rhetoricorum materia. 10
Argumentum quid, & quotuplex ſit. 9
Argumētum mentiens, non decet oratorem. 170
Ariſtoteles, Platonis, & aliorum litteram, non ſenſum carpit. 244
Ariſtoteles, quare in Euripum ſeſe ſubmerſerit. pag. 274
Ars, naturam ſcit vincere. pag. 380
Artis cultura, oratori neceſſaria. 380
Aſini, qua ratione laudati à Simonide. 213
Aſini vmbra. vnde dicatur. pag. 149
Aſperitas, magnificentiam præſtat. 347
Aſperitas quotuplex ſit, & vnde habeatur. 363
Aſperitas, reddit compoſitionem magnificam 343
Aſteiſmus quid ſit. 255
Aſyndeta, pariunt magnificentiam. 344
Aſyndetum, quot modis fiat pag. 263
Athenæus, irridet Hannonem, quod ſcripſerit ſeſe alias inſulas reperiſſe in Oceano Atlātico. 254
Athenæ tres erant. 257
Attentio, qua ratione parari poſſit. 148

Aua-

Auarus, hydropico quare dicatur ſimilis. 17
Auguſtus, filiam ac nepotes, ſua dicebat carcinomata. pag. 205
Auxeſis quid ſit, & à quibus differat. 293

B

BArcæorum vires, longe poſt conditam Carthaginem, viguerunt. pag. 323
Bartholomæi de Martyribus brachio, florea Crux erat inſculpta. 44
Baſilius Iuliano reſpondet, eumq; reprehendit. 280
Beatitudo quid ſit. 31
Beatitudo conſiſtit in actione virtutis. 32
Belliſarius, ſtipem mendicare coactus. 47
Benefaciens caſu vel coactus, non habet gratiam. pag. 116
Benefaciens, ne reſpiciat propriã vtilitatem. 116
Beneficium, ex quibus locis amplificetur. 116
Beneficium, gratis eſt concedendum. 103
Beneficium perit, niſi conferatur indigenti. 115
Beneficium ſponte oblatum cauſat amorem. 103
Beneuolentiæ opinio, ſuaſibilem reddit orationem. pag. 129
Beneuolentiæ captandæ rationes. 147
Bona animi quæ ſint. 31
Bona corporis & externa quæ dicantur. 32
Bonum cenſetur illud, quod impenſe deſideratur. 33
Bonum creditur illud, quod nemo improborum habet. 33
Bonum mediorum, cuiuſmodi ſit. 34
Brachilogia, obſtat perſpicuitati. 202
Breuitas, & ſubticentia magnificentiã ſæpe cauſant. 347
Bucephalus equus, hominum habe-

habebat caput. 51

C

CAmillæ, Ladæ, ac aliorum quanta velocitas. 249
Caput vnum, centum manibus præſtat. 29
Carientiſmus quid ſit, & quomodo fiat. 253
Carnem, quare Deus aſſumpſerit. 117
Catachreſis quid ſit, & qui eius vſus. 240
Cataphaſis, quomodo contingat. 255
Cato, quadragies in ius vocatus fuit. 170
Caunij, regionem incolebant inſalubrem. 363
Cauſarum genera quot ſint, & quomodo differant. pag. 23
Cauſa martyrem facit, non pœna. 49
Cauſa quotuplex ſit. 146
Cauſarum genera, quomodo tractanda. 24
Centurio accuſatus, defenditur. 72
Cerui, & canes qui dicantur. 219
Character quid ſit. 336
Characteris magnifici exẽplum. 337
Character frigidus, in quo conſiſtat. 349
Character macer, eſt liber à numero. 352
Character macer, exponit res humiles. 352
Character magnificus, ſententijs vtitur. 345
Character quilibet, quid attendere debeat. 341
Charactem magnificum, decent membra longiora. pag. 342
Characteres, debent eſſe diuerſi. 337
Characteres, variare debent in eadem oratione. 339
Characteribus, vitia accidere ſolent. 339
Characteris macri figuræ. pag. 351
Characteris macri virtutes. pag.

pag. 352
Characteris magnifici, appellationes. 340
Characteris magnifici, præſtantia. 341. 348
Characteris mediocris, virtutes. 355
Character ſiccus, quando contingat. 355
Characterum, humilis, & mediocris, exempla. 338
Chiaſton quid ſit, & quomodo fiat. 427
Chrama quid ſit, & quomodo fiat. 325
Chria quid ſit, & quomodo fiat. 335
Chriſtus, quanto tempore fuerit in corde terræ. pag. 225
Cicero, Hirtij dictum irridet. 202
Cicero, Quinti fratris ſtaturam irridet. 220
Cleanthes, hortulo rigando manus locauit. 173
Climax quid ſit, & quomodo fiat. 173
Clinia, trium talentorum mulctam pati maluit, quàm iurare. 89
Cæci fuerunt, Iſaac, Didymus, atque alij. 46
Colon, ſeu membrum, & comma ſeu inciſum, quid ſint. 180
Cometa, quid portendat. 21
Cōmunicatio quomodo fiat. pag. 234
Cōplexio, quid exigat. 365
Compoſitio frigida, eſt quū frequentantur verſus, vel ſyllabæ longæ. 351
Compoſitio quid ſit, & quid attendere debeat. 189
Concitationem, quæ res præſtent. 372
Concitationis forma, quæ ſit. pag. 371
Condemnationis, & abſolutionis notæ. 179
Conditio, locus argumentorum. 19
Confidentiam, quæ res cauſent. 109
Confirmandum ne ſit prius

an confutandum. 169
Confirmatio quid ſit. 168
Confutationis modus & ordo. 175
Congeries differt à ſynonimia, & quomodo fiat. pag. 313
Cononis ſuaſu, Rex Perſarum Græciæ Principes pecunia corrupit, vt Ageſilaum reuocarent. pag. 201
Conſcientiæ potius, quam vulgi ſermonibus, credendum. 120
Conſiliarij Roboami, vnde accuſari poterant. 67
Conſolatoriæ, quomodo tractentur. 27
Conſultatio publica, quæ inſpicere debeat. 28
Corax, Tyſiæ præceptor 171
Corporis configuratio, voci, vox rebus conuenire debet. 381
Cretenſes ſemper mendaces. 170
Crimen quodcumque capitale, parricidium dicitur. 241
Crimina, qua ratione extenuari poſſint. 151
Crœſus, Cambyſi adulabatur. 331
Curioſi, non ſunt diligibiles pag. 102

D

Daniel puer, ſeniores Iudices, calumniæ conuicit, ac damnauit. 38
Dauid ac Ionathæ, diſputatio. 56
Dauid, ex ouium paſtore euectus ad Regnum. 44
Dauid puer, Goliathum bellatorem ac gigantem iactu lapidis ſtrauit. 38
Dauid, quo fretus, in pugnam proceſſerit. 22
Dauid, Sauli inſidianti non ſemel pepercit. 38
Definitio quomodo ſit tractanda. 13
Definitio ſchema, quomodo fiat. 310

Dei filij, nempe fideles, ſuũ patrem Deum in beneficentia debent imitari. pag. 155

Dei laudes, ex quibus locis eruendæ. 39

Deliberantes, non diſputant an beatitudo ſit querenda. 34

Deliberatiui finis, quis ſit. pag. 26

Delictum eo eſt grauius, quo plures in illud conueniunt. 82

Democratia, quur idiotam præferat ſapienti. 129

Demonſtratiui generis nomina, partes, materia, ac loci. 35

Demoſthenes, quomodo in Aeſchinem inſurrexerit. 361

Demoſtheni Trierarchæ, Midas colaphum impegit. pag. 374

Deprecatio, quare Purgationi adiungatur. 73

Deſperati, quare non metuant. 106

Deſpicabilibus, reſpondere dedignamur. 127

Deſpiciuntur fortunati, ſi ſint expertes bonorum honoratorum. 127

Deus quos amat, eo ipſo ex non dignis dignos facit. pag. 278

Dialyſis, magnificentiam orationi conciliat. 344

Diallilon quid ſit, & quomodo fiat. 327

Dialogiſmus quid ſit. 301

Dialogi, ſcribuntur in charactere macro. 354

Dialogi paraſceues, quomodo facienda. 354

Dialogiſta, ne ſibi tribuat perſonam mutam, nec alium, ficulneis argumentis armatum, contra ſe inducat. 355

Dialogo, quæ perſonæ conueniant, & in eo vnde petendũ exordium. 354

Dialogiſta, conſideret cui docendi tribuere debeat par-

partes. 354
Dialogos, Cicero in mediocri, Plato in ſublimi ſcripſit charactere. 354
Dialogus, ſales ac facetias admittit. 355
Diaporiſis, ſeu Dubitatio quomodo fiat. 319
Diaſyrmus quid ſit. 293
Diatypoſis, & hypotypoſis quid ſit. 316
Dido, cum ambobus viris infelix. 275
Diæreſis quomodo fiat. 283
Diæreſis nempe diuiſio, quē vſum habeat. 311
Dij, laboribus bona diuendunt. 47
Dij, quibus quædam animantia, & plantæ, ſacra forent. 52
Dicendi genera tria, & in quibus differant. 356
Dictio puritatis, cuiuſmodi eſſe debeat. 359
Dilogia, ſeu Iteratio, quandoque dat magnificentiam. 347
Dilogia accidit, quum vna oratione duæ res ſignificantur. 369
Dinotis, ſeu vis dicendi, in quo conſiſtat. 376
Diogenes, irridet Platonicā hominis definitionē. 13
Dionyſius quare fuerit dictus ab Heracleotis, ſus celer. 205
Diſcinctus, ponitur pro deſide ac negligente. 231
Diſphonia, ſeu aſperitas, tribuit magnificentiā. 343
Diſpoſitio, eſt neceſſaria orationi. 143
Diſtinctio formæ puritatis qualis eſſe debeat. 359
Diſtinctionis partes, quomodo ſint tractandæ. 360
Diuites, appetunt imperia ac magiſtratus. 141
Diuites, quare non frequentent ſapientum domos, ſed è conuerſo ſapientes adeant diuitum domos. pag. 141
Diuites ſunt honorum, & æſti-

æſtimationis audi. 140
Diuites, ſuperbi ſunt, & arrogantes. 140
Diuites, ſtudent rebus honeſtis. 140
Diuitiarum auiditas, peccata multa accerſit. 47
Diuitiæ, cum vitijs cognationem habere videntur. pag. 140
Diuitiæ, quur bona credantur. 33
Diuitibus an pauperibus præſtet concredere magiſtratus. 140
Diuitum mores quales ſint, quæue pœnæ ipſorum, ſi in pauperes fuerint contumelioſi. 140
Diuorũ Dominici, & Vincentij matres, catulos ſeſe in vtero geſtare ſenſerunt. 43
Docilitatem, qua ratione parare poſſit orator. 149
Domini appellationem, repudiabant olim etiam ſuperbi Imperatores. pag. 241
Draco, inuentus eſt homini gratus. 153

E

EBrietas excuſat à pœna ordinaria, non tamen ab extraordinaria. pag. 71
Eccleſiaſtarum, loci ſpeciales pro exordijs. 152
Eccleſiaſtæ poſſunt in omni oratione vti recapitulatione. 177
Ecphoniſis nempe Exclamatio, quomodo fiat 332
Effectuum præſtantia, refunditur in cauſam, & è contra. 16
Elementa quæ, tribuant grauitatem. 362
Elementorum, cuiuſmodi ſint vires. 190
Elephantum, Romani primo viderunt, in bello Tarentino. 205
Ellipſis quid ſit. 262
Eloquutio quid ſit. 193
Emphaſis eſt affectio omnium

nium troporum. 250
Aemulatio, ab inuidia ſecernitur. 125
Aemulatio eſt in generoſis & erga conſimiles. 126
Aemulationem quæ mouere poſſint. 125
Enallage, ſeu hypallage quid ſit. 259
Aenigma quid ſit, & quas expoſcat cõditiones. 245
Epaminonda, accuſatus quod contra leges diutius magiſtratum tenuerit, quare fuerit abſolutus. pag. 75
Epanalepsis siue Epanadiploſis, quid sit. 270
Epanodus quid sit. 274
Epanorthosis ſeu Correctio, quomodo fiat. 321
Epicuri, forte dictum. 32
Epilogum decent breuitas, & affectus, & terminatur voce, Dixi. 178
Epiphonema ſeu Acclamatio, quomodo fiat. 333
Epiphora quomodo fiat. pag. 269
Epiſtola, ne impleat alteram legentis manum. 353
Epiſtola, non curat numerum, nec verborum ambitum. 353
Epiſtolæ, ne tractent de ſubtilioribus diſputationibus. 353
Epiſtolæ, in macro charactere ſunt ſcribendæ. 353
Epiſtolæ principibus miſſæ aſſurgere poſſunt. 354
Epitheta ne sint longa, nec frequentia. 257
Epitheton non eſt tropus. pag. 256
Epitrope ſeu Conceſſio, quomodo fiat. 322
Epitrochaſmus quid sit. pag. 314
Epizeusis, an differat ab Anadiploſi. 272
Equi laudes, ex quibus locis haberi poſſint. 50
Erotasis, ſeu Interrogatio quomodo fiat. 331
Ætates hominum quot, & quæ

quæ ſint. 132
Etopia quid ſit. 303
Etiologia, ſeu Ratiocinatio quomodo fiat. 315
Etoli omnia petebant, inde prouerbium, manus in Aetolis. 113
Euidentia, eſt ſpecialis virtus macri characteris. pag. 353
Eumenis, in Perſen odij cauſæ. 104
Euphomiſmus quid ſit, & in quibus adhibendus. pag. 237
Exclamationes acutæ ſunt vitandæ. 382
Excurſio, aliquando adhibēda in narratione. 163
Excuſandi factum rationes aliquæ. 71
Exemplum, ſeu paradigma, quomodo differat ab imagine. 318
Exergaſia quomodo fiat. pag. 266
Exordia ne ſint communia ſeu vulgaria aut commutabilia. 157
Exordia, ſint mediocria in quantitate. 157
Exordia vnde ſumi poſſint. pag. 110
Exordio manus vltimo loco eſt adhibenda. 158
Exordiorū munia quæ ſint. pag. 146
Exordiorum, affectus ne ſint vehementes. 158
Exordium, quot modis dicatur. 145
Exordium commune, quod exciderat, Auguſtinus correxit. 158
Extenſio oratoria quid ſit. pag. 184

F

FAbius, Scipioni inuidebat. 123
Fabulæ, & apologi quomodo tractari poſſint. 18
Factum, vnde laudari poſſit. 54
Fama, quare numeretur inter bona. 33
Famæ deſcriptio ex Virgilio

lio. 336

Felices, & infelices ſunt immiſericordes. 117

Feſtiuitates Chriſtianorum cuiuſmodi eſſe debeant. pag. 155

Fidit tam qui mala non eſt expertus, quàm qui incolumis ex eis emerſit. pag. 109

Fidit, qui prudentum animaduertit ſecuritatem. pag. 110

Fidit innocens, & qui inuadit. 110

Fiduciam prebent ſalutaria præſentia, quum mala ſunt remota. 110

Figuræ, orationi tribuentes grauitatem, quæ ſint. pag. 361

Filij, parentum actiones imitari tenentur. 46

Finalis cauſa, eſt propria generis Deliberatiui. 15

Fletus puerorum ac mulierum, ad miſericordiam prouocat. 100

Flori frigida, & inepta ſententia. 349

Floris deſcriptiones ex alys pag. 269

Fluuius, ex quibus locis laudari poſſit. 53

Fœminarum mores, cuiuſmodi ſint. 137

Fœminarum prima conſilia quare ſint meliora. 137

Fœminarum, ſecundæ curæ ſunt ineptiores. 137

Fœminæ ex quibus locis laudari poſſint. 44

Fœminæ inſoleſcunt ob formam, eamque ſemper tugere ſtudent. 138

Fœminæ quare ſint viris fortunatiores. 138

Fœminæ ſunt calumniatrices ac maledicæ. 137

Fœminæ ſunt iracundæ, & vindictæ appetentes. pag. 137

Fœminæ ſunt præcipites in affectibus. 137

Fœminis non dabatur, Reſpublicas adminiſtrare. pag.

pag. 137
Forma argumentorum rhetoricorum quænam ſit. pag. 10
Forma ſubſtantialis non admodum remoratur oratorem. 10
Formæ Politiarum, quæ ſint, & qua ratione vnaquæque conſeruetur, aut corrumpatur. 30
Fortes Dauid, temeritatis accuſati, defenduntur. pag. 63
Fortuna cenſetur improbus, qui ex improbis genus ducit. 19
Fortuna perfidus iudicatur Pœnus, quia Afer. 19
Fortuna proſpera vtentes, non metuunt. 106
Fortunati, quibus moribus ſint præditi. 142
Frigidè, laus inſtituitur Buſyridis, ac ſimilium. pag. 350
Frigidum eſt, res exiguas in immenſũ extollere. 350
Fur nocturnus grauius, quam diurnus punitur. pag. 20

G

Gallus gallinaceus, quare Medorum Regi dictus ſimilis. 368
Gedeon cum ſolis trecentis, innumeras hoſtium phalances ſtrauit. 38
Generoſi, lenes ſunt. 99
Genus, vnde quis originem trahit, ad laudem trahi poteſt. 43
Georgius Caſtriota aliàs Scanderbegus, à natura gladium brachio inſculptum habebat. 44
Geſtus variari debent, iuxta materiæ qualitatem, & dicentium decorem. pag. 384
Gloriæ cupido, nouiſſima omnium deponitur. 258
Gorgiæ Leontini laudes & præmia. 287
Gratitudo draconis erga hominem. 153

Gratitudo leonis erga benemeritum. 153
Gratitudo in quibus ſit, & quamobrem. 115
Gratia dilata, ingrata eſt. pag. 116
Graue eſt, res confeſſas, in dubium, interragando reuocare. 376
Grauitas, imagines potiùs, quàm comparationes expoſcit. 361
Grauitas, qua ratione fiat per figuras. 361
Grauitas quid ſit, & quomodo fiat. 376
Grauitas ſententiarum, vnde habeatur. 345.360
Grauitatem dat Apophaſis ſiue Aſſeueratio. 362
Græca fides, ſiue Græca chirographi cautio, paſſim eſt in prouerbijs. 257
Græcis vocibus an, & quando vti poſſimus in ſermone Latino. H 199

Hendia lys quid ſit. pag. 283
Henos cæpit inuocare nomen Domini. 37
Hercules Gallicus, ore catenatos ducebat homines. 2
Herotesis quid ſit. 288
Hieronymus, Ruffinum arguit immodeſtiæ. 211
Hieronymus, quare vapulauerit. 7
Hieroſolyma vaſtata ob Deicidium. 162
Hominis commendatio à natiuitate. 44
Hominis dignitas, ex anima rationali. 41
Hominis laus a genere, & patria. 43
Homo, ex quibus locis laudari poſſit. 41
Honeſtum, quidnam dicatur. 36
Honor in quo conſiſtat. 33
Horatius Cocles ſolus, pontem contra Etruſcos defendit. 37
Hortatoria, quare ſit generis Deliberatiui. 28
Hypallage ſiue Enallage quo-

quomodo fiat. 259
Hyperbaton, obeſt orationis perſpicuitati. 203
Hyperbaton quid ſit, & quomodo fiat. 290
Hyperbole quid sit, & quibus conueniat. 248
Hyperbole non opponitur veritati, & eſt frequens in ſacra ſcriptura. 249
Hypocritæ, ſimiles virgis Magorum Pharaonis. pag. 153
Hypophora quid ſit. 325
Hypoſiopeſis quomodo fiat. pag. 298
Hyſterologia, ſeu poſterius prius, quomodo fiat. 189

I

IAſan Theſſalus vi, & iniuſtè pecunias extorquebat, vt multa bona præſtare poſſet. 146
Icon, ſiue Imago, quedmodo differat à paradigmate. 318
Icon non eſt tropus. 257
Ideæ quot ponuntur ab Hermogene. 357
Idiotiſmus quid ſit. 309
Iebaam, reuera fortior fuit cunctis Ethnicorũ Heroibus. 39
Ieiunium cõmendatur 166
Iephte ſpurius, fuit Dux Iſrael. 44
Immiſericordes ſunt, qui non didicerunt quid ſit miſerum eſſe. 117
Imperator bonus, quare propriæ vitæ proſpicere teneatur. 109
Impudentia audaces reddit, ac temerarios. 114
Impudentia, contemptum præfefert. 99
Inceſtus, & inceſtare quid ſignificent. 223
Incrementum quid ſit. 314
Indignatio, quid ſit. 120
Indignatio quare non debeat eſſe in Chriſtianis. pag. 120
Indignatio eſt in eos, qui immerentes, poſſident bona ſibi improportionata. pag.

pag. 121
Inimico fugienti, aureus pons eſt fabricãdus. 107
Iniuria facta ab aliquo, qua ratione probari poſſit. 62
Iniuriarũ cauſæ quæ ſint. 59
Iniuriarum magnitudo, vnde attendatur. 61
Iniurias quinam facilè irrogent. 60
Iniuriæ quibus facilius irrogentur. 61
Inopinatum quid ſit, & quomodo fiat. 320
Inuentio quid ſit. 9
Inuentores Rhetoricæ, qui nam fuerint. 2
Inuenuſtas vnde naſcatur. pag. 371
Inuidentes inuicem, qui credantur. 277
Inuidia eſt in ſimiles exaltatos. 123
Inuidia in quibus, & erga quos ſit. 122
Inuidia quare dicatur eſſe paruulorum. 122
Inuidia quid ſit, & quanta eius malitia. 122
Inuidum, quare ſe nemo fateatur. 122
Inuolutio, aduerſatur orationis perſpicuitati 202
Ioab, Abnerum occiſum cupiebat. 56
Ioab defenſus, quod Abſalonem occidiſſet 70
Ioanna Aurelianenſis puella, Galliæ Regnum ab Anglis afflictum, biennio reſtituit. 45
Ioci conuenientes grauitati. pag. 363
Iocis quandoque expedit ſoluere ſeria aduerſariorum argumenta. 176
Ionathas cum armigero, innumerabiles hoſtes ſtrauit. 37
Ioſeph à Pharaone ornatus. pag. 38
Ioſeph ex emptitio ſeruo, ad Aegypti euectus eſt principatum. 44
Ioſeph ſtupri accuſatus, et defenſus. 57

Ioſue

Ioſue atque alij, ſæpe de hoſtibus triumpharunt 38
Ira definitur. 94
Ira eſt in eos, qui contemnunt, debentes magnifacere. 95
Ira eſt in irriſores. 95
Ira tempore miteſcit. 98
Iraſcimur vituperantibus ſtudia, in quibus parum profecimus. 96
Iraſcimur amicis non benefacientibus, & noſtra nõ curantibus. 96
Iraſcimur, in vtentes oratione male ominata. 97
Iraſcimur in eos, qui nos aut noſtra contemnunt, & libenter ſiniſtros rumores audiunt contra nos ſparſos. 97
Iraſcitur is, cuius deſiderio reſiſtitur. 94
Iraſcitur is, cui malum accidit præter opinionem. 95
Iraſcitur is, qui non honoratur. 95
Irati quare gaudeant. 95
Ironiæ appellationes diuerſæ. 226
Ironiæ definitio. 227
Ironia etiam in ſimplici verbo reperir: poteſt. 229
Ironicè dictum, non eſt propriè mendacium. pag. 228
Iſaac promiſſus parentibus, antequam foret conceptus. 42
Iſidis Sacerdotes deridentur pag. 275
Iſocolon quid ſit. 282
Iſocrates cuilibet panegirico decennium impendebat. pag. 193
Iudas Machabeus ſæpe, cũ paucis, innumerabiles hoſtium exercitus ſuperauit. 56
Iudicio declarati victores, miteſcunt. 98
Iudicium amicorum, & eorum à quibus numquam repulſam retulimus, magnifacere ſolemus. pag. 112

Iuditha magnanimitas eluxit in amputatione capitis Holophernis. 38
Iunctura partium orationis, quomodo fiat. 189
Iuppiter ab Ariſtophane deriſus. 370
Iuramentum iniqui facile præſtãt, boni non ita. 89
Iuramẽtum, eſt ſpecies quædam torturæ. 89
Iurare, Plato diſſuadebat. pag. 89
Iurare prohibebatur olim Flamen Dialis, vt nunc Sacerdotes. 89
Iuridicialis generis partes, tempus, & loci. 54
Iuſiurãdum ne ſubiret Clinia, trium talentorum mulctam ſuſtinere malit. 89
Iuſiurandum ſeruandum eſt. 90
Iuſtitia maxima, eſt in re maxima: iniuſtitia etiam in re minima poteſt eſſe maxima. 81
Iuſtitia præcellit cæteras virtutes morales. 54
Iuſtus dicitur cadere ſepties in die. 170
Iuuenum mores cuiuſmodi ſint. 132
Iuuenes cupiditatibus flagrant, ſed nouitate capiuntur. 132
Iuuenes ſunt victoriæ cupidi, & vehementer excandeſcunt. 133
Iuuenes ſunt magni & ſublimis animi, & bonis prediti moribus. 133
Iuuenes ſunt bene ſperantes, creduli, ac verecundi. 134
Iuuenes peccant exceſſu, & ſunt amicorũ amici 135
Iuuenes, honeſtum præferunt vtili. 135
Iuuenes ſunt contumelioſi, miſericordes, & propenſi ad riſum. 135

L

LAbori, datum eſt quodcunque aſſequi. 380

Labori, omnia venduntur bona. 47
Lapis Lidius, dicitur Heraclius & ſyderites. 88
Latina ſunt quædam verba, etiam ſi non nata Romæ. 194
Laudabilius eſt, cum ineptioribus inſtrumentis profeciſſe. 20
Laudandi irrationabilia loci. 50
Laudantes bona præſentia alicuius, ſunt amabiles pag. 102
Laudare aliquid vt tibi donetur, eſt indicium illiberalitatis & ſorditiei. 113
Laudans, debet conſiderare propria laudandi. 48
Laudes Dei ex quibus locis ducantur. 39
Lenes ſunt, qui omnibus referti ſunt bonis. 98
Lenes ſunt, qui cognoſcunt ſe ex merito paſſos eſſe, vel aduerſarios pœnas luiſſe. 99
Lenes ſumus erga non contemnentes, vel non ſentientes vindictam. 99
Lenes ſumus cum eis, qui circa ſeipſos eodem ſe habent modo, ac circa nos pag. 99
Lenes ſumus cum eis, quos errati pœnitet, & ſeſe inferiores fatentur. 190
Lenes ſumus cum eis, qui maiora detulerunt beneficia, quam maleficia pag. 100
Lenes ſumus erga eos, quos timemus. 100
Lenitas quid ſit. 98
Leo gratus fuit homini benefactori. 153
Leontium meretrix, in philoſophia quid auſa fuerit. 48
Lex à Stoicis quomodo definita. 67
Lex quos ſubminiſtret locos. 84
Linguæ puritatem qualiter aſſequamur. 194
Li-

Litotes quid ſit. 235
Litterarum fructus dulces, radix amara. 372
Locus quid & quotuplex ſit. 11
Locus à definitione. 12
Locus ab ethimologia, & à coniugatis. 13
Locus à toto & partibus. pag. 14
Locus à cauſis, & effectibus. 15
Locus à ſimili, qui debilis eſt, ſed iucundus. 16
Locus à comparatis, ſeu à maiori & à minori. 17
Locus ab oppoſitis, & repugnantibus. 18
Locus ab Adiunctis, ſeu Circumſtantijs Antecedentibus, & Conſequentibus. 19
Locus à communiter accidentibus. 21
Locus à poſſibili, & impoſſibili. 21
Locus à magno, & paruo. pag. 22
Loci ab vtili, & iucundo ſpeciales generis Deliberatiui. 25
Luna quare dicatur peperiſſe felem. 368

M

Mala domeſtica magis mouent. 117
Malum, habens coniunctum dolorem adfert metum. 106
Magnitudinis partes quænam ſint. 360
Manifeſta negare eſt impudentiæ. 99
Manum intra pallium continere, modeſtiæ dabatur. 381
Manu ſerendum eſt non ſacco toto. 348
Manus in qualibet orationis parte; qualiter mouendæ. 385
Manus loqui videntur. pag. 385
Mardochæus ab Aſſuero præmio donatus. 38
Mare laudandi argumenta.

ta. 53
Martyrem non facit pœna ſed cauſa. 49
Materia argumentorum rhetoricorum quænam ſit. 10
Materia generis Delibera-tiui quæ ſit. 26
Matres filios non debent mãdare lactandos. 167
Maximinum pudebat vilitas generis. 114
Medicus quis dici, vel non dici debeat. 13
Membra quæ grauitati conueniant. 363
Memoria bona, quas exigat conditiones. 385
Memoria localis, diſpendij plus habet, quàm compendij. 386
Memoriæ præcepta, medicinæ ſunt, non rhetoricæ pag. 8. 385
Memoriæ, pharmaca obſunt potius, quàm proſint. pag. 386
Mercurius erat ante Herculis conceptionem. 323
Meretrix accuſata, defenditur. 80
Metabaſis quid ſit. 295
Metalepſis quot modis fiat. pag. 230
Metaphora quid & quotuplex ſit. 205
Metaphoræ, orationi dant magnificentiam. 346
Metaphoræ, non ſunt addenſandæ. 221
Metaphoræ quare fuerint introductæ. 212
Metaphoræ, quibus vitijs pateant. 209
Metaphoræ vnde duci poſſint. 207
Metaxilogia orationem reddit obſcuram. 203
Metaxilogia quid ſit. 291
Methodus puritatis, qualis eſſe debeat. 359
Metonimia quid & quotuplex ſit. 214
Metonimia, externas tantum cauſas commutat. pag. 215

Metonimia materiæ, vel formæ, non datur. 215
Metus quid ſit. 106
Metus in quibus, & erga quos ſit. 107
Michol defenditur, quod Dauidem emiſerit. 71
Michol increpita à Saul, ſeſe defendit. 22
Milites ſubducti ab Imperatore, non remorantur curſum triumphorum illius. 16
Militia, non admittit ſecundum peccatum. 108
Mimeſis, nec eſt ſpecies ironiæ, nec tropus. 255
Minutæ res, quomodo amplificentur. 350
Miſeremur proborum, ſi eorum in miſera ſorte audiatur oratio. 119
Miſeremur eorum quibus immerito mala acciderunt. 118
Miſericordes ſunt ſenes, debiles, & eruditi, ac irati, non vero contumelioſi. 118
Miſericordia quid ſit. pag. 117
Moabitæ, fere fortuitò deuicti fuerunt à Regibus Iſrael & Iuda. 71
Modeſtia vnde procedat. pag. 374
Monoſyllabæ non ſunt adduenſandæ. 192
Mons, ex quibus locis laudari poſſit. 54
Morbis animi curandis, non minus quàm corporis, eſt incumbendum. pag. 154
Mores magis perſuadent quam verba. 129
Mores tractandi ſunt ſententijs, non argumentis. 173
Mores variant ſecundum climata & regiones. pag. 130
Mores variant ſecundum ætates. 132
Mores variant ſecundum Rerumpublicarum formas.

mas. 131
Mors, appellata mortuorum Sacerdos. 208
Mors, quomodo ad laudem pertinere poſſit. 50
Moſes defenſus, quod Regium conculcaſſet diadema. 21
Moſes primus, ſcripta poſteritati reliquit. 37
Moſes, pro populo ſæpe vadem ſeſe obtulit Deo. pag, 38
Mos, vna ex Idæis Hermogenis. 373
Mouere alios volens, prius debet ipſe moueri. 127
Mulieres, ex quibus locis laudentur. 44
Mulieres Græcæ, Regem Paphlagonum in fugam adegerunt. 367
Mulieres quare ſint viris iracundiores. 237
Munditiem colentes, ſunt amabiles. 102
Mutuum petere; aut repoſcere, quando ſit ſignum illiberalitatis. pag. 113
Myčteriſmus quid ſit. 254
Mythus quid ſit, & an differat ab apologo. 245

N

NArrare ac narratio quid & quotuplex ſit.* 159
Narratio non eſt ſemper neceſſaria, & quando ea poſſit omitti. 160
Narratio claritatem, vt propriam virtutem, cuſtodiat. 161
Narratio debet eſſe morata. pag. 162
Narratio ob ſecuritatem poteſt vti relatione aliorum. 163
Narratio quot habeat partes. pag. 161
Narratio ſeruare debet decorem. 163
Narſes, quo contumeliam contra Theodoram Auguſtã vindicaret, Hunnos in Imperium accivit.

uit. 46
Naſcuntur inſani aut furioſi, ex hominibus præcellentis ingenij. 139
Naſus aquilinus, arguit magnanimitatem. 21
Nauis ſeruata à tempeſtate, hæredi ne debeatur, an abdicato. 78
Nauſicaa prudens fœmina. pag. 236
Negocium integrum Deo relinquere, religioſum eſt. 90
Nemrod, primus in Orbe Rex. 37
Nihil negamus eis, qui primo à nobis petunt. 112
Niphus, quoad affectuum numerum impugnatus. pag. 93
Nobiles, cupidi retinendæ extimationis. 140
Nobiles honoripetæ, & aliorum nobilium aſpernatores ſunt. 139
Nobilis qua ratione quis euadat. 139
Nobilis quis dicatur, & quæ ſit vera nobilitas pag. 139. 32
Nobilium generatio paulatim obſoleſcit. 139
Nobilium mores qui ſint. pag. 139
Noema ſeu cogitatio, quomodo fiat. 334
Noe vineam plantauit, ac nauem ædificauit. 37
Nomina à vocabulis differunt. 232
Nubere, quare dicatur de mulieribus. 216
Numeroſæ orationi, quæ obſint. 187
Numerus oratorius quid ſit. 186
Numerus ſingularis, ſæpe pluratiuo maiorem emphaſim habet 225
Nuncium rei moleſtæ, nemo amauerit. 96

O

Oculus, auribus excellentior. 210
Odia maiora inter coniunctiſ-

Eſtiſſimos. 105
Odium erga quos, & in quibus ſit. 105
Odium non curat num ſentiatur malum quod infert. 104
Odium, numquam miſericordia terminatur. 105
Odium qualiter differat ab ira. 104
Officia an præſtet concedere diuitibus, quàm pauperibus: 140
Omiocatalepton, Omioptoton, & Omioteleuton, quid ſint. 287.
Omonyma poſſunt eſſe ſynonyma. 201
Omonymia quid ſit & quomodo orationem obſcuret pag. 200
Onomatopĳa quid ſit. 255
Opinioni vulgi, non eſt credendum contra conſcientiam. 126
Oracula Ethnicorum erant ænigmatica. 247
Oratio debet creſcere. 189
Oratio res duas ſignificans; dicitur Dilogia. 369
Orationes Ciceronis quæ, in ſingulis characteribus. pag. 356
Orationes, quædam videntur habere emphaſim & non habent, aliæ è conuerſo. 376
Orationis partes quæ ſint. pag. 9. 144
Orationis ſublimitas, vnde petenda. 346
Orator Romanus debet eſſe Aſiatico preſſior, Attico copioſior. 357
Orator quis ſit iuxta Quintilianum, & quas conditiones habere debeat. pag. 8
Orator, non debet ſemper libris incubare. 380
Orator, ne ſtatim ac prodit, in verba prorumpat. pag. 382
Oratori non fauet materia prima, nec form ſubſtantialis. 14

Oratoris, iuxta Ariſtotelem, non eſt decernere ecquid ſit iuſtum. 55
Ordo argumentorum qui ſeruandus. 169
Ordo, orationi tribuit magnificentiam. 344
Oximeron quid ſit. 328

P

PActa, in argumentando quantum valeant. pag. 87
Panegyrici quæ orationes dicantur. 35
Panegyriſtæ, quam methodum ſeruent. 42
Paphlagonum Regem, Græcæ mulieres Caſtris exuerunt. 367
Paradoxon quid ſit. 320
Paragmenon quid ſit. 280
Paralepſis quid ſit. 298
Paranomaſia quid ſit. 285
Paraſiopeſis quid ſit. 299
Parecbaſis quid ſit. 293
Paræmia quid ſit & vnde dicta. 247
Parentheſis quid ſit. 288
Pariſon quid ſit. 287. 282
Paromologia ſeu Confeſſio quomodo fiat. 322
Parrechesis quid ſit. 288
Parreſia, ſeu Libertas, quomodo fiat. 330
Parricidarum pœna quæ feret. 77
Partes generis Deliberatiui quæ ſint. 27
Partitio quid ſit, & quas exigat conditiones. 165
Partitio in fruſta, vitioſa indicatur. 166
Partes orationis quæ ſint. pag. 189
Patria, ſuos commendat Ciues. 43
Paulus euangelizauit abſq; Rhetorica. 6
Pauperes philoſophi, diuitum domos frequentant. pag. 140
Pauperes quare plerumque ſint improbi, & agreſtibus moribus. 140
Paupertas in magiſtratu, ſiniſtram præſefert opinionem.

nem. 140
Paupertas magnanimiter eſt toleranda. 47
Pedes, qui cuilibet orationis parti accommodentur. pag. 187
Pedes heroici, conueniunt magnifico charatteri. pag. 341
Pedes podagrici, appellati pulmonei. 249
Peierantium quæ forent pœnæ. 90
Pelagius irridetur, quòd diceret ſeſe poſſe legis onus portare. 253
Periagoge ſeu Peribole, magnificam reddit orationem. 342
Pericles, in orationibus conſcribendis primus excellùit. 37
Periodica quid ſit. 183
Periodi, variæ appellationes, & acceptiones. 180
Periodorum ſpecies, vſus, & quantitas. 182
Periphraſis quid ſit. 258
& pag. 299
Peroratio quid ſit, & quæ eius nomina, ac officia. pag. 177
Perſarum ingluuies notata. 368
Perſpicuitas omni conuenit charactheri, & vnde naſcatur. 352
Perſpicuitatem quæ res cauſent. 200
Petitoriæ, ex quibus locis ſumant argumenta. 28
Petri Apoſtoli, quæ ſint laudes propriæ. 49
Petrus defenſus, quod Chriſtum prædicaret. 67
Philoſophus petit præmium ſtabilitum ei qui Tyrannum occidiſſet. 64
Phinees, ob zelum, ſacerdotij promiſſionem meruit. pag. 38
Phraſes Sacræ Scripturæ non ſunt mutandæ. 195
Piaſtus, ac Primislaus, ex paupertina ſorte ad Regna euecti. 48

Pi-

Pici Mirandulani ortus prodigijs illuſtratus. 43
Pictor accuſatus læſæ Reip. defenditur. 68
Pittacus maiorem ſtatuit pœnam ebrio, quàm ſobrio delinquenti. 82
Platanus culta à Perſarum Rege Xerſe. 53
Plato vſque ad octuageſimum ætatis annum, ſuos calamiſtrauit dialogos. pag: 193
Plato, ab Athenæo notatus obliuionis. 227
Pleonaſmus, Ellipſi opponitur. 263
Plochis, ſpecies Antanaclaſis, quomodo fiat. 264
Pœna non facit martyrem, ſed cauſa. 49
Pœnitentia, delicti commiſſi in aliquem, concidit illius ira. 99
Polus hiſtrio, filij defuncti oſſa ſecum in ſcænam adduxit. 127
Polyptoton quid ſit. 276
Polyſyndeton opponitur Aſyndeto. 263
Poſterior dies, diſcipulus eſt prioris. 91
Poſt peccatum patratum, non vero ante, peccati grauitas cognoſcitur. 91
Potentes, cuiuſmodi moribus ſint præditi. 141
Potentes ſunt contumelioſi, damnificantes, & diuitibus peiores. 141
Potentes, ſunt forti animo, appetunt vero honores non pecunias. 142
Præcepta, contra rei exigentiam ſeruare, ſuperſtitioſum eſt. 145
Prece quod emitur, cariſſime emitur. 103
Præcepta antiquorum de pronunciatione, obſoleuerunt. 384
Probabilitas, virtus propria macri characteris, vnde habeatur. 353
Procaſtaſis quid ſit. 161
Prolepſis cuiuſmodi ſit. pag.

pag. 323
Prolixitas ſermonis, obſtat perſpicuitati. 202
Pronunciationi, omnes detulit partes dignitatis Demoſthenes: 380
Pronunciatio quid magis attendat, geſtum an vocem. 381
Pronunciatio, infantes facit apparere diſertos, & tria exigit. 380
Propoſitio, quas habeat partes. 164
Proprietas, omni conuenit charactẽri: 352
Proprijs rei de qua agitur, non communibus, inſiſtendum, 48
Proſopopœia quid ſit. 303
Protaſis quid ſit. 325
Pſammenitus abſque luctu in filiorum ignominijs, effuſè plorauit amici calamitatem. 118
Publica conſultatio quæ attendere debeat. 28
Pudet pati turpia, etiam eorum quæ præſtare in noſtra non fuit facultate. 114
Pudorem ingerunt ſigna imbelliæ, illiberalitatis, & aliorum. 113
Pudor in fronte, vel in ore dicitur reſidere. 218
Pulchritudo, ex quibus locis commendetur. 45
Puritas, virtus matri characteris. 352
Puritas, in quo conſiſtat, & vnde oriatur. 358
Puritati quales pedes, & ſententiæ conueniant. pag. 359
Pygmæi, cuiuſmodi magnitudinis eſſe credantur. pag. 248
Pythagoras, iniungebat abſtinentiam à leguminibus. 236

Q

Quæſtio infinita, tractatur etiam ab Oratore, quamuis Ciuilis & practica ſit illius

propria. 4

Quæſtum facere ex paruis eſt indicium illiberalitatis. 113

R

Rebeccæ in vtero pueri prælıabantur pag. 42

Recapitulatio quando & a quibus ſit omittenda. pag. 177

Regiones quomodo laudentur. 53

Regnandi cauſa, multi credunt poſſe ſe ius violare. pag. 142

Religio ſeu pietas, in omnibus eſt commendabilis. pag. 48

Religio ſponte eſt ſuſcipienda. 277

Repetitio earundem ſyllabarum, non ſemper vituperatur. 191

Rerumpublicarum formæ quæ ſint. 30

Rete albo oppugnari, quid ſit. 243

Rhetorica quid ſit. 3

Rhetoricæ merito, quidam dignitates ſunt aſſequuti. 2

Rhetorica vtilis eſt, non perniciosa. 5

Rhetoricæ incumbendum, nam ad oppoſita ſeſe habet. 4

Risū in ploratum, & Cupidinem in Erymnim, nemo conuertit. 367

Riſus Sardonicus vnde dictus. 368

Roboamo, cuiuſmodi conſilia data fuerint. 22

S

Salomon primus, claſſe aurum de Ophir aſportauit. 37

Samſonis fortitudo, in phani euerſione enituit. 38

Samſonis ortum, præceſſit oraculum. 42

Sacræ Scripturæ dicta, etiam non intellecta, venerari debemus. 156

Sacræ Scripturæ nec apex qui-

quidem, temerè poſitus eſt. 157
Sapientiæ ſeriò operam dantes, ſunt lenes. 99
Sapientia in cerebro reſidet, vel in corde. 218
Sapientiæ gratia, longæ inſtitutæ peregrinationes. pag. 23
Sapientes quare diuitum domos frequentent. 141
Sarcaſmus quid ſit. 252
Saul Dauidi inuidebat. pag. 122
Saul iuſſus funditus delere Amalecitas, & non parens, inobedientiam excuſabat. 75
Schema ſententiæ quid ſit. pag. 261. 310
Schemata quæ compleſſioni conueniant. 366
Secundæ res periculoſiores ſunt quàm aduerſæ. pag. 154
Senecdoche quid ſit. 222
Senes auidi & illiberales, & cuncta in deteriùs interpretantur. 133
Senes puſillanimi & fraudulenti, facilè deſperant. 134
Senes maligni & queruli, vtile præferunt honeſto. pag. 135
Senum iræ cohibitæ, cupiditates acres ſunt, ſed breues. 133
Senum mores quales ſint. pag. 132
Sermo ad quem finem homini tributus. 1
Sermocinatio quomodo fiat. pag. 302
Seruilibus, diebus feſtis vacare, non expedit. 25
Seruo obganniente, ignem ſpirat herus. 99
Seuthes Tracum Rex, auaritiæ notatus. 370
Signa ſunt materia argumentorum rhetoricorum. 11
Sileni Alcibibiadis quid forent. 258
Similitudo tam amorem cau-

cauſat, quam odiū. 103
Simonides, aſinos laudauit. pag. 213
Simplicitatem quæ faciant. pag. 373
Simulatè agentes, non ſunt amabiles. 103
Sinaphia dat orationi magnificentiam. 344
Sincreſis nocet orationis perſpicuitati. 203
Singulariter prolatum, plus eſſe videtur, quàm ſi pluraliter. 225
Siſenna deriſus ob priſcas voces. 197
Sol ſupra verticem nullam reddit vmbram. 123
Spes vbi ſit, ibi timor quoque eſſe poteſt, & quare. 107
Spiritus oratorius quid ſit. pag. 183
Splendor vnde cauſetur. pag. 364
Statura tam procera, quàm puſilla, quomodo laudetur. 45
Status, ac iudicatio idem ſunt. 56
Status coniecturalis ſeu inficialis quid ſit. 57
Status definitionis, ſeu de vi nominis. 80
Status finitiuus quid ſit. pag. 63
Status Iuridicialis legalis quomodo tractetur. 74
Status Legalis Ambigui, quomodo fiat. 79
Status Legalis Ratiocinationis & Contrariarum legum. 77
Status Negocialis, quare ſit difficilior Iuridiciali. pag. 65
Status Qualitatis Iuridicialis, quid & quotuplex ſit. 67
Status Qualitatis quotuplex ſit. 65
Status Quantitatis, quomodo tractetur. 81
Status Rationalis Aſſumptiuus, ſeu Antitheſis. pag. 70

Status tranſumptiuus, ſeu Detrectationis Iudicij. 82
Stratonicus Cythariſta ſtatura procerus. 208
Studia, ad laudem pertinent. 47
Suaſoriæ orationes, quare ſint generis Deliberatiui. 27
Suaſoriæ, quomodo differant ab adhortatorijs. pag. 27
Suaues, & faciles moribus amantur. 102
Suauitas, vnde naſcatur. pag. 373
Syllepſis quid, & quotuplex ſit. 234
Symploches quid ſit: 270
Synanteſis quid ſit. 292
Syncreſis ſeu comparatio, quomodo differat à ſymbolo, ſeu Collatione. 318
Syneſius, quæ dona retulerit à Cyro. 369
Synichoſis quomodo fiat. pag. 328
Synonymia quid ſit. pag. 201. & 265
Syntheſis quid ſit, & quomodo fiat. 284

T

Tanaquil, marito imperitabat. 233
Tapinoſis quid ſit. 296
Tautoſis quid sit. 276
Tentationes, ſunt illicò excutiendæ. 153
Tenuis cauſa, humili tractanda eſt charactere. pag. 356
Teſtis oculatus, pluris fit quàm auritus. 86
Teſtium genera, & quid valeant argumenta inde ducta. 85
Teucer accuſatus, defenditur. 151
Temiſtoclem, puduit aperire concioni conſilium vtile, ſed minus honeſtum, 27
Tiberius in Latino ſermone, omnem auerſabatur Græcam vocem. 199
Timemus aduerſariorum ami-

amicos, callidos, & ſimulantes. 108
Timemus potentiores iniuria affectos, vel qui affecerunt. 107
Timon, quare foret immiſericors. 118
Timon, quare ſolitudinem incoleret. 123
Tmeſis quid ſit, & quomodo fiat. 283
Tormenta, miniſtrant argumenta. 88
Traſimachus, inuenit numerum oratorium. 186
Tropi omnes, poſſunt eſſe in verbis coniunctis. pag. 229
Troporum affectiones quæ ſint. 240
Troporum primariorũ quot, & quæ ſint ſpecies. 230
Tropus quid ſit, & quot primarij, & quomodo ab inuicem differant. 204
Tubalcaim fuit malleator, ſeu faber æris & ferri. pag. 37

V

VAcare ſeruilibus diebus feſtis, non expedit. 25
Vbertas, ornatus, ſiue copia, cuilibet characteri debet ineſſe. 361
Vehementiam, quæ res cauſare poſſint. 364.
Venus, quæ eſt Aphroditis, nempe ſtultitia, Paridi ſuaſit vt Helenam raperet. 223
Venuſtas duplex, & cui alterutra cõueniat. 366
Venuſtas ex ſententijs, & modo tractandi. 367
Venuſtas ex verbis, niſi ſint ridicula. 368
Venuſtatem, quæ res faciant. 369
Verba iuncta, & ſoluta, vt dent magnificentiam, qualia debent eſſe. 346
Verba facta, poëtica, & priſca, dant magnificentiam. 347
Verba tumida, frigidam red-

reddunt compoſitionem. pag. 350
Verba exotica ſeu peregrina, ſunt etiam frigida. pag. 351
Verba ſunt ſigna rerum. pag. 356
Verbum, poteſt etiam dici nomen. 217
Verecundãtur operati probroſa, ſi conuiuere debeant cum honorabilibus & conſcijs. 111
Verecundantur apud eos cum quibus contendunt de honore, & quorum eſtimant iudicium, vel à quibus volunt æſtimari. 112
Veritatem, quæ res concilient orationi. 375
Vim dicendi, quæ res cauſent. 364
Vires, vnde penſentur. 29
Virtus laudata ab æmulis & inimicis, maxima cenſetur. 43
Virtus mediat inter vitia, ideo accipitur ſæpe pro alterutro, & è conuerſo. pag. 49
Virtutum ſtudioſi, diliguntur. 102
Vitellij Imperatoris, nemo miſerebatur. 119
Vitæ ſordes, non facilè eluuntur. 108
Vlyſſes ſermonem à Rege ad populum, & è contra, conuertebat. 234
Vlyſſes apud Cyclopem, Nemo appellari voluit. pag. 370
Vocabula longiora, tumidam reddunt compoſitionem. 192
Vocabula vſurpata à profeſſoribus alicuius ſcientiæ, & non inuenta apud antiquos Latinos, non ſunt ſcrupoloſè vitanda. 195
Voces quædam ſunt nouæ, aut nouatæ, & quomodo nouentur. 198
Voces priſcæ, modicè vſurpatæ

patæ antiquitatis habent authoritatem. 197
Voces ſordidæ, peregrinæ, obſoletæ, ac ex tabulis depromptæ. 196
Vocum nouitas, eſt ſuſpecta, immo in bonis eſt opus delectu, nam non debet orator uti poëticis. 195
Vocis conſideranda eſt tam quantitas, quàm qualitas. 381
Vox, in qualibet orationis parte, qualiter ſit moderanda. 382
Vox dicitur eſſe neruis ſimilis. 381
Vox permutanda, etiam in minutis orationis partibus. 383
Vrbs, quomodo laudari poſſit. 53
Vulgant quæ ſciunt, maledici, ſatyrici, curioſi, illuſores, epigrammatiſtæ. 112

Z

Zeugma quid ſit, & quomodo fiat. 292
Zoilus fuit dictus Canis Rhetoricus. 208

Fol.	l.	Errata grauiora ſic	Corrige.
Fol. 2	l. 6	Niſi	Nixſ
Fol. 8	l. 20	decorem	decoremque
Fol. 12	l. 39	aliud	alium
Fol. 13	l. 11	gallinacum	gallinaceum
Fol. 15	l. 10	materia	materiam
Fol. 16	l. 9	conſtitut	conſtitui
Fol. 19	l. 13	repugnantiū	repugnantium
Fol. 29	l. 30	ab	ad
Fol. 34	l. 15	illa	ille
Fol. 36	l. 1	volatibus	volatilibus
Fol. 39	l. 10	ad	ab
Fol. 52	l. 7	Cygnum	Cycnum
Fol. 52	l. 12	ſtruthiocamelū	ſtruthiocameli
Fol. 56	l. 22	Amonem	Ammonem
Fol. 56	l. 25	Amon	Ammon
Fol. 76	l. 26	ſtata	ſtata
Fol. 79	l. 27	Amphibolioe	Amphibolicæ
Fol. 119	l. 18	victę	vinctæ
Fol. 140	l. 35	ac	ſeu
Fol. 148	l. 37	protectionem	profectionem
Fol. 155	l. 12	beneficum	beneficium
Fol. 196	l. 7	Camenam	Carmentam
Fol. 197	l. 37	partem	parte
Fol. 201	l. 6	ononyma	omonyma
Fol. 208	l. 37	is	eum
Fol. 218	l. 32	qui	quod
Fol. 229	l. 20	Atalanta	Atlanta
Fol. 232	l. 39	his	hic
Fol. 249	l. 24	voleret	volaret
Fol. 258	l. 14	Alchiadis	Alcibiadis
Fol. 258	l. 31	Princeps	Principes
Fol. 264	l. 15	Antanaſtaſis	antanaclaſis
Fol. 264	l. 23	is hoc	iſthoc
Fol. 268	l. 4	Cantilena, Vbi	Cantilena (9) Vbi
Fol. 278	l. 14	adfers	adfert
Fol. 288	l. 31	ferrorem	ferro rem
Fol. 296	l. 36	ertenuatio	extenuatio
Fol. 303	l. 12	òpatre	à patre
Fol. 305	l. 35	nequit æque	nequi æque
Fol. 306	l. 7	nefariam	nefarium
Fol. 310	l. 13	Iunoris	Iunioris
Fol. 319	l. 34	venalitas	venditat
Fol. 345	l. 14	Ardent	Ardet
Fol. 355	l. 22	exprimendum	exprimendam
Fol. 360	l. 3	pertingatur	pertingatur
Fol. 376	l. 27	dignitatem	dignitatem
Fol. 378	l. 8	recumbentem	recubantem